


Ward:

FP

53. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA
A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA
TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

NEGYEDIK OSZTÁLY: DIPLOMACZIA.

MÁSODIK KÖTET.

BUDAPEST, 1875.
A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA
KÖNYVKIADÓ HIVATALÁBAN.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGÁNAK KIADÁSAI.

ARCHIVUM RÁKÓCZIÁNUM. II. Rákóczy Ferencz Levéltára, bel- és külföldi irattárakból bővítve. I. Oszt. Had- és belügy, szerkeszti *Thaly Kálmán*. I. köt. Rákóczi Ferencz fejedelem Leveleskönyvei, levéltárának egykorú lajstromaival 1703—6. XXVIII és 688 l. — II. 1707—9. XXVIII és 656 l. — III. 1710—12. X és 747 l. Pest 1873—4. Mindenik kötet ára 4 frt.

— — II. Oszt. Diplomatia I. II. köt. Angol diplomatiai iratok; angol levéltárakból közli *Simonyi Ernő*. Pest 1871—73. 628, 642 l. Egy kötet ára 4 frt.

TÖRÖK-MAGYARKORI TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. Első osztály: I. II. köt. Okmánytár a Hódoltság történetéhez Magyarországon Szilády Áron és Szilágyi Sándortól. I. II. köt. 1863. XXX és 458 és 480 l. 5 frt.

— — — III.—IX. köt. 1868—73. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár szerk. és jegyzetekkel ellátták, Szilády Áron és Szilágyi Sándor I.—VII. k. 1868—73. mindenik kötet 3 frt.

— — — Név- és Tárgymutató a Török-Magyarkori Államokmánytár I—VII. köteteihez. Készítették Szilády Á. és Szilágyi S. 1875. 88 l. 60 kr.

M. TÖRTÉNELMI TÁR. I. köt. X és 256 l. egy pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — II. köt. 215 l. száz pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — III. köt. 264 l. egy czimerrajzzal 1 frt 40 kr.
— — — IV. köt. 260 l. 2 frt 40 kr.
— — — V. köt. 231 l. 1 frt 40 kr.
— — — VI. köt. 264 l. egy pecsétrajzzal 1 frt 65 kr.
— — — VII. köt. 266 l. 1 frt 60 kr.
— — — VIII. köt. 259 l. 4 kőirati táblával 1 frt 60 kr.
— — — IX. köt. 244 l. 1 frt 40 kr.
— — — X. köt. 240 l. aranybullák s okm. hasonmásaival 1 frt 60 kr.
— — — XI. köt. 240 l. 1 frt 40 kr.
— — — XII. köt. 292 l. 2 frt 70 kr.

Az egész tizenkét kötetes folyam ára tizenöt forint.

MAGYAR TÖRTÉNELMI TÁR. XIII. v. Uj folyam I. kötete 1868. 252 l. 1 frt 40 kr.
— — — XIV. v. » II. kötete 1869. 282 l. 1 frt 80 kr.
— — — XV. v. » III. kötete 1871. 265 l. 1 frt 50 kr.
— — — XVI. v. » IV. kötete 1871. 268 l. 1 frt 50 kr.
— — — XVII. v. » V. kötete 1871. XII és 270 l. 1 frt 50 kr.
— — — XVIII. v. » VI. kötete 1871. X és 272 l. 1 frt 50 kr.
— — — XIX. v. » VII. kötete 1874. VIII és 247 l. 1 frt 50 kr.
— — — XX. v. » VIII. kötete 1875. VIII és 288 l. 1 frt 50 kr.
— — — XXI. v. » IX. kötete 1875. 330 l. 2 frt.

MAGYAR LEVELES TÁR. I. köt.: Négyszáz magyar levél 1504—1560. Szalay Ágostontól. XX és 432 l. különcz köriratu hasonmásos táblával 4 frt.

FEJÉR GYÖRGY MAGYARORSZÁGI OKMÁNYTÁRÁNAK betűrendű tárgymutatója Czinár Mórtól. XVI és 548 l. 3 frt.

ÉVMUTATÓ Fejér György Okmánytárához. Knauz Nándor által. 44 l. 40 kr.

HUNYADIAK KORA MAGYARORSZÁGON Gr. Teleki Józseftől. I.—V., VI: 1 és X.—XII. köt. Mindenik kötet ára 3 frt 65. kr. — (VI. köt. 2. része sajtó alatt.)

MAGYARORSZÁG HELYRAJZI TÖRTÉNETE. Főtekintettel az egyházi intézetekre vagyis a nevezetesebb városok, helységek, s azokban létezett egyházi intézetek, püspök-megyék szerint rendezve. Rupp Jakabtól. Első kötet két darabban. Az esztergami egyháztartomány a hozzá tartozó püspökmegyékkel együtt. Pest 1870. XVIII és 807 l. 5 frt.

— — Második kötet: Az egri érseki egyháztartomány, a hozzá tartozó püspöki megyékkel együtt. Pest 1872. XIV és 475 l. Ára 3 frt.

BUDA-PEST és környékének helyrajzi története, Rupp Jakabtól. Két térképpel. Pest 1868. 306 l. 2 frt.

HAZAI OKMÁNYTÁR. V. kötet: 1199—1581. A M. T. Akadémia pártolása mellett kiadják Ipolyi Arnold, Nagy Imre és Véghely Dezső. Győr 1873. 477 l. 4 frt.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA. Magyar Történelmi Emlékek, egy-egy kötet ára 3 frt 15 kr. kivévén a melyek nagyobb v. kisebb ára a részletes jelentésben külön kitétetett.

Lásd a részletes tartalmat a boriték két hátulsó lapján.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

ACTA EXTERA.

II.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

NEGYEDIK OSZTÁLY.

DIPLOMACZIAI EMLÉKEK. II.

BUDAPEST, 1875.

A M. TUD. AKADÉMIA KÖNYVKIADÓ-HIVATALÁBAN.

(Akademia-utcza.)

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR DIPLOMACZIAI EMLÉKEK

AZ

ANJOU-KORBÓL.

A M. TUD. AKADÉMIA TÖRT. BIZOTTSÁGA

MEGBÍZÁSÁBÓL SZERKESZTETTE

WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. RENDES TAG.

MÁSODIK KÖTET.

BUDAPEST, 1875.

A M. T. AKADÉMIA KÖNYVKIADÓ-HIVATALÁBAN.

(Akadémia-utcza.)

Budapest, 1875. Nyomatott az Athenaeum r. társ. nyomdájában.

TARTALOM.

Lap.

MAGYAR

DIPLOMACZIAI EMLÉKEK

AZ

ANJOU-KORBÓL.

II.

1.

Endre calabriai herczeg, Robert Károly magyar királynak fia Siciliában a lovagi rendbe felavattatik. 1342.

Edictum de militia Andree Ducis Calabrie.

Robertus etc. vniuersis presentes licteras inspecturis. Omni negocio tempus et oportunitas requiritur, concionatore Sapientissimo Rege teste. Nam dum in negocijs non tempus et oportunitas expectatur, sed citra debitum utrumque acceleratione nimia preuenitur, id quod agendum foret bonorum, ad que ordinatum esset, destitutum effectibus cassaretur. Sic et cum ultra modum dilatorie suspenditur, simile patitur detrimentum. Fructus namque quando immaturus carpitur, acerbus gustatur; quando vero eius collectio dum maturus est negligitur, decidit non humanis vsibus reseruandus. Sane licet ea, que ad honores et profectus carissimorum filiorum nostrorum Ducis et Ducisse Calabrie, nullus quam nos feruentius cuperet, cum non sit amor qui paternum superet, nullusque pro hys eis delectabilius congauderet; dicti tamen Ducis militie, et amborum confirmationis inter eos contracti matrimonij vtriusque etate actenta tenera et inualida, hucusque solempnia, quamquam nosceremus illa a nostris deuotis et fidelibus auide diutius prestolata, de industria duximus deferenda, cum dicti Ducis etas hactenus non suppetisset ad militaria exercitia incohanda, neque vtriusque suffecisset ad generandum prolem, aut illam procreassent debilem et defectam; cum sequentibus valentior et prestantior debeat prima esse. Hinc postquam Rex ipse plura de tempore prelibauerat, subdens inseruit tempus ridendi, idest gaudendj, ne

in tantum sapiens credatur dissolutam et laxinam letitiam indulxisse, et tempus saltandi, ne ad tam festiua celebritate (így) prorsus excludi competentia tripudia videantur; demum adiecit et tempus longe ab amplexibus fieri, quod locum dudum habuit, quamdiu dicti coniuges a valida etate distarunt. Post quod et tempus amplexandj apposuit, vt intelligantur permissi amplexus in connubijs, quos sacramentalis coniugij impariter sincerius sublimiusqua honestas admictit. Pro qua in persona Ecclesie de Christo sponso in canticis decantatur: »Leua eius sub capite mea, et dextera illius amplexabitur me«. Ex nunc igitur tempore et oportunitate instantibus et de proximo se offerentibus satis apte, quibus coniuges ipsi tam dictis annorum etatibus, quam corporum viribus ac animorum morumque virtutibus ad premissa ydonee conualescant, eiusdem Ducis militie die Pascatis Resurrectionis Dominice, et nuptiarum amborum quarto die sequente celebritates jocundas Neapolim statuimus festiuari. A tali siquidem die Christus causam perhennis exultationis generi humano reliquit, qua mundum spirituali et temporalj annua letitia secundum vtrumque hominem censuit per secula perfundendum. Ad hec namque non modice cohoperatur post gelidorum yemalium algorum transitum dierum lucidorum et tranquillorum vernalis amenitas, auium seu alitum garrula sonoritas, aruorum virentium speciositas herbarum ac arborum, vel virgultorum florigerorum et odoriferorum suauitas et venustas, que misterio festiue Resurrectionis Christi congrue conrespondent, quando Christus Nazareni floree humanitatis per passionem et mortem siccato seno, flos adeo concidit, ut non esset ei species neque decor; quando et Petrus frigus sensit, hunc florem decoquens yemale. Sed die Pascatis letabunde, quo exurrescit gloria nostra, atque psalterium et cithera, refloruit eius caro. Premissa enim ad cunctorum primo et principialiter specialis Regalium Domus Nostre, deinde Comitum et Baronum et aliorum Nobilium, siue ciuium aut conditionis alterius cuiuscunque tam Regni Sicilie, quam Prouincie, quam Comitatus Pedimontis et ei Partium Lombardie adiacentium nostrorum fidelium euidentiam et notitiam duximus perferenda, vt qui cum dicto Duce militiam suscipere elegerint, ex nunc ad hec

habilius se disponant; ceteri autem, qui ad dictum festiuum conuenire uoluerint, intrantes in domini sui gaudia, saltim tam vniuersalis et communis hylariminis efficiantur participes et consortes. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fierj, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo iussimus communirj. Data Neapoli anno Domini M° CCC° XLII° die XIIII. Augusti X. indictionis Regnorum nostroruum anno XXXIIII°.

(A »Registri Angioini« B. 325. sz. Reg. Roberti R. kötetéből 87. lev.; az olasz kir. Grande Archivióban Nápolyban.)

2.

A velenczei kormánytanácsnak határozata, melylyel Frangepán Doymnak elhalasztja a számára kitűzött megjelenési határnapot. 1342.

Anno Domini MCCCXLII. die XIX. Novembris. Capta: Quod respondeatur Comiti Duymo ét Episcopo Vegle Nuncio suo, quod molestum et grave habemus quantum possumus et debemus de eo, quod non venit ad nostram presentiam ad faciendum iuramentum fidelitatis, quam tenetur facere per formam concessionis, sicut fecerunt sui predecessores, quos semper invenimus devotos et obedientes nostro Dominio; et amore suorum predecessorum et suo elongavimus ei terminum, et nichil profuit, non curando venire, et sic possemus licite et iuste exequi formam concessionis, dando Comitatum alii, sicut dicit concessio; et volebamus id facere et exequi pro honore nostro et iusticia. Sed venit dictus Episcopus pro parte sua, per quem supplicavit instanter terminum ellongari, promittens omnino venire sicut tenetur; propter quod videntes oblationem suam sic ad plenum, et sperantes, quod servabit, ut dicit; de gratia speciali ellongavimus sibi terminum peremptorium usque ad festum Ascensionis proxime venturum sub pena concessionis, quam

penam executioni mandabimus omni occasione remota. Et hec sit ligata sicut alia pars, scilicet quod revocari non possit nisi per sex Consiliarios, tria Capita et duas partes istius Consilii; et si Consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XX. köt. 98. lev.)

3.

A velenczei kormánytanács biztosokat küld Dalmatiába a Sebenico város és Nelipcs tinini gróf közti egyenetlenségek elintézése végett. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XXI. Aprilis. Capta: Cum super damnis illlatis nostris fidelibus de Sibinicho per Comitem Neliptium et eius gentes, et per Comitem Constantinum eius nepotem et ipsius gentes, facte sint ipsi Comiti Neliptio plures requisitiones ex parte huius Dominii, et per Ambaxatores, et per Notarium ad ipsum destinatos, et ab ipso non potuerit extrahi aliud, quam verba et promissiones, sed facta non; ymo, quod est peius, post promissiones per eius gentes et Constantini predicti dampna plurima et derobationes facta et facte sunt nostris fidelibus antedictis; et hoc processerit, quia dicti Ambaxatores et Notarii non habuerunt aliud in mandatis, quam petere emendam dictorum damnorum et observantiam pacti, de quibus nichil curavit, ut apparet per ea que postea secuta fuerunt. Quare ut dictus Comes Neliptius videat aperte, quod via, quam tenuit erga nostros Ambaxatores in dando verba, nobis displiceat, et ut condescendat ad integram satisfactionem dampni et predictorum, et observantiam pacti, et quod videat et sentiat, quod non intendimus derelinquere nostros fideles de Sibinicho, quodque ad aliquam ortacionem dictorum Sibinicensium predictorum vadit pars: Quod in Nomine Domini mittantur ad partes Sclauonie tres boni Provisores, quorum quilibet habeat de salario in duobus mensibus libras ducentas, et inde in antea omni mense libras quinquaginta, et ultra hoc possint expendere in expensis oris

omni die pro quolibet grossorum triginta in racione decem et octo grossorum, et habeant unum expensatorem ultra familiam consuetam, ut habuit ser Marcus Fuschareno, qui nunc venit pro Ambaxatore de inde. Et habeant plenam libertatem faciendi pacem, et movendi guerram, et faciendi unionem et omnia alia necessaria, que pro honore nostro et bono nostrorum fidelium de inde eis vel maiori parti eorum videbuntur convenire. Et si videbitur ipsis Provisoribus de movendo guerram, informent se, per quam viam et cum qua gente de inde et de hinc fieri possit, et eis videatur debere fieri pro honore nostro et conservatione nostrorum fidelium, et nobis rescribant solicite et sine mora, quidquid invenerint et fecerint, et suum consilium, et de hinc per nos providebitur de mittendo gentes, et aliis omnibus, sicud fuerit opportunum, et ad honorem nostrum et conservationem nostrorum fidelium videbimus pertinere.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt. 68. lev.)

4.

A velenczei kormánytanács dalmatiai ügyekbeni intézkedése 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die vigesimo tercio Aprilis. Capta: Quod examinatis litteris Comitis Maladini, et requisitione facta per eius Ambaxatorem, qui presencialiter est hic, super facto Castri et burgi Schardone (et) eius Districtus, quod nostro Dominio dare et vendere vult pro certo precio et cum certis condicionibus; et examinatis litteris ser Marci Cornario Comitis Sibinichi, qui laudat negocium, ostendendo plures bonas raciones; dicunt sapientes, quod considerando commodum et utilitatem, quam nostrum Commune percipiet et securitatem nostrorum fidelium de inde, si dictum Castrum, et Terra Scardone esset in manibus nostri Dominii; considerando etiam periculum, quod posset evenire, si ad manus aliorum perveniret, et forsan illorum, qui non essent nostri

amici; considerando etiam, quod dictus Comes Maladinus pluries requisivit responsum a nostro Dominio super dicto facto, et adhuc requirit gratiam eius Episcopus Scardone, qui est hic: videtur eis, et sic consulunt, quod committatur istis tribus nostris Provisoribus ituris Sclauoniam, quod, cum fuerint in partibus illis, suo loco et tempore, sicut et quando eis videbitur, debeant esse cum dicto Comite Maladino, et secum conferre de facto dicti loci et castri Scardone, et ab ipso trahere eius ultimam et finalem voluntatem, scilicet quantum vellet de ipso, dando et designando ipsum libere in manibus nostri Dominii cum omnibus suis iuribus, hominibus et jurisdiccionibus quibuscumque dicto loco spectantibus. Et vadant omnes simul, vel unus seu duo eorum, sicut concordabuntur, et quando eis videbitur, ad dictum locum Schardone, et videant et examinent condicionem ipsius, et cum quanta gente et expensis posset teneri, et quam intratam seu redditum nostrum Commune posset percipere, et si loco necessitatis posset ei dari succursus per mare; videant etiam, que iura dictus Comes Maladinus habet in eo; et informati de omnibus ad plenum, rescribant nobis ordinate rem qualiter erit, et eorum consilium; quibus venientibus de hinc, providebitur, sicut isti Consilio apparebit melius. Et ad maiorem informationem ipsorum premissorum dentur eis in scriptis omnes tractatus habiti et partes capte superinde.

Capta: Quod detur paga quarti mensis balistariis hic in Veneciis vel in partibus Sclauonie, sicut Dominio videbitur.

Item consulunt et laudant, quod Paulus Comes Ostrovize et Malatinus Comes Clisse et Scardone cum suis fratribus, ut per eorum litteras Dominio nostro requisiverunt, recipiantur in nostros cives Veneciarum per modum, per quem fiunt alii Barones aliarum Civitatum. Non potuit poni.

Capta: Quia occasione istius novitatis facte per Comitem Constantinum ad Castrum Gens, ut Comes scribit, mittantur quam velocius esse potest ad partes illas isti balistarii, qui reperientur hic, qui in Cretam ire debeant; scribendo dicto Comiti, quod volumus, quod ipsos ponat solum ad custodiam et defensionem terre Sibinichi et Castri Gens et aliorum locorum, ubi essent fortalicie, et non ad aliam novitatem

usque ad adventum nostrorum Provisorum quos illuc destinavimus.

Capta: Item mittantur Comiti Sibinichi curacie L, ut continentur in dictis litteris, et illa quantitas sitamenti et balistrarum, que Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus videbitur.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt. 66. lev.)

5.

A velenczei kormánytanácsnak pótutasitása dalmátiai biztosai számára. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XXVII. Aprilis. Capta: Quum videbatur dubium Provisoribus, qui destinati nuperime sunt in Sclavoniam, si per partem pridie captam in Rogatis habebant libertatem movendi guerram, absque quod denotarent Dominacioni: vadit pars, quod declaretur in isto Consilio, quod ipsi Provisores habeant plenam libertatem defendendi fideles et subditos nostros, et etiam inimicos intus et extra offendendi, sicut eis vel maiori parti eorum videbitur pro bono negocii et conservatione ipsorum nostrorum fidelium: committaturque Provisoribus prefatis, quod de turribus, quas habet in Spalato Comes Nelipcius, que sunt iuxta portas terre predicte, examinent et provideant de occupando ipsas et aliud faciendo, sicut eis vel maiori parti ipsornm pro honore nostro et bono videbitur convenire; et similiter de omnibus nostris terris, remanente propterea eorum commissione in sua firmitate rescribendi et alia faciendi, prout in ipsa continetur.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvböl XXI. köt. 66. lev.)

6.

Mária Robert siciliai királynak unokája és Durazzoi Károly közti házasság. 1343.

Pacta habita inter dominam Reginam Johannam, dominam Mariam, et Ducem Duratii super matrimonio ipsorum Ducis et Marie.

(A »Registri Angioini« H. 335. sz. a. Regesta Johannae I. kötetéből 25. lev.)

7.

Erzsébet magyar anya-királynénak ajándékai a szent Lajos nevére szentelt massiliai egyház számára. 1343.

Johanna Prima etc. Regentibus Curie Vicarie etc. Pro parte Religiosorum virorum Prioris et Conuentus Ecclesie Sancti Ludovici de Massilia fidelium etc. nuper Excellentie nostre fuit supplicatum, vt cum quondam Thomasius Mansella de Salerno, miles Magne Regie Curie, Magister Rationalis, ab Inclita domina domina Sanctia Dei gratia Jerusalem et Sicilie Regina, reuerenda domina matre nostra subsrcipta bona et jocalia missa olim per Inclitam dominam Reginam Vngarie prefate domine Sanctie matri nostre, transmittenda per eam ad Ecclesiam supradictam recepcrit de mandato dicte domine matris nostre, nec per dictum quondam Thomasium missa fuerint ad Ecclesiam memoratam; providere super hoc eis secundum iustitiam dignaremur. Nos autem etc. fidelitati vestre de consilio et assensu Inclite domine Sanctie Dei gratia Jerusalem et Sicilie Regine reverende matris, amministratricis et gubernatricis nostre, ac aliorum gubernatorum harum serie committimus et mandamus expresse, quatenus vocatis heredibus ac executoribus testamenti dicti quondam Thomasij etc. summarie de plano, sine strepitu et figura Judicij oblatione libelli et contestatione litis,

sola inspecta substantia veritatis, dictis supplicantibus inde ministrare curetis et facere, remotis cauillosis anfractibus et dilationibus indebitis quibuscunque, tam efficaciter quam in stanter, plene, celeris et expedite iustitie complementum. Bona uero predicta hec esse dicuntur; videlicet calix vnus magni ponderis de auro puro, crux vna cum lapidibus pretiosis de argento, ampulle due de argento, candelebra de argento duo et omnia deaurata, duo panni pretiosi, et vnum frontale capella completa, vna planeta dulmanica tunica, et vnum pluuiale amictus albe scole cortine, et omnia multum pulcra. Datum Neapoli MCCCXLIII. die VI. Maii.

(A »Registri Angioini« H. 335. sz. a. Regesta Johannae I. kötetéből 75. lev.)

8.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedései a bizanczi császár és a szerb király közti viszony tárgyában. 1343.

Habita collatione cum Ambaxatore domine Imperatricis Constantinopolis et eius nati domini Imperatoris super ambaxiata per ipsum oretenus explicata Dominio, in effectum duo capitula continente; auditis etiam et intellectis omnibus, que idem Ambaxator referre voluit, super inde bona deliberatione prehabita, consulunt concorditer Sapientes, quod respondeatur dicto ambassatori (1343. május 12.); et primo

Capta: Ad primum capitulum, per quod a nobis petit auxilium et succursum contra Turchos stb.

Capta: Ad secundum capitulum, per quod ipse Ambaxator, exponit, quod Mega Domesticus rebellis Imperii se reduxit ad Regem Raxie, cum quo tractavit et tractat cotidie subversionem totius Imperii; rogando nos, quod velimus mittere ambaxatam dicto domino Regi ad precandum et inducendum eum, quod non prestet auxilium nec favorem dicto Mega Domestico etc.; habentes Sapientes respectum, quod omnis ovitas et sinistrum, quam et quod subiret ipsum Imperium,

toti Communitati nostre redundaret in damnum, ut clare potest quilibet iudicare et extat cunctis notorium. Consulunt Sapientes, quod ad dictum dominum Regem mittatur unus ambaxator ad tractandum pacem et concordiam inter Sacrum Imperium et ipsum dominum Regem, et ad inducendum ipsum ad hoc cum illa ambaxata et pulcris verbis, que Domino, Consiliariis, Capitibus de XL et Sapientibus, vel maiori parti dicti Collegii competere videbuntur. Et capta parte presenti, respondeatur dicto Ambaxatori: quod ad magne devotionis integritatem et sincerum amorem, quem semper nostra Communitas gessit et gerit erga Sacrum Imperium, et e contra, propter inmensam benevolentiam, quam et Serenissimi domini Imperatores Constantinopolis, ipsa domina Imperatrix, et nunc eius natus dominus Imperator habuit et habet ad nostrum Commune, de quibuscunque sinistris gravaminibus et molestiis, quas Imperium patiatur, dolere compellitur; quo circa providimus unum ambaxatorem ad dominum Regem Raxie destinare, quem mittemus cum illa ambaxata et verbis, que pro honore Sacri Imperii et nostro, et absisione cuiuslibet novitatis videbimus convenire.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXI. köt. 60. lev.)

9.

A velenczei köztársaság követsége Dusan István szerb királyhoz. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die secundo Junii. Capta: Cum plures nostri fideles porrexerunt suas petitiones Curie nostre, qui facere habent in Curia Regis Raxie, supplicantes, quod eorum facta recommendentur Ambaxatori nostro illuc ituro, et istud sit conveniens: vadit pars. quod predicta committantur dicto ambaxatori nostro, et quod in facto dictorum nostrorum fidelium et nominatorum, et non nominatorum, quos videtur indigere suo favore, sicut et quando sibi videbitur, procuret et faciat id boni, quod poterit cum nostro honore

et in Cataro etiam eundo, vel redeundo, idem faciat pro nostris ibi, non trahendo pro dictis factis vel aliquo eorum ibi moram.

Capta: Quod committatur dicto Ambaxatori, quod sicut et quando ei videbitur, recommendet dicto Regi cum illis verbis, que viderit convenire, terras nostras Sclavonie, ut eis sit favorabilis, sicut speramus de Sua Maiestate, in eo quod nostri fideles haberent facere cum Banno Bossine, cum Comite Neliptio, et aliis Baronibus Sclauonie, ne faciant gravamina nostris fidelibus et terris predictis.

Capta: Quod frater Benvenutus Ordinis Heremitarum conducatur Ragusium cum uno socio, cum quo vadit ad dictas partes noster Ambaxator iturus ad dominum Regem Raxie.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt. 63. lev.)

10.

A velenczei kormánytanácsnak határozata Jadra város Lajos magyar királylyal történt alkudozásainak, és Erzsébet magyar anyakirályné Apuliába tervezett utazásának tárgyában. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XIV. Junii, XI. indictionis. Capta: Visis et diligenter examinatis litteris missis per ipsum Comitem, Judices et Commune Jadre simul, videtur Sapientibus, quod Jadratini, attenta fidelitate, ad quam nobis tenentur, et consideratis omnibus, que veniunt consideranda, debebant acquiescere oppinioni dicti Comitis nobis per dictas litteras denotate, et non procedere ad faciendum finaliter responsionem domino Regi Vngarie absque conscia nostra. Et propterea concorditer consulunt, quod scribatur dictis Comiti, Judicibus et Communi, quod miramur de dicto facto, cum oppinio dicti Comitis foret honesta et rationabilis, et ostendebat in eis fidelitatem, quam ad nos debent habere, et quod hoc nos aggravat sicut potest; licet

de omni honore, quem dicto domino Regi et domine Regine matri sue facerent, multum noster animus sit contentus. Et circa hec scribatur eis in illa forma, que videbitur Dominationi. Item scribatur eis, quod in casu, quo domina Regina (eat). Item scribatur etiam dicto comiti Jadre soli, quod nobis placuit modus per eum habitus et tentus circa negocium in eisdem suis litteris declaratum.

Capta: Quod pro honore huius Dominationis respondeatur domino Regi Hungarie, quod omnibus, que respiciunt honorem suum et sibi placeant, prompte disponimur, et quod propterea intellectis litteris suis continentibus de transfrectatione, quam facere intendit domina E. genitrix eius ad Regnum Appulee, firmavimus armari facere de nostris galeis, que ipsam ad dictum Regnum socient, sicut pro honore suo viderimus convenire. Et scribatur Comiti Bartolo, rogando ipsum, quod senciat de adventu dicte Domine ad maritima, et quod quidquid certitudinaliter senciet, nobis per suas litteras debeat declarare. Et ex nunc armentur hic due galee pro illo tempore, quod videbitur, que mittantur in Sclavonia, quando videbitur Dominationi, et de inde socient in Apuleam Dominam antedictam; cum quibus mittantur tres nobiles de hinc qui socient dictam Dominam, qui vadant cum familia, qua iverunt alii tres, quando dominus Rex Vngarie ad partes Apulie transfretavit, et ad easdem expensas, et habeant libras sex grossorum pro quolibet pro tota via.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyből XXI. köt. 84. lev.)

11.

A velenczei kormánytanácsnak utasítása dalmatiai biztosai számára. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XIV. Junii. Capta: Visa et diligenter examinata littera missa Dominationi per Provisores nostros in Sclauonia, et eiusdem continencia diligencius intellecta, consulunt concorditer Sapientes, quod, si

Comes Nelipcius predictus dabit plezariam, ut promisit, et de dampnis, per eum et eius subditos nostris fidelibus de Sibinico illatis, satisfaciet, prout debet, bonum est eos facere Venecias remeare; si vero non faciet, ut est dictum, pro bono negocii et observacione eorum, que promisit facere, adimplere et obedire, eorum presentiam ibi consistere est, quod necessarium, utillimum et fructuosum, quia causam dabit dicto Comiti melius et attencius agere, que promisit; nichilominus faciat Dominatio in predictis, ut sibi placet.

Super facto stipendiariorum nostrorum consulunt sapientes, quod ibi stent et agant, sicut debent, et postmodum providebitur, sicut videbitur iustum fore.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXI. köt. 85. lev.)

12.

Frangepán Bertalan Dandolo Endre velenczei dogétól gályát kér, melylyel Erzsébet magyar anyakirályné kiséretében Apuliába utazhasson. 1343.

Exemplum quarumdam litterarum domino Duci missarum per Comitem Bartholum Vegle.

Illustri et Excellenti Principi domino Andree Dandulo Duci Venetiarum, Dalmatie atque Croatie, Domino Quarte Partis et Dimidie tocius Imperii Romanie, eius Domino semper honorando, Bartholus Comes Vegle atque Synugii cum omni recommendacione se ipsum. Litteras Excelse Dominacionis vestre, scriptas die XIV. et XV. presentis mensis, eo honore, quo decuit, recepi hodie XVIII. prefacti mensis, et ipsarum serie inspecta, duxi statim per hominem meum litteras Excellencie Vestre domino Regi Vngarie transmittendum, una cum homine domini ser Andree Michaelis vestri Comitis Arbensis. Nova vero, que habeo de domina Regina Vngarie, sunt hec, que heri sero tarde habui a venerabili patre et domino, domino I. Episcopo Melfiensi, qui rediebat de Vngaria ad Marinam. Videlicet quod domina Regina ante suum reces-

sum de Vissigrado pervenerat in Budam, festinando iter suum quanto plus poterat versus Marinam, et quod credebat, considerata festinancia sui itineris, quod omnino pervenit die dominico proxime venturo in Zagrabiam. Sed redeuntibus numptiis meis, quos pluries versus partes illas ordinavi, quo firmiora habuero, Excelse dominacioni Vestre firmius declarabo absque omni tarditate. Et Illustrem Dominacionem Vestram affectiosius qua possum presentibus deprecor, quatenus michi vestro concivi vestram galeam de Cherso cum suis guarnimentis, et tribus vel saltim duobus hominibus, qui dicta guarnimenta custodiant, accomodare velitis, ut honorifice valeam cum predicta domina Regina personaliter pertransire. Nam honor civium in Commune semper redundat; et si aliud accideret ex infortunio vel alio casu, quod Deus avertat, obligo pro emenda et satisfacione ipsius vobis et Dominio vestro omnia mea bona existentia in insula Veglensi. Data Bregne die XVIII. Junii.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből IV. köt. 12. lev.)

13.

Erzsébet magyar anyakirályné az arbei grófot apuliai utazásáról tudosítván, hajókat rendel magának. 1343.

Elisabeth Dei gratia Regina Hungarie nobili viro Andree Comiti Arbensi, suo devoto et fideli, salutem et Reginalis benignitatis incrementa. Amica devocione id amministrante, quod erga domum nostram habere dinoscimus, dominus Rex Hungarie filius noster et nos vos habuimus requisitum, et nunc habemus affectuose, ut nobis galeas et ligna, que habetis, pro transitu nostro felici ad partes Apulye concedere et fieretis preparari, supra qua ambassiata nullam adhuc a vobis habuimus responsionem. Quamobrem vestram nobilitatem iterata vice presentibus requirimus attente, quatenus galeas et ligna, que habetis, pro transfretacione nostra felici conce-

dere velitis ob amorem filiorum nostrorum ulteriorem; et quidquid fuerit super hoc vestre intencionis, id nobis vel Comiti Duymo significare velitis mediantibus litteris. Datum in Coppernincha, in octava festi Corporis Domini.

(Eredetie bőrhártyán a velenczei nagy levéltárban.)

14.

A velenczei kormány a szerb királyhoz küldött követe iránt intézkedik. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XIX Junii. Capta Cum propter casum sinistrum occursum Ambaxatori eunti ad dominum Regem Raxie, ipse Ambaxator Venetias rediverit et iam divulgatum extiterit tam in Civitate nostra Venetiarum, quam alibi extra terram, quod ad dictum Regem nostrum Ambaxatorem in servicium Imperii mittebamus, propter quod si solum ob casum predictum cessaremus de mittendo Ambaxatam nostram, esset minus honoris huius Dominii: consulunt concorditer sapientes, quod ser Marinus Venerio, qui ibat pro Ambaxatore ad dictas partes, redeat in bona fortuna, et vadat ad faciendum ambaxatam suam, prout a principio sibi commissum fuerat.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt. 85. lev.)

15.

A velenczei kormánytanács engedélyezi Frangepán Bertalannak a kért gályát. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XXII. Junii. Capta: Quod complaceatur domino Comiti Bartholo de Vegla, acceptando, sicut per suas litteras supplicavit, videlicet in concedendo sibi galeam nostram Chersi, cum qua vult associari dominam Reginam Vngarie, que vult transire in Apuliam, recipiendo obligacionem suorum bonorum, que habet in Insula

Vegle, si per infortunium vel aliquo alio casu, quod Deus advertat, contingeret aliquod damnum in galea vel furnimentis de emendando damnum, sicut in suis litteris continentur; et ultra hoc recipiendo hic bonam plezariam de satisfaciendo damnum predictum ad beneplacitum nostrum. Et scribatur et mandetur Comiti Chersi, quod servet, ut dictum est, et mittat cum galea quatuor vel duos de suis hominibus, qui habeant curam de galea et furnimentis ipsis.

(A »Misti« czimü államkönyvtárból XXI. köt. 86. lev.)

16.

Frangepán Doym is utazik Erzsébet királyné kiséretében Apuliába. 1343.

Anno MCCCXLIII. die primo Julii. Capta: Cum domina Regina Vngarie, et dominus Rex eius filius nos instanter rogaverunt per litteras suas, quod placeat nobis elongare terminum Comiti Duymo de Vegla veniendi ad nostram presenciam ad prestandum iuramentum fidelitatis secundum formam concessionis, cum non possit venire, occupatus pro transitu, quem facit dicta domina Regina in Appuliam, quam opporteret eum assotiare; et dictus dominus Comes Duymus etiam supplicaverit nobis de elongatione dicti termini propter causam predictam, offerens et promittens venire ad nostram presentiam, cum fuerit expeditus a dicto facto, et facere fidelitatem nostram sicut tenetur: vadit pars, consideratis litteris et causis predictis, quod terminus veniendi ad nos elongetur dicto Comiti usque ad Sanctum Michaelem proximum cum penis, condicionibus et ligamine contentis in parte capta pro alio termino supra dato.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXI. köt. 89. lev.)

17.

I. Johanna siciliai királyné VI. Kelemen pápának hódol. 1343.

Johanna stb. prestat homagium Pape Clementi VI. IV. Julii anno MCCCXLIII.

(A »Reg· Angioini« G. 334. sz. a. köt. Reg. Johannae I.57. levél.)

18.

A velenczei kormánytanácsnak elismerő és köszönő levele Osztroviczai Pál dalmatiai főurhoz. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die VII. Julii XI. indictionis. Capta: Quod rescribatur Comiti Paulo de Ostrovizia, quod semper cognovimus bonum amorem et veram dilectionem, quam habuit ad Dominium nostrum et nostros fideles omnes de partibus Sclavonie, quam eciam per tempora, et maxime nunc in his novitatibus nostrorum fidelium de Scibenicho clarissime demonstravit, propterea quod sumus eidem merito obligati; volentes, quod firmiter teneat, quod sumus et esse intendimus omni tempore dispositi ad cuncta, que sint sui honoris et status, et habere ipsum et nepotes suos et sua favorabiliter commendata, et cum predictis verbis et aliis fiat eidem Comiti Paulo responsio, que Dominio pulcra et decentia videbuntur.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyből XXI. köt 92. lev.)

19.

A velenczei kormánytanácsnak határozata, hogy a dalmatiai városok és a boszniai bán közt szövetség eszközöltessék; fegyverek is ez utóbbinak engedélyeztetnek. 1343.

Anno MCCCXLIII. die VII. Julii. Capta: Visa et diligenter examinata Ambaxata in scriptis data Dominio per Ambaxatorem domini Bani Bossine, et auditis super his aliis verbis per dictum Ambaxatorem oretenus explicatis, videtur Sapientibus, inspecta potentia domini Bani: Quod dicta unio faceret multum pro favore nostrarum Civitatum de Marina, ponendo in dicta unione Regem Raxie, si esse voluerit, et alios Barones Sclavonie. Et quando dictus Rex non attenderet ad volendum esse in dicta unione, faciendo ipsam et specificando, quod dicta unio intelligatur ad defensionem solummodo Bossene et Partium Sclavonie. Et ideo consulunt concorditer, quod concedatur illo cauto modo, quo melius fieri

poterit, nostris Civitatibus Sclavonie, quod dictam unionem facere possint, inducendo eas ad hoc pro bono et conservatione ipsarum cum illis pulchris verbis, que Dominio videbuntur, non faciendo in dicta unione aliquam mentionem de Communi Venetiarum; ita tamen, quod pro dicta unione nec alio quoquo modo Commune Venetiarum non debeat supportare aliquas expensas de equitibus vel aliquibus aliis, set fiat solummodo cum Civitatibus per modum, per quem alia unio dictarum Civitatum fieri consuevit. Et isto medio anno, quando aliquid compleatur de intentione domini Regis Raxie per illum modum, qui Dominio videbitur. Et hec notificentur Comitibus et Communibus terrarum, ut dictum est, cum illis verbis, que videbuntur Dominio. Ad factum vero armorum, quia aliter cum nostro honore denegari non posset, consulunt: quod concedatur gratia dicto Ambassatori extrahendi de dictis armis in ea quantitate, que Dominio videbitur, solvendo dacium debitum nostro Communi.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt. 92. lev.)

20.

Mayrat Raymund Endre calabriai herczeg szolgálatában. 1343.

Raymundus Mayrat Marescallus scutifer familiaris et fidelis habet vncias auri decem per annum. Julius hóban MCCCXLIII.

(A »Reg Angioini« G. 334. sz. a. kötetéből Reg. Johannae I. 41. l.)

21.

Magyarországi Péter esperest a siciliai királyi udvarban káplánnak kineveztetik. 1343.

Petrus Archidiaconus, nepos fratris Viti Episcopi Sutriensis, de Regno Vngarie pro variis meritis suis recipitur

in Capellanum, commensalem et familiarem. IV. Augusti anni MCCCXLIII.

(A »Reg. Angioini« H. 335. sz. a. kötetéből Reg. Johannae I. 37. l.)

22.

Több magyar eredetü lakos Siciliában. 1343.

Johanna etc. Magistris Portulanis Apulie fidelibus nostris etc. Ad deuote supplicationis instantiam nouiter facte nobis per discretum virum Prepositum Budensem, Consiliarium et fidelem nostrum, asserentem, Andream de Adria et Bartholomeum filium eius habitatores Terre Ortone de partibus Aprutij fideles nostros, omnes pro maiore parte Vngaros, persepe venientes in Regnum in domum eorum letantur suscipere et specialj quadam affectione tractare; eisdem Andree et Bartholomeo duximus concedendum quod pro usu eorum hospicij extrahi facere valeant de portu Barolj uel Manfridonie frumenti salmas vigintiquinque, et hordei salmas totidem, prout inferius describitur stb. Datum Neapoli in Camera nostra anno Domini MCCCXXXXIII. die VIII. Augusti XI. indictionis Regnorum anno primo.

(A »Reg. Angioini« G. 334. sz. a. kötetéből Reg. Johannae I. 29. l.)

23.

A velenczei kormánytanácsnak szerbiai ügyekre vonatkozó határozata. 1343.

Anno MCCCXLIII. die IV. Septembris. Capta: Quod respondeatur ser Marino Venerio Ambaxatori nostro ad dominum Regem Raxie, quod postquam principale negocium, pro quo fuit missus, est expeditum, Venecias reuertatur. Et dicto domino Regi scribantur littere, regraciando sibi

de liberali oblacione sua ad graciam nostram, et congaudendo de nupcijs, quas fecit domino filio suo cum sorore domini Imperatoris Constantinopolis, cum illis pulcris verbis, que videbuntur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXI. köt. 124. lev.)

24.

A velenczei kormánytanácsnak utasitása dalmatiai biztosaihoz a Nelipcs tininiai gróffal kötendö békesség tárgyában.
1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die IX. Septembris, XII. indictione. Capta : Quod scribatur Provisoribus nostris Sclauonie, quod pax tractata per ipsos cum Comite Nelipcio, placet nobis, et propterea suam provisionem et solicitudinem commendamus. Verum cum castrum Comitis Constantini posset importare preiudicium, cum per ipsum, facta iam pace, possent fieri damna nostris fidelibus de Scibenico isto medio, ante quam compleretur terminus VI mensium, infra quem Comes Nelipcius promittit ipsum castrum facere ruinari: scribatur dictis Provisoribus, quod si possunt, obtineant de faciendo ruinari ipsum castrum statim; et si hoc obtinere non possent, faciant saltem removere illud verbum, quod dicit, quod dictus Comes Nelipcius teneatur ruinari fecisse infra VI menses, salvo si per Dominium non foret dicto Comiti Nelipcio terminus prorogatus, ponendo in pace solum et precise, quod ipse teneatur hoc fecisse infra dictum terminum VI mensium, ut superius dictum est. Et quod etiam procurent, si poterunt, obtinere, quod pax procedat, secundum quod a principio continetur, ubi contra quod ipse Comes Nelipcius promittit pro Comite Constantino, sine illa additione, que continetur in fine; videlicet, quod si Comes Constantinus esset ab ipso Comite Nelipcio in toto divisus, et quod ab ipso nichil haberet, quod non teneatur pro ipso Comite Constantino. Et si poterunt, procurent etiam, quod depositum totum sit obligatum tam pro ruinatione castri, quam pro aliis omnibus contentis in pace,

vel pro ea parte, qua foret contrafactum. Et si forte, facto per ipsos suo posse de obtinendo predicta vel aliquod predictorum, ipsi obtinere non possent, volumus attamen, quod dictam pacem firmare debeant secundum modum, quem nobis scripserunt, et quod propterea mandamus eis, quatenus in bona fortuna dictam pacem firmare debeant cum illis omnibus cautellis, que fuerint opportune, adhibentes bonam curam, et cum omni diligentia procurantes, quod depositum et alia omnia fiant, que continentur in pace; ad hoc ut remaneamus bene securi de pace predicta. Et quod quia nostre intentionis est, quod depositum integraliter fiat, ut debet, et emendatio nostrorum fidelium de Scibenico, et alia, que fuerint facienda, et poterunt fieri ante recessum suum: volumus, et sic mandamus eis, quod inde non debeant discedere sine nostro speciali mandato. Et mittantur dictis nostris provisoribus littere aperte, dantes eis bayliam et liberam potestatem firmandi dictam pacem, et pro observatione ipsius recipiendi quamlibet promissionem et securitatem opportunam, et promittendi alteri parti observantiam dicte pacis, et alia quelibet faciendi, que quoquo modo fuerint opportuna. Et quia bonum est dare eidem Comiti Nelipcio omnem bonam causam, quod ipse perpetuo sit benivolus et amator huius Dominii; rescribatur dictis provisoribus, quod ipsi promittant eidem, quod, statim firmata pace cum ipso, dictus Comes Nelipcius et suus filius recipientur in cives Veneciarum secundum suam promissionem, quam dicti provisores fecerunt eidem. Et quia terminus soldatorum peditum, qui sunt ibi, complet ad diem XVI. huius mensis, scribatur dictis provisoribus, quod dictos soldatos teneant, solvendo eis per diem et horam de tempore, quo ipsos tenebunt; et percepto a provisoribus, quod pax fuerit integraliter confirmata, providebitur postmodum de dictis soldatis et aliis prout videbitur convenire. Insuper concedatur illis de Scibenico secundum litteram provisorum, cum de hoc illi de Scibenico videantur esse contenti, quod in casu, quo Comites Banichi non possent habere aliam plezariam pro dando Comiti Nelipcio, quod ipsi possint facere plezariam pro ipsis de libris X mille, secundum quod continetur in pace.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXI. köt.)

25.

A velenczei kormánytanácsnak utasítása ugyanazokhoz, hogy Geryelyt corbaviai grófot is foglalják a Nelipcs gróffal kötendő békességbe. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. indictione XII. die XI. Septembris. C a p t a : Cum recepimus litteras a Consule nostro Apulie, et a Comite Gregorio Corbavie, qui est ad presens in ipsis partibus, per quas videtur, quod dictus Comes Gregorius libenter (vellet) poni in pace, quam faciemus cum Comite Nelipcio Tiniensi; et nos teneamur ei multum, cum ipse valde bene et curialiter se habuit in hoc facto Scibenicensi, et aliis honoribus Dominii, sitque etiam civis noster, ob quod magis tenemur ad procurandum quodlibet suum bonum: vadit pars, quod scribatur provisoribus nostris, quod si in receptione presentis nondum firmavissent pacem cum Comite Nelipcio, procurent cum omni sollicitudine, quod ipse Comes Gregorius, et gentes sue, ponantur in pace predicta, contentante eo dare illam plezariam, que ponetur et dabitur per nostros fideles et alios coherentes nobis pro observatione dicte pacis. Et si forte in receptione presentis pax iam foret firmata, procurent similiter suo posse, quod dictus Comes et sue gentes addantur in dicta pace, quia erit honor nostri Dominii, et maior nostra qualitas, et bonus status partium Sclauonie. Verum si dictis provisoribus videretur, quod illa clausula generalis, que facit mentionem de illis, qui adheserunt nobis, esset satis sufficiens vel provideretur eis, de non movendo aliqua verba; relinquimus in sua libertate, quod de hoc faciant, sicut sibi melius pro bono facti videbitur convenire.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXI. kötetéből.)

26.

A velenczei kormánynak egyezkedése idegen fegyveresekkel (u. n. condottierikkel), kiket dalmatiai ügyeiben akar használni. 1343.

Cum tractatus fuisset inter viros nobiles dominum Andreasium Mauroceno Capitaneum electum per Ducale Dominium pro eundo ad partes Sclauonie, Justinianum Justiniano, et Marcum Celsi, ad hoc per dictum Dominium specialiter deputatos ex una parte, et providos viros Luzium Rhodulfi, Suavis de Guienehem, et Osvaldum Vxonis Zerini de Allemania ex altera; videlicet quod ipsi et ipsoram quilibet debebant venire et stare in dictis partibus Sclauonie ad stipendium Communis Venetiarum pro comnestabilibus duarum bandierarum de equitibus viginti quinque pro quolibet cum certis pactis et conditionibus, scriptis et eisdem comnestabilibus exhibitis per Marum Zane Notarium infrascriptum, dato eisdem certo termino, ad quem Venetiis esse debebant cum equis, armis et sociis eorundem secundum continentiam pactorum predictorum, et non venerunt furniti plenarie et ordinate, ut debebant, propter quod CommuneVenetiarum in nihilo teneretur eisdem stb (mégis 400 ducatust határoz neki Velenczében september 15-én 1343.)

Simile instrumentum sub eodem dato factum Henrico Zucharo comnestabili equestri.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 65. és 66. lev.)

27.

Erzsébet maggar anyakirálynénak kérésére a velenczei kormánytanács elnapolja Frangepán Doym gróf számára a megjelenésére kitűzött határidőt. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XXIII. Septembris. Capta: Quod ad peticionem, preces domine Regine Hunga-

rie, que est Neapoli, elongetur terminus Comiti Duymo de Vegla veniendi ad nos pro iuramento fidelitatis usque ad Nativitatem Domini proxime cum penis, ligamine, condicionibus omnibus ultra captis.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyvből XXI. kötetéből.)

28.

A velenczei köztársaság és Nelipcs tininiai gróf közti békesség. 1343.

Forma pacis facte cum Comite Neliptio.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo tercio, indictione undecima, die sabati quarto Octubris. Cum inter alias virtutes et humanas operationes pax obtineat principatum, quam pacem tamquam munus precipuum Deus noster Omnipotens in sui Nativitate pre ceteris in terris per suos angelos voluit nunciari; et nuper instigante humani generis inimico, qui zizaniam ubilibet satagit seminare, pro dampnis, violenciis et iniuriis illatis hactenus et commissis Communi et hominibus Sibenici, fidelibus domini Ducis et Communis Veneciarum, per Comitem Nelipcium Tiniensem, et eius nepotem Comitem Constantinum, et gentes sequaces eorum, guerre et discensio foret orta inter prefatum Illustrem et Magnificum Dominum, dominum Andream Dandulo, Dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie Inclitum Ducem et Dominum Quarte Partis et Dimidie totius Imperii Romanie, et ipsum Commune Veneciarum et fideles eius predictos ex parte una, et prefatum Egregium et potentem virum dominum Nelipcium Comitem Tiniensem ex altere, recogitans idem dominus Comes Nelipcius, quot bona ex pace proveniunt, et per consequens quot mala per guerram generantur, et pericula, in quibus tota contracta Sclauonie propterea subiacebat, Deum habens pre oculis, et ipsius vestigia cupiens imitari, cum Egregiis et nobilibus viris dominis Nicolao de Priolis et Nicolao Pisani, civibus honora-

bilibus Veneciarum, et de mandato eiusdem domini Ducis et Communis Veneciarum ad partes Sclavonie Provisoribus destinatis, recipientibus nomine et vice dicti domini Ducis et Communis Veneciarum, et fidelium suorum predictorum, et aliarum parcium Sclavonie, nec non sibi adherencium, habentibus libertatem ab ipso domino Duce et Commune Veneciarum pacem cum predicto domino Comite Tiniensi et eius nepote Comite Constantino et gentibus eorumdem concordiam et firmandi, de qua libertate constat ex quadam littera aperta, et sua bulla plumbea solita communita tenoris infrascripti, a me Notario infrascripto visa et lecta, ad pacem et concordiam in hunc modum venire curavit.

Primo quidem promisit idem dominus Nelipcius Comes pro se et eius nepote Comite Constantino, et omnibus eorum gentibus et sequacibus, prefatis dominis Nicolao de Priolis et Nicolao Pisani Provisoribus recipientibus nominibus quibus supra, quod habebit, tenebit, firmabit et inviolabiliter observabit bonam, puram et integram pacem cum Communi et hominibus Scibinici, fidelibus dicti Ducalis Dominii, et cum omnibus aliis Civitatibus, terris et locis et earum civibus et fidelibus Sclavonie subiectis dicto Ducali Dominio; et quod dicto Communi et singularibus hominibus Scibinici, nec aliis terris et fidelibus suprascriptis, vel earum et eorum alicui non faciet nec fieri permittet, nec etiam attentabit per se vel per eius nepotem Comitem Constantinum, vel gentes et sequaces eorum, vel alicuius eorum, seu alios nomine suo vel cuiuscunqne eorum, iniuriam, dampnum, violenciam seu molestiam aliquam sub pena infrascripte plezarie modo aliquo vel ingenio.

Item quod omnes cives et mercatores Scibinici et aliarum terrarum Sclavonie predictarum, fideles domini Ducis et Communis Veneciarum, possint ire, stare et redire libere, secure et expedite cum suis mercationibus, rebus et bonis per Castrum Tenini, et per alia castra, loca, Districtus et territoria dicti domini Comitis Neliptii, et eius nepotis Comitis Constantini, et suorum sequacium, sine solutione alicuius dacii, tregovine, telonei, seu quocunque alio nomine nuncuparetur directe vel indirecte, nisi secundum quod solvebatur per tem, pora preterita ante guerram presentem.

Item si tempore aliquo damna, molestie, iniurie seu offense fierent Communi et hominibus Scibinici, vel aliquibus allis fidelibus et civibus aliarum Civitatum, terrarum et locorum predictorum, fidelibus dicti domini Ducis et Communis Veneciarum, vel eciam attentarentur per dictum dominum Comitem Nelipcium, et eius nepotem Comitem Constantinum, vel eorum aliquem, seu per gentes et sequaces eorum, vel cuius cunque eorum, vel alios nomine suo vel alicuius eorum, de quibus querela fieret Comiti terre illius, sub cuius dictione dicta damna vel offense forent commisse vel commissa, quod idem Comes terre predicte dicta damna et offensas dicto domino Comiti Neliptio notificare teneatur. Qui dictus Comes Nelipcius teneatur, facta notificatione predicta, comparere personaliter per se vel eius nnncium seu procuratorem sufficientem coram Comite prelibato ad faciendum suam excusationem de dicto facto infra unum mensem; et si per dictum dominum Nelipcium Comitem vel eius procuratorem talis excusatio fieret, quod dicto Comiti terre predicte rationabilis et iusta apparet, quod idem Comes terre illius libertatem habeat dictum dominum Nelipcium Comitem a petitione predicta libere reddere absolutum. Et si finaliter sententiaretur, prefatum dominum Comitem Nelipcium ad reffectionem dicti damni existere debitorem; quod tunc dictus dominus Comes Nelipcius dampnum ipsum infra mensem unum satisfecisse seu persolvisse integre teneatur; et si non solveret, cadat de tercio. Verum si de dicta sententia Comitis predicti teneret se gravatum, ad Ducale Dominium possit habere recursum. Et si per dictum Ducale Dominium diffiniretur, quod male per dictum Comitem sententiatum fuisset; non solum dictus dominus Nelipcius Comes a petitione dampni predicti absolvatur, sed etiam expense, quas supportasset, refficiantur, et sibi per partem eius adversam, per quam querela facta fuisset, integre persolvantur; et e contrario, si in contrarium dicti domini Nelipcii Comitis diffiniretur, quod non solum dictum dampnum, sed etiam expensas factas iu dicto facto infra predictum mensem solvisse teneatur.

Item quod Egregius et potens vir dominus Paulus Comes Ostrovize, et Egregius et potens vir dominus Mladinus

Clissie et Scardone Comites, qui dicto domino Duci et Communi Veneciarum in guerra ista se adheserunt, et Egregius et potens vir dominus Gregorius Comes Corbavie, et quilibet ipsorum cum omnibus gentibus, castris, terris et locis suis et cuiuslibet ipsorum, sint et esse debeant in dicta pace, et eis et eorum cuilibet et gentibus suis, castris, terris et locis servari debeat per predictos Comitem Nelipcium, et eius nepotem Comitem Constantinum, et gentes et suos sequaces, et eorum quemlibet, pax supradicta in omnibus et per omnia et sub illis penis, promissionibus, obligationibus, et cautelis suprapositis, et que pro terris et fidelibus dicti domini Ducis et Communis Veneciarum inferius ponerentur. Dantibus ipsis nichilominus et eorum quolibet talem fidem, iussionem seu pignus de non offendendo dictum dominum Nelipcium Comitem, et nepotem, et gentem et sequaces eorum, quale vel qualis dabitur per dictum Comitem Nelipcium supradictum, et si dare recusarent, sint extra pacem.

Item cum dampna data Scibinicensibus per dictum dominum Comitem Nelipcium, et nepotem suum Comitem Constantinum, et gentes suas, taxata fuerint per Egregium et nobilem virum dominum Marcum Cornario honorabilem Comitem Scibinici in libris quindecim millibus parvorum, cuius pecunie quantitas per formam pacis nuper tractate et firmate cum aliis Provisoribus solvere promiserat, et contentus extiterat, quod de dictis damnis taxatis in predictis libris quindecim millibus teneatur dictus dominus Comes Nelipcius solvere solum libras tredecim millia in denariis, verum si animalia dare vellet, dare teneatur animalia tot magna et parva, que valeant quantitatem predictam tredecim millium librarum, que vero animalia extimari debeant per tres extimatores per ipsos dominos Provisores elligendos, incipiendo dare de dictis animalibns usque ad dies decimum mensis Septembris et complesse usque ad integram et perfectam solucionem librarum predictarnm tredecim millium ad terminum supradictum supplere debeat et complere, et insuper dampna data post pacem predictam firmatam sibi remittantur. Pro quarum duarum millium librarum et aliorum dampnorum datorum post pacem predictam remissione teneatur dictus dominus Nelipcius Co-

mes castrum dicti sui nepotis Comitis Constantini in totum usque funditus hinc usque ad kallendas mensis Marcii nuper venturi facere ruinari, et quod tempore illo non possit per dictum dominum Comitem Nelipcium, vel eius nepotem Comitem Constantinum, seu gentes suas, vel alios nomine suo rehedificari facere castrum predictum, vel aliud de novo construere in dicto loco vel alio, de quo et per quod Communi et hominibus Scibinici posset inferri dampnum aliquod seu iactura sine licencia et concensu dicti Ducalis Dominii. Et de hoc fideiussionem seu pignus de libris decem millibus dare teneatur, quod dictum castrum in totum erit usque ad dictum terminum funditus versatum sub pena predicta, salvo si de dicti castri ruinatione per dictum Ducale Dominium sibi non foret terminus elongatus, possendo dare pro dicta fideiussione et Communia terrarum Tragurii, et Spalati et speciales personas, de quibus habeant contentari domini Provisores prefati, sicut sibi videbitur.

Item quod dictus dominus Comes Nelipcius depositum quoddam in Veneciis de libris viginti millibus facere teneatur, quos denarios dictum Ducale Dominium recipi faciet et deponi ad cameram suam frumenti cum lucro et condicionibus omnibus dicte camere consuetis, dando de dicto deposito usque ad diem quartum dicti mensis Septembris ducatos mille, et residuum, quam cito poterit in aliqua terrarum Tragurii et Spalati deposuisse.

Item quod predictorum omnium observancia teneatur idem dominus Comes Nelipcius in possessionibus vel pecunia vel aliis sufficientibus securitatibus, de quibus contentari habeant domini Provisores prefati, plezariam prestare de libris decem millibus in civitatibus Scibinici, Tragurii, vel Spalati, cum conditione, quod si non observarentur, omnia supradicta per ipsum dominum Comitem Nelipcium, et eius nepotem Comitem Constantinum, vel aliquem eorum, seu per gentem et suos sequaces in omnibus et singulis capitulis suprascriptis quod licitum sit dicto Communi Veneciarum excutere seu excuti facere de possessiouibus predictis vel pecunia, vel ab illis, qui se constituissent vel se constituerent fideiussores omne id, in quo foret propterea contrafactum et non observa-

tum. Prefati ergo Egregii et nobiles viri domini Nicolaus de Priolis et Nicolaus Pisani cives Veneciarum et Provisores supradicti, pro se et nominibus quibus supra, promiserunt domino Neliptio Comiti supradicto, quod facta solutione de dampnis predictis, et facto deposito, et datis plezariis, ut suprascriptum est, quod omnia bona dicti Comitis Nelipcii, sui nepotis, vel sue gentis, ubicumque forent sequestrata de mandato dicti Dominii Ducalis occasione processuum, libere relaxabuntur, et quod ipse et omnes eius gentes possint ire et intrare ciuitates et de eis exire cum suis personis, rebus et bonis, ut ibant et exibant ante dictos processus. Et si aliqua occasione istarum novitatum tam per unam partem, quam per aliam forent propterea positi in banno aliquo, de ipso libere extrahentur.

Item quod omnes carcerati per partem utramque, si qui forent, libere debeant relaxari.

Item promiserunt nominibus quibus supra, quod dictus dominus Comes Nelipcius et eius filius in cives recipientur Veneciarum.

Item ut omnia cum caritate fiant, et pax predicta sit perpetuo inviolabiliter duratura, contenti fuerunt domini Provisores predicti, et sic eidem domino Nelipcio Comiti nominibus quibus supra promiserunt, quod cum idem dominus Nelipcius Comes pro dicto suo nepote Comite Constantino se obligaverit in omnibus capitulis suprascriptis, quod si tempore aliquo reperiretur ipsum Comitem Constantinum recessisse in totum a Comite Nelipcio supradicto, et nichil teneret vel possideret ab eo dictus eius nepos Constantinus, vel aliud cum eo agere non haberet, quod idem dominus Comes Nelipcius in nullo pro dicto suo nepote Comite Constantino sit nec esse debeat obligatus.

Que omnia et singula suprascripta promiserunt predicte partes per se et quemque ipsorum, heredes et gentem, ac nominibus quibus supra ad invicem et vicissim solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus attendere et observare, et in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione, occasione vel causa sub pena librarum mille denariorum Venetorum par-

vorum, dampnorum, interesse et expensarum literaliter et extra, stipulatione premissa in singulis capitulis supradictis solvenda pro parte contrafaciente parti fidem observanti, ita tamen, quod dicta peua semel soluta vel non, nichilominus omnia et singula suprascripta plenam obtineant roboris firmitatem. Et insuper ad majorem cautellam, robur et firmitatem perpetuam presentis pacis et concordie et omnium supradictorum predicti domini Provisores in animabus dictorum domini Ducis et Communis Veneciarum et fidelium suorum predictorum ex parte una, et predictus dominus Nelipcius Comes pro se ipso et gente sua ex altera, juraverunt ad Sacra Dei Evangelia, tactis Sacrosanctis Scripturis, in loco infrascripto, in presencia plurium virorum nobilium, mei Notarii, et testium infrascriptorum, predictam pacem et concordiam et omnia supradicta et singula in presenti contractu contenta et inserta per se et eorum et cuiusque ipsorum heredes et gentes firma et rata perpetuo habere et tenere, et non contrafacere aliquo modo, causa vel ingenio, seu aliquo quesito colore, sed omnia supradicta et singula, in presenti contractu contenta, bona fide sine fraude, dolo vel malicia aliqua attendere et observare: obligantes una pars alteri ad invicem et vicissim pro predictis omnibus et singulis per se ipsos, et nominibus, quibus supra, et eorum et cuiusque ipsorum heredes, bona mobilia et immobilia, presencia et futura.

Actum in loco vocato Slap in flumine Kerka, ubi sunt molendina in Districtu sive a latere Scardone circa etiam molendina Communis Scibinici. Presentibus Reverendo in Christo patre domino fratre Nicolao Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopo Tiniensi; Egregiis et nobilibus viris dominis Budislavo condam Comitis Ugrinich, et Dminoe condam Martini Ludovich, sapiente viro Angelo Amici de Italiis Cancellario Communis Scibinici, nobilibus viris dominis Caxota quondam Nicole Caxote de Tragurio, et Johanne condam Egidij de Spalato, providisque viris Francisco Alberti de Padua, Millantano condam Johannis de Parma, Vitale Nigro filio Marini Nigro de Veneciis, et Rodulfo Betini de Bononia, et aliis testibus ad predicta vocatis specialiter et rogatis.

Ego Guido Ciuranus, Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Veneciarum Scriba, predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV köt. 1. r. 208. 8k. 11.)

29.

A velenczei kormánytanácsnak dalmatiai ügyekre vonatkozó határozatai. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XX. Octubris. Capta. Quod scribatur Provisoribus nostris Sclauonie ad litteras per eos nobis destinatas, recommendando iqsorum promptam solicitudinem, quam habuerunt et habent circa expedicionem executionis contentorum in pace, et de modo, quem tenuerunt circa correctionem illorum trium punctorum pacis cum Comite Nelipcio in ruynatione castri, et quod remaneret obligatus pro suo nepote, et quod depositum esset etiam pro omnibus obligativum, que quidem obtinere non valuerunt. Et licet alias super predictis captum foret, quod si dicti Provisores non possent obtinere correctionem predictam, quod non remaneant de complendo ipsam pacem, qui Provisores secundum nostrum mandatum sic fecerunt; attamen quia habundans cautella non nocet, committatur dictis Provisoribus, quod circa expeditionem ruynationis castri et executionem plezerie ac emende damnorum debeant procurare, studere et solicitare, sicut pro honore nostro viderint cenvenire, et de ipsorum fidelitate plurimum confidimus et speramus.

Capta: Ceterum quia scitur, quod iste uniones facte cum Sclavis, et que fierent, sunt pocius damnoxe terris nostris Sclauonie quam fructuoxe, et nunc pax sit firmata et completa cum Comite Neliptio et cum nostro honore et bono nostrorum fidelium Sclauonie, que prosperabitur de bono in melius, Domino concedente, sine aliqua unione: vadit pars, quod scribatur Provisoribus predictis, quod expediti de superius sibi commissis, vadant per nostras terras Sclauonie, scilicet Tra-

gurii, Spalati et Sibenichi, ortando fideles nostros de pace tractata et completa, et cum tanto nostro honore et bono ipsorum, cum illis pulcris verbis, que viderint convenire, retrahendo animum nostrorum fidelium a qualibet unione, in qua cognoscerent, ipsos velle esse cum Sclavis, ut si essent seu loquerentur de essendo. Similiter etiam procurent et solicitent dicti Provisores suo posse de faciendo reformari quecumque cognoverint esse et fieri in illis ciuitatibus, que redundarent contra honorem nostre Dominationis, et quod dicte ciuitates remaneant in eo esse, sicud debent.

Capta: Item scribatur Provisoribus predictis, recommendando ipsos de eo, quod fecerunt Comitem Gregorium Curiachi poni in pace, ut sibi scripsimus; et propterea ante ipsorum recessum scribant primogenito dicti Comitis Gregorii, quod quam velocius esse potest, debeat mittere et presentire a patre suo, si intendit esse in pace predicta nec ne, et quidquid ab ipso eius patre habuerit, dictis provisoribus nostris debeat per suas litteras intimare.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXI. kötetéből.)

30.

Mladin és Pál scardonai grófok a velenczei polgárok közé felvétetnek. 1343.

Privilegium citadinantie dominorum Mladini et Pauli Comitum Scardone.

Andreas Dandulo Dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie Dux etc. universis et singulis tam presentibus quam futuris, et tam amicis quam fidelibus, presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius Ducalis Providentia consuevit personas nobiles et egregias sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsarum, que fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberaliter exaudire, quanto Ducatui nostro devotiores fide et

operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam Egregii et potentes viri Mladinus et Paulus fratres, et filii condam bone memorie Magnifici Comitis Georgii, Comites Clissie, Scardone et Almisii, ad nostre Magnitudinis Excellentiam habere promptis affectibus se ostendunt, qui semper in agendis, que nos, Ducatum nostrum, et singulares personas Ducatus eiusdem tangunt, devotos et promptos laudabiliter et incessanter se prebuerunt et prebent, supplicationibus nobis eorum parte porrectis gratiosius annuentes, eos et quemlibet eorum, tanquam benemeritos, cum ipsorum heredibus, nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solennitate servata, perpetuo in nostros cives et Venetos recepimus atque recipimus, et Venetos et cives nostros fecimus, et facimus, et pro Venetis et civibus nostris in Veneciis et alibi deinceps haberi et procurari, omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsos et eorum quemlibet sincere benevolentie brachiis amplexantes; et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscunque, quibus alii cives Veneciarum gaudent et perfrui dignoscuntur, prefati Egregii et potentes viri Mladinus et Paulus, et quilibet eorum, cum dictis suis heredibus in Veneciis et extra ubilibet perpetuo gaudeant et utantur. Nobis quoque predicti Egregii et potentes Mladinus et Paulus Comites, et quilibet eorum, solenniter ad Sancta Dei Evangelia prestiterunt fidelitatis debite iuramentum. In certitudinem premissorum et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, bullaque nostra pendenti aurea communiri. Datum in nostro Ducali pelatio, auno Dominice Incarnacionis millesimo trecentesimo quadragesimo tercio, die quinto mensis Decembris, XII. indictionis.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből IV. köt. 1. r. 145. lev.)

31.

A velenczei kormánytanácsnak határozata a Nelipes tininiai gróffal kötött békesség tárgyában. 1343.

Anno Domiui MCCCXLIII. die VI. Decembris. Capta: Ad Ambaxatam expositam coram Ducali Dominio per Ambaxatores Comitis Neliptii Tiniensis consulunt Sapientes et olim Provisores Sclavonie.

Et primo ad capitulum, per quod dictus Comes Neliptius dispositus ad omnia mandata nostri Dominii, se recommendat cum filio suo et omnibus, que possidet etc., quod per istam dominationem respondeatur Ambaxatoribus predictis, quod novit Deus ipsum Comitem Neliptium, cum suo filio, et omnibus, que possidet, amantes dilectione sincera, semper recommendatum babuimus et habere intendimus, sicut semper fuit et est nostre firme intencionis, dispositi ad omnem eius conservacionem et statum pacificum tamquam devoti et benevoli nostri etc., cum aliis pulcherrimis verbis, que Dominatio viderit convenire.

Capta: Super eo, quod Comes Neliptius petit et requirit de gratia, quod Castrum sui nepotis Comitis Constantini non prosternatur, sed continuo remaneat in manibus suis et tutella etc., dicuni predicti Sapientes et Provisores, quod cum factum ruynationis fiende de dicto castro fuerit unum, de quo dicti Provisores habuerint maiorem laborem ad faciendum dictum Comitem Neliptium ad id condescendere, et quod reputatur magis in honorem Vestre Excellentie, non videtur eis de faciendo aliquam novitatem, sed quod castrum predictum ruynetur ad terminum ordinatum. Et propterea consulunt, quod per Dominacionem fiat illa curialis responsio Ambaxatoribus predictis, quam viderit convenire, et quod intentio huius Dominii est, quod dictum castrum penitus debeat ruynari ad terminum, ut est firmatum.

Capta: Super eo, quod petitur, quod quando Dominatio pur vellet, quod castrum Comitis Constantini prosternaretur, quod etiam castrum Sibenicensium, factum de novo, debeat ruynari etc., dicunt Sapientes et Provisores, quod haben-

tes, quod per castrum Sibenicensium nullum damnum Comes Neliptius, nec alii vnquam receperunt, nec esset honor huius Dominii ipsum prosterni facere; consulunt, quod per istam Dominationem respondeatur ambaxatoribus predictis cum illis pulcris verbis, que viderit convenire; asserendo inter alia, quod cum constructio et hedificatio castri Sibenicensium predictorum non facta fuerit alia de causa, quam pro conservatione et custodia Districtus Sibinichi, et bonorum, que in eo sunt, cum idem Districtus sit valde sparsus et magni circuitus, ut sciunt, et cum non videamus, quod propter ipsum non fuerit damnum aliquod in contrata commissum, nec etiam propter ipsum sit ad presens dubium aliquod, non videtur nostro Dominio de faciendo ullam novitatem. Et si pro tempore futuro cognoverimus, quod propter novitates vel aliqua alia, que apparerent, in contracta, castrum predictum conditionem et dubium portaret, de ipso providebitur per nostrum Dominium, sicut viderit fore opportunum.

Capta: Ad id, quod dictus Comes Neliptius petit, quod ipse et eius filius recipiantur in numero nostrorum eivium etc., consulunt Sapientes et Provisores predicti, quod fiat eis, sicut promissum est.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXI. kötetéből.)

32.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedése Bulgariában megkárosított velenczei kalmároknak kármentesítése tárgyában. 1343.

Anno Domini MCCCXLIII. die XV. Decembris Capta: Cum ser Ursatus de Boninsegna et alii fuerunt dampnificati per gentem Imperatoris Bulgarorum, et fuit commissum Baiulo Constantinopolis, quod examinaret et taxaret psa dampna, et ipse id non potuerit facere : vadit pars, quod icommittatur Provisoribus Communis, quod dictam examina-

tionem et taxationem dictorum dampnorum faciant, sicut facere debebat Baiulus antedictus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXI. kötetéből.)

33.

De Baucio Bertrand Endre calabriai herczeg szolgálatában. 1343.

Johanna stb. Vir nobilis Bertrandus de Baucio miles, Consiliarius et familiaris domesticus nuper assumptus in comitiua reverendi domini viri nostri, habet annuas vncias auri ducentas. XXIII. Decembris MCCCXLIII.

(A »Registri Angioini« A. 336 sz. Reg. Johannae I. kötetéből 70. lev. Ez ugyanaz, kit később mint Magister Justitiariust VI. Kelemen pápa avval bizott meg, hogy Endre siciliai királynak gyilkosai ellen eljárjon.)

34.

Nelipcs tininiai gróf velenczei polgárnak felvétetik. 1343.

Privilegium Citadinantie domini Nelipcii Comitis Tinini.

Andreas Dandulo Dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie totius Imperii Romanie, universis et singulis tam presentibus quam futuris, et tam amicis quam fidelibus, presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius Ducalis Providentia consuevit personas nobiles et egregias sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberaliter exaudire, quanto Ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam Egregius et Potens

vir Neliptius Comes Tinini ad Nostre Magnitudinis Excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui semper in agendis, que nos, Ducatum nostrum et singulares personas Ducatus eiusdem tangunt, devotum et promptum laudabiliter et incessanter se prebuit et prebet; supplicationibus nobis eius parte porrectis gratiosius annuentes, ipsum tanquam bene meritum cum suis filiis et heredibus, nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solennitate servata, perpetuo in nostrum civem et Venetum recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro in Veneciis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benivolentie brachiis amplexantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus beneficiis, immunitatibus et honoribus, quibus alii cives Veneciarum gaudent et perfrui dignoscuntur, Egregius vir Neliptius Comes prefatus cum suis filiis et heredibus in Veneciis et extra ubilibet perpetuo gaudeat et utatur, nobis quoque predictus Neliptius Comes solleniter ad Sacra Dei Evangelia prestitit fidelitatis debite iuramentum. In certitudinem autem premissorum et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, bullaque nostra pendenti aurea communiri. Datum in nostro Ducali palatio anno Dominice Incarnationis MCCCXLIII. die XXV. mensis Decembris, XII indictione.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 160. lev.)

35.

Menciai Márton a bolgár czárné udvarnoka engedélyt nyer négy lónak Siciliából kivitelére. 1343.

Martinus de Mencia familiaris domesticus Imperatricis Bulgarie habet permissionem extrahendi de portubus Apulie quatuor equos ad Ragusium traducendos, MCCCXLIII.

(A »Registri Angioini« F. 333. sz. Reg. Johannae I. kötetéből 239. lev.)

36.

Siciliai megbizottak küldetnek Magyarországba. 1343.

Venerabilis Pater J. Episcopus Melfiensis, et Petrus Guaschi Juris Ciuilis Professor ac Curie Vicarius, Judex, Consiliarius etc. mittuntur ad partes Vngarie pro certis inibi expediendis seruicijs. MCCCXLIII.

(A »Reg. Angioini« F. 333. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 243. lev.)

37.

Ugodi Rikard siciliai főúr. 1343.

Riccardus de Hugot (Ugod) Baro Terre Ydrunti, testamentarius tutor et balius Petrucij et Catherinelle filiorum et heredum quondam Caroli de Rigiboyo in pupillari etate sistentium. MCCCXLIII.

(A »Reg. Angioini« C. 338. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 75. lev.)

38.

Follie Mária, Druget Vilmos magyarországi nádornak özvegye, siciliai hübéri birtokára nézve bizonyos kedvezményekben részesíttetik. 1344.

Johanna etc. Thesaurarijs nostris, nec non Regentibus Curie Vicarie etc. fidelibus nostris graciam etc. Ad supplicis peticionis instanciam facte nobis nouiter per Mariam Follie relictam quondam viri nobilis Guillelmj Drugetti Magni Comitis Regni Vngarie fidelem nostram, tam contemplacione Inclite Domine, domine Regine Vngarie matris nostre, quam propter fidei et deuocionis merita supplicantis ipsius, feudale seruicium seu adoliani (?) debitum per eam Curie nostre pro Casali Pascarole partium Ciuitatis Auerse, quod pro iuribus

suarum dotium de eadem nostra Curia et tenet et possidet, sicut dicit; nec non et deleuium (?) debitum eciam per eam dicte nostre Curie pro Casali iam dicto, de consilio et assensu etc, graciose duximus remictenda etc. Datum Neapoli in Camera nostra anno Domini M°CCC°XLIIII° die III. Januarii XII. indictionis.

(A »Reg. Angioini« A. 336. sz. a. Reg. Johannae I. kötet. 39. lev.)

39.

A velenczei kormánytanács Frangepán Doym számára ismételve elhalasztja a Velenczében megjelenési határnapot. 1345.

Anno Domini MCCCXLIII. indictione XII. die XV. Januarii. Capta: Quod elongetur terminus Comiti Duymo veniendi personaliter ad nostram presentiam usque ad festum Sancti Petri proximum sub penis contentis in concessione, et ex nunc habetur pro caduto ad dictam penam, si non veniret, sine veniendo ad istud Consilium amplius, sed debeat fieri executio predictorum totaliter, et non possit amplius elongari nec revocari predicta sub pena librarum C pro Consiliariis et Capite, et aliquo alio, qui poneret partem in contrarium. Nec illis, qui caderent ad penam dictarum librarum C possit fieri gracia, sub pena librarum C pro quolibet Consiliario et Capite contrafaciente. Et si Consilium etc.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXI. kötetéből.

40.

Frater Jakab magyarországi domokosrendi Endre calabriai herczegnek udvari káplánja. 1344.

Die XXVIIII. eiusdem mensis (Januarij 1344.) ibidem solute sunt fratri Jacobo Vngaro de Ordine Predicatorum, Capellano domini Ducis (Calabrie), quas sibi pro expensis

suis, et vnius socij, ac vnius vallicti eorundem, et duorum equorum nuper ad partes Vngarie recedentibus idem dominus Dux gratiose exhiberi mandauit, vncie II.

(A »Reg. Angioini« 225. sz. Reg. Karoli Illustris kötetéből 7. lev.)

41.

Endre herczeg mint siciliai király. 1344.

Johanna etc. Baldono Bassano de Apta militi, Senescallo Hospitij, Consiliario et familiari Incliti domini Regis Andree carissimi viri nostri et nostro, de assensu et consilio quorum supra, conceditur, quod bona, que in Comitatu Forcalquerij ad vitam suam tenet, possint post obitum suum in posteros et heredes suos deriuari. Neapoli MCCCXLIIII. III. Februarij.

(A »Reg. Angioini F. 341. sz. a. Reg. Johannae I. 71. lev.)

42.

Készületek Erzsébet magyar anya-királynénak Magyarországba visszautazására. 1344.

Johanna etc. Herrico de Corneto Magistro Massario Massariarum Araciarum et Marescallarum nostrarum Apulie, familiari et fideli suo gratiam etc. Disponente nouiter Inclita domina Regina Vngerie, reuerenda domina matre nostra, Vngarie partes repetere, certas galeas Curie nostre pro transfetatione ipsius et gentis sue prouidimus destinandas, quibus volentes de oportuno biscocto prospicere: fidelitati tue de certa scientia nostra precipimus, quatenus de summa salmarum mille trecentarum frumenti prouisarum vendi per te pridem certo nostro mandato pro Curie nostre parte, si totum nondum est venditum, exhibeas et assignes vigore presetium tantam quantitatem Thomasio de Caüa et Nicodemo de Sa-

ponaria Magistris Portulanis et Procuratoribus Apulie, uel eorum alteri, quod ex ipsa quantitate cantaria biscocti quingenta, uel ad minus quatringenta pro dictis galeis confici ualeant et haberj etc. Datum Neapolj per Magistros Racionales Magne Curie Consiliarios familiares et fideles nostros anno Domini MCCCXLIIII. die XXV. Februarij XII. indictionis Regnorum nostrorum anno II.

(A »Registri Angioini« A. 366. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 102. l.)

43.

Erzsébet magyar anyakirályné ezen utazására vonatkozó rendelet. 1344.

Capitaneus exercitus Milatii tam maritimi quam terrestris, habet mandatum, quod de galeis existentibus in eodem exercitu eligat galeas tres magis ydoneas et magis aptas, inter quas sit galea vocata Panissa, easque ad partes Apulie mittat, ad assumendam et veheudam Inclitam Reginam Vngarie matrem nostram, eiusque gentem nouiter in Vngariam Deo propitio reddituram. MCCCXLIIII. XXVIII. Februarij.

(A »Registri Angioini« A. 336. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 86. lev. Hasonló rendelet u. o. 103. lev.)

44.

I. Johanna királynénnk ugyan azon tárgyban más rendelete. 1344.

Johanna etc. Notario Jacobo de Felicio de Neapolj fideli nostro gratiam et bonam uoluntatem. Scire te uolumus, quod ecce Capitaneo exercitns nostri Milacij tam maritimi quam terrestris damus per alias nostras licteras in mandatis, ut de galeis existentibus in eodem exercitu pro nostris serui-

tijs eligat galeas tres, quas ipse ad id magis ydoneas et magis aptas, promptiores ac paratiores ad recessum esse decreuerit, inter quas sit galea vocata Paunissa, easque simul cum duabus alijs galeis, quas hinc propterea destinamus ad eundem exercitum, mictat ad partes Apulie, ad assignandum inibi et vehendum Inclitam Reginam Vngarie, matrem nostram, eiusque gentem nouiter in Vngariam Deo propitio redituras. Quibus galeis tribus eligendis per predictum Capitaneum computata predicta Paunissa satisfieri prouidimus antequam propterea discendant ab eodem exercitu, de gagijs earum vnius mensis, que ascendunt ad rationem de vncijs auri nonaginta pro qualibet ipsarum galearum per mensem, pro dicto mense vno ad vncias auri ducentas septuaginta ponderis generalis. Cumque solutionem huiusmodi gagioram tibi, de cuius fide, sufficientia et legalitate confidimus, prouiderimus committendam; volumus et fidelitati tue de consilio et assensu gubernatoram et administratorum nostrorum presentium tenore mandamus, quatenus statim receptis presentibus requirens et recipiens a Thesaurarijs nostris in Camera nostra prefatas vncias auri ducentas septuaginta ponderis generalis, eisque tuam exinde faciens apodixam, deinde ad prefatam terram Milatij cum ipsa pecunia te personaliter conferas, et postquam inibi fueris, dictusque Capitaneus elegerit dictas galeas tres ad prefatas Apulie partes, vna eum predictis alijs duabus, quas hinc transmictimus, sicut predicitur, accessuras bene ac sufficienter armatas tam personis quam armis et alijs apparatibus conuenientibus eorundem prefatam pecuniam patronis ipsarum galearum trium pro gagijs earum et personarum nauigantium in eisdem pro dicto vno mense numerando, a die usque ad quem est eis, de ipsarum gagijs satisfactum, cum notitia, conscientia et in presentia prefati Capitanej exhibeas et exoluas etc. etc. Datum Neapolj in Camera nostra anno Domini M°CCC°XLIIII. die XXVIII. Februarij XII. indictionis Regnorum nostrorum anno II.

(A »Registri Angioini« A. 336. sz. a. Reg. Joannae I. 83. l.)

45

A velenczei kormánytanács szintén gályákat rendel, melyek Erzsébet magyar anyakirálynénak legyenek szolgálatára. 1344.

Anno Domini MCCCXLIIII. die VII. mensis Aprilis. Quod pro honore nostro complaceatur domine Regine Hungarie ad requisitionem, quam nobis fecit per litteras et ambaxatores suos, armando duas galeas per unum mensem, que vadant ad levandum ipsam dominam Reginam in partibus Apulee, et portent ad partes Sclauonie; quia dehoc complacebimus etiam domino Regi Hungarie et Regi Apulie filiis suis.

Capta: Quia potest complaceri domine Regine sine tot expensis Communis: vadit pars, quod mittatur celeriter ad Capitaneum Culphi, quod ipse cum sua galea et una de aliis suis galeis vadat sollicite in Apuliam ad levandum dictam dominam et conducendum eam in Sclauoniam; et dimittat Supracomitum cum aliis duabus galeis ad costodiam suam; et quod ipse Capitaneus studeat viam quamcicius potest pro associando galeas nostras, que vadunt in Ciprum et Romaniam, que expectabunt eum Ragusii, si tunc adhuc illuc non venisset. Et ad cautellam mittatur una barca per viam Apulee, et una alia per viam Marchie cum litteris dictt Capitanei nostri.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXII. kötetéből.)

46.

A velenczei kormánytanács Pál comes magyarországi főúrnak megengedi, hogy Mestréből lovat kivihessen. 1344.

Anno Domini MCCCXLIIII. die XII. Aprilis. Capta: Quod concedatur licencia cuidam Comiti Paulo de Hungaria extraherdi oe Meqtre et Mestrira unum equum sive palafrenum libere.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXII. kötetéből.)

47.

Aymericus bibornok és apostoli követ Sanctia özvegy-királynénak Sicilia kormányzásában segéde.. 1344.

Aymericus miseracione Diuina tituli Sancti Martini in Montibus Presbiter Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus in Regno Sicilie, ac Vicarius seu Baiulus eiusdem Regni per Sacrosanctam Romanam Ecclesiam constitutus.

(A »Reg. Angioini« A. és B. 343. és 344. sz. a. Reg. Johannae I. kötetei szerint.)

48.

I. Johanna siciliai királynénak Aymericus pápai követ befolyása melletti kormányzása. 1344.

Johanna Prima — — — de eonsensu et beneplacito Reuerendi in Christo patris domini Aymerici Dei gratia tituli Sancti Martini in Montibus Presbiteri Cardinalis in Regno Sicilie Apostolice Sedis Legati stb.

(A »Registri Angioini« B. 342. sz. a, Reg. Johannae I. kötetéből. Sanctia királyné, Robert siciliai királynak örvegye, és I· Johanna királynénak nagyanyja, ki szintén az ország kormányzására volt hivatva. ekkor már a Santa Chiara zárdában visszavonulva élt.)

49.

I. Johanna siciliai királynénak, Falco Jánost királyi kamarás nak kinevező rendelete. 1344.

Johanna etc. Johannes Falco recipitur in Cambellanum Illustris Domini, viri nostri, et familiarem nostrum de consilio et assensu Amministratorum et Gubernatorum nostrorum etc. MCCCXLIIII. XII. Maij.

(A »Reg. Angioini« F. 341. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 93. lev.)

50.

Köln, Hoy és más Rajna-melletti városok kereskedelmi szabadalma Magyarországban. 1344.

Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie fidelibus suis vniuersis Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, Officialibus, ac alijs cuiusuis preeminencie et dignitatis hominibus tributa habentibus, nec non tributarijs, tam in terris quam super aquis nunc et pro tempore existentibus, constitutis scilicet et constituendis, quibus presentes ostendentur, salutem et graciam. Noueritis, quod nos habita deliberacione cum Prelatis et Baronibus nostris statuimus, annuimus et concessimus, vt mercatores de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, ac de alijs partibus Reni, in Regnum nostrum cum eorum rebus mercimonialibus venientes, non maius tributum in locis tributorum, nisi tantum, quantum mercatores de Bohemia et de Morauia, solvere teneantur. Quapropter fidelitati vestre firmo firmius Regio edicto precipientes damus in mandatis, quatenus de mercatoribus de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, ac de alijs partibus Reni, et rebus eorundem mercimonialibus in locis tributorum vestrorum non maius tributum, nisi tantum quantum mercatores de Bohemia et de Morauia secundum ordinacionem litteris firmatam soluere sunt consueti, recipiatis, et in hoc contentemini; et ultra hoc eosdem mercatores de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, ac de alijs partibus Reni non audeatis molestare, dampnificare, vel aliqualiter pregrauare; aliud, sicut Regiam indignacionem incurrere non wltis, facere nullatenus presumpmatis. Scientes, vt si secus feceritis, tunc sicut Regii mandati transgressores vos puniri faciemus; prout eciam hoc idem vobis mandantes precipimus alijs litteris nostris annullari sigillo nostro consignatis. Datum Bude in festo Ascensionis Domini anno eiusdem M° CCC° XL° quarto.

(Ersdetie börhártyán, melynek határa a királynak pecsétje van nyomva, Rajna melletti Köln város levéltárában.)

51.

A velenczei kormánytanácsnak a Sebenico környékén az ezen város községe, s Nelipcs és Mladin grófok közti ellenségeskedések alkalmával történt károsítások megtérítése tárgyában. 1344.

Anno Domini MCCCXLIV. die XV. Maii. Capta: Quod super querelis expositis per Ambaxatores Communis Sibenici, et damnis, et etiam super aliis damnis contentis in litteris Comitis Maladini nobis destinatis, committatur Comiti nostro Sibenici, et sic eidem scribatur, quod tam damna illata nostris fidelibus in villa vocata Benisa Districtus Sibenici per Comitem Constantinum et eius gentes, quam illa, que irrogata fuerunt Comiti Mladino et suis partibus per Comitem Nelipcium et suum nepotem Constantinum et suas gentes, diligenter audire et examinare, sicut in pace inita inter partes plenius centinetur, describendo super predictis Comiti Nelipcio et aliis, ut pro bono agendorum videbitur expedire.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXII. kötetéből.)

52.

A velenczei kormánytanács segitséget határoz Nelipcs gróf özvegyének a tininiai vár fentartása tárgyában. 1344.

Anno Domini MCCCXLIV. die XXVIII. Junii Captum: Quum istud castrum Tinini sit clavis Sclauonie, et faciat pro nostro honore et bono statu terrarum nostrarum puod conservatur in manu domine uxoris condam Comitis Neliptii, postquam filius defunctus est: vadit pars, quod scribatur et mandetur nostris Rectoribus Sclauonie, Sibenici, Tragurii et Spalati, quod domina predicta pro conservatione dicti Castri sit eis recommendata, dando sibi, si requisierit, auxilium et favorem de gente et aliis pro conservatione castri predicti. Et faciant notum domine de isto nostro mandato, et

offerant se ei, sicut viderint expedire, et sint soliciti rescribere nobis, quecumque habuerint et fecerint, et suum consilium.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXII. köt. 66. lev.)

53.

János, Nelipcs gróf fiának követsége Velenczében 1344.

Anno MCCCXLIV. die XX. Julii. Capta: Super ambaxata Comitis Johannis condam Comitis Neliptii eligantur tres sapientes per tres manus electionum, videlicet per unam per Dominum, Consiliarios et Capita, et per duas in isto Consilio, qni dent nobis suum consilium super ipsa, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem, et vocetur consilium sub pena solidorum X. Et expediant se usque ad diem Jovis proximum post nonam de suo consilio.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXII. köt. 76. lev.)

54.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedései a tininiai grófság biztosítására. 1344.

Anno MCCCXLIV. die XX. Julii. Examinata ambaxata exposita pro parte domine Vedislave relice, et Comitis Johannis olim filii Egregii viri Neliptii Comitis Tinini, consuluut concorditer sapientes:

Capta: Quod respondeatur Ambaxatori predicte domine et filii sui, qualiter nos optantes statum pacificum et conservationem ipsius domine et Comitis filii sui ac locorum suorum, gravitatem et displicentiam sumpsimus de novitate, quam intelleximus velle fieri contra eos, et propterea scribere providimus per litteras nostras et committere Rectoribus et fidelibus nostris Slauonie, sicut alias fecimus, ut dominam predic-

tam, et Comitem eius filium, ac loca sua habeant commendata, prestantes eisdem in omnibus requisitis per Ambaxatorem suum quicquid commode poterunt auxilii et favoris. Et insuper mittemus specialem Nuncium Comitibus Duymo et Bartolo, et etiam Budislavo et Gregorio condam Curiaci Corbavi ad exponendum et procurandum pro parte nostra, que nobis expedire videbuntur pro honore nostro, bono et conservatione dicte domine et Comitis Johannis, locorumque suorum, et cessatione novitatis predicte; nec non pro restitutione Morolacorum, qui sibi dicuntur detineri per Comitem Gregorium

Super eo vero, quod petitur, ut mandemus Rectoribns nostris Sclauonie, ut recipiant in Ciuitatibus suis homines et animalia dicti Comitis; respondeatur, quod, sicut notum est, Ciuitates et loca nostra, existentia ad stariam, non sunt apta ad recipiendum et conservandum animalia ultra sua, taliter quod ipsa animalia in illis stare et vivere non valerent; sed si opus fuerit, ordinabimus Rectoribus nostris, ut homines et animalia dicti Comitis recipiautur in Insulis nostris Sclauonie, sicut sunt insule Arbi, Farre et Braze, in quibus quidem insulis ipsi homines et animalia comodius reduci poterunt et salvari.

Capta: Quod scribatur Comiti Spalati in hac forma:

Cum intelleximus, quod quidam disposuerunt procedere ad damnum Egregii viri Comitis Johannis nati olim Neliptii Comitis Tenini et locorum suorum, quod nobis non modicum displiceret, affectantibus quam plurimum conservationem pacifici status eiusdem, maxime quia civis noster est, ut scitis, et quia quelibet novitas, que eidem fieret, cedere posset in damnum et detrimentum vestrum totiusque contracte, fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus dominam Comitissam matrem dicti Comitis, ac Comitem predictum eiusque loca habere debeatis in casu quolibet favorabiliter commendatos, prestantes eisdem quicquid favoris, consilii et auxilii poteritis cum honore nostro et conservatione vestri, notificando nobis sepe et solicite, quecumque in predictis occurrerint, et vestrum consilium super inde. Similis Comiti et Judicibus Sybenici. Similis Comiti Tragurii. Similis Comiti Jadre. Similis Comiti None. Similis Comiti Arbi. Similis Potestati

Lesine; addendo in fine: et si requisiti fueritis a dicta Comitissa et Comite, recipiatis et recipi faciatis homines et animalia sua in insulis nostris pro conservando illa ibidem, facientes eisdom illud commodum, quod poteritis pro conservatione dictorum hominum et animalium predictorum.

Mittatur insuper unus Notarius Curie Egregio viro Gregorio Curiaci Comiti Corbavie, cui committatur, quod facta pro parte nostra salutatione decenti, eidem exponat quod nuper ad nostram pervenit noticiam, quod quidam tractatus et coadunatio gentium fit pro inferendo damnum nepoti suo Egregio viro Johanni, nato condam Neliptii Comitis Tinini et locis suis. Et licet indubie credamus, quod damna et sinistra, que quomodolibet occurrere possent domine Comitisse sorori sue, et filio suo Comiti predicto, cui loco patris debuit remansisse, humanitati sue displicent ab intimis, sicut debent, tum iure naturali, tum eciam, quia quelibet novitas redundare posset in damnum totius contracte; tamen optantes statum pacificum ac conservationem prefate domine Comitisse ac ipsius Comitis filii sui locorumque suorum, tum propter specialem dilectionem, quam ad eam gerimus, quia civis noster est, tum etiam pro bono et quiete partium Sclauonie, dictum nostrum nuncium ad sinceritatem suam duximus destinandum, ad requirendum et rogandum, quatenus prefatam dominam sororem suam, ac ipsum Comitem et loca sua habere velit nostri contemplacione et rationum predictarum favorabiliter commendata, effectualiter operantes, ut novitate qualibet et molestia cessante, opere cognoscatur, quod sororem suam fraterno amore diligit, et nepotem suum tanquam filium karum habet, et nos etiam ex inde ad beneplacita et honores suos promptius disponamur. Exponat quoque idem noster nuncius Gregorio Comiti predicto, quod intelleximus, quod contra voluntatem ipsius Comitis Johannis nepotis sui detinet catunos duos suorum Morolacorum, de quo, si ita est, plurimum admiramur, cum verisimiliter sperari possit, quod nedum se a damno dicti sui nepotis abstineret, sed opponeret se suo posse, ut ab aliis personis aliqualiter gravaretur. Quare dileccionem suam requirat et roget, quatenus si quos Morolacos ipsius habet, placeat illos sibi plenarie restitui facere, et per-

mittere ipsum suum nepotem integraliter perfrui iuribus suis; nam licet hoc iustum sit, nobis tamen gratissimum erit.

Exponat etiam idem noster nuncius Egregio viro Budislavo Curiaci, Comiti Corbavie, fratri dicti Gregorii Comitis, similem ambaxatam, excepto, quod de facto Morolacorum nichil dicat eidem.

Vadat insuper idem noster nuncius ad Egregium virum Bartholum Comitem Vegle, cui, facta salutatione convenienti pro parte nostra, exponat, quomodo intelleximus quemdam tractatum et coadunationem fieri pro inferrendo damnum Egregio viro Johanni nato condam Neliptii Comitis Tinini et locis suis, de quo admirationem et displicentiam sumpsimus in mentibus nostris; nam propter specialem dilectionem, quam ad ipsum Comitem Johannem gerimus, optamus statum pacificum et conservationem domine Comitisse et filii sui Comitis predicti et locorum suorum, tum quia civis noster est, sicut scit, tum pro bono et quiete totius contracte, in cuius damnum et detrimentum redundare posset quecumque novitas fieret Comiti antedicto. Quocirca attendentes, quod dictam dominam Comitissam in matrem habere debet ob amorem et reverentiam affinitatis, qua secum coniunctus est, quia olim genus suus fuit, et ipse Comes Johannes condam eius cognatus, possit sibi non minus quam filius merito esse carus; ad fidelitatem suam dictum nostrum nuntium duximus destinandum, mandantes eidem, quatenus dictam dominam eiusque filium Comitem predictum et loca sua nostri etiam intuitu habeat in casu quolibet pro honore suo et bono contracte favorabiliter commendatos; exhibentes opera cum effectu, ut suo posse novitas predicta cesset, et eidem Comiti Johanni vel locis suis non fiat molestia vel gravamen, quod nobis plurimum gratum erit.

Similem ambaxatam portet Duymo Comiti Vegle, nichil tangendo de affinitete.

Requirat etiam ipse nuncius omnes predictos Comites, ut nobis significent per litteras suas quecumque occurrerint et fecerint in premissis.

Postquam autem idem noster nuncius adimpleverit suprascripta, vadat etiam ad dominam Comitissam predictam

et eius filium Comitem Johannem, exponens eisdem bonam voluntatem nostram, quam habemus circa conservationem et statum pacificum eorum et locorum suorum, et qualiter sumpta displicentia per nos de novitate, que fieri dicebatur contra ipsos, statim providimus mandare Rectoribus nostris Sclauonie, ut ipsam dominam Comitissam et Comitem filium suum et loca eorum habeant in casu quolibet commendata, et quo modo ipsum nostrum nuncium misimus Comitibus antedictis cum ambaxata predicta, que nobis convenire visa fuit pro cessatione cuiuslibet novitatis et pro bono facti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXII. köt. 77. sk. ll.)

55.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete ugyanazon tárgyban. 1344.

Anno MCCCXLIV. die VIII. Augusti. Capta: Auditis, et examinatis litteris Comitum nostrorum Sclauonie, consulunt concorditer sapientes, quod Comitibus infrascriptis scribatur in infrascripta forma: Litteras vestras recepimus nova illarum parcium continentes; quibus presentibus respon, demus, quod prudenciam et sollicitudinem vestram merito, commendamus; et quia in ipsis vestris litteris continetur, quod vos tres Comites ordinaveratis ad requisitionem Comitis Johannis condam Comitis Neliptii dare XX ballistarios pro una quaque Civitate etc. prudencie vestre recommendamus, quod nobis placet ordinacio vestra prefata, et scribimus vobis prout alias denotavimus, videlicet, quod dicto Comiti et matri sue dare debeatis omne consilium, auxilium et favorem in omnibus, que videritis expedire; habentes semper respectum ad honorem nostrum, conservacionem nostram et nostrorum fidelium de inde, tamen omnia in premissis per vos ordinanda et facienda cum nostris consiliis ordine debito facientes. Et quia asseritur, quod nova adventus Vngarorum sopita esse dicuntur, nobis non apparet hic propterea aliquam facere novitatem, sed

mandamus vobis, quatenus vos semper taliter reddatis solicitos et attentos, prout si casus incursurus esset, nobis sepe et sepius ac continue nova occurrencia intimantes.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXII. köt. 79. lev.)

56.

Magyarországnak Lengyel- és Oroszországgali kereskedése szabályoztatók. 1344.

Nos Lodouicus stb. vniuersis, quod nos fideles ciues et hospites nostros Cassenses pietatis oculis conspicientes stb. prefatam Ciuitatem nostram Cassa, et eosdem ciues ac hospites de eadem, nostros fideles, eorumque successores, huiusmodi libertatis et gracie specialis prerogatiua perennaliter gauisuros, de beneplacita voluntate Serenissime Principisse domine Elisabeth inclite Regine Hungarie, genitricis nostre karissime, ac consilio Prelatorum et Baronum nostrorum decreuimus decorandos: quod omnes mercatores extranei, de Regnis scilicet Russie, Polonie, et Prouincijs eorundem in Regnum nostrum Hungarie venientes, pretextu vendicionis suarum rerum et mercium vltra Ciuitatem ipsam Cassensem cum vecturis et mercibus eorum nullam progrediendi habeant facultatem; sed omnia sua mercimonia, seu res mercimoniales cuiuscunque generis vel speciei sint et existant, ibidem deponant, reponant atque vendant. Ita quod a modo et deinceps omnium rerum mercimónialium eorum deposicio, reposicio et vendicio ac empcio generalis non alias, nisi in pretacta Ciuitate nostra Cassensi plena fiat, nec vlterius dicti mercatores extranei cum mercibus ipsorum procedendi et eundi possint habere facultatem aliqualem stb. Datum in Zolio in vigilia esti Beati Laurencij martiris.

(Eredetie bőrhártyán, sz. kir. Kassa város levéltárában.)

57.

Pál és Mladin clissai grófoknak követsége Velenczében. 1344.

Anno MCCCXLIV. die XXVIII. Augusti. XII. indictione. Capta: Audito fratre Gregorio, Ambaxatore Comitum Pauli et Mladini, et eorum ambaxata plenius intellecta, consulunt concorditer sapientes, quod dicto ambaxatori respondeatur: et primo ad primum capitulum, per quod petit, subsidium dictis Comitibus dari per terras nostras etc; quod de molestiis ipsorum Comitum, tamquam civium dilectorum, turbacionem recipimus, et quod Comitibus nostris Sibenici, Tragurii et Spalati scribemus, ut pro favore dictorum Comitum viderimus convenire.

Capta: quod dicto Ambaxatori respondeatur ad id, quod oretenus post datam eius ambaxatam in scriptis explicavit, videlicet, quod si Comes Maladinus in Scardona assidiaretur, si eidem contuleremus auxilium et favorem; quod si ad tantum perveniret, quod Deus avertat, quod cum aliquo pactum minime tractet, sed curet nobis solicite denotare, eo quia curabimus providere, sicut pro eius utili et conservatione viderimus opportere cum honore nostro et bono nostrorum fidelium.

Capta: ad secundum capitulum, per quod petit arma; dicatur, quod arma equestria non habemus, sed si volet pedestria, pro hominibus XL sibi complacebimus, dando plezariam, sicut continet ambaxata.

Capta: super tercio capitulo, per quod petit, quod dare velimus pignoram super Minosclavum, qui homines Comitis Maladini derobavit etc. dicatur et respondeatur, quod dictum factum nobis incognitum est, et quod in ipso faciemus examinacionem, et procedemus secundum quod de iure poterimus et videbimus esse iustum.

Super dicto capitulo (sapientes) volunt (et capta), quod respondeatur, quod non videtur nobis, quod rationabiliter constringere possimus Ciuitates nostras ad pignoram dandam super aliquem; quod si de iure fieri posset, libenter ob eius amorem id egissemus.

Capta: ad quartum et ultimum capitulum, per quod petit, quod proditores examinentur per aliquem Rectorum nostrorum etc.; respondeatur, quod Comes Maladinus ipsos malefactores habet in manibus suis, et quod de ipsis et de dicto facto, cum sibi spectet, faciat velle suum.

Capta: Comitibus nostris Sibenici, Spalati et Tragurii scribatur, quod ad requisicionem Comitum predictorum, scilicet Pauli et Maladini, debeant eis dare consilium, auxilium et favorem in eo, quod commode et apte fieri poterit cum honore nostro, couservacione sua, et nostrorum fidelium de inde, omnia ordinate agendo cum consiliis suis; et nobis sepe ac continue rescribent, quecumque contigerint et senserint evenire.

Capta: Et Comiti Jadre ser Marco Cornario scribatur, eius provisionem et sollicitndinem merito commendando de novis significatis, et quod occurencia nobis debeat denotare. Et ad factum, quod tangit in litteris suis de matrimonio, quod tractatur inter Comites, quos nominavit, dicatur et scribatur, quod in hoc permittat ipsos Comites agere sicut volunt, cum nobis non appareat, quod in hoc commode nos impedire possimus.

Capta: Et quamcicius fieri potest mittatur una de banderiis nostris, que sunt in Istria, Nonam pro custodia civitatis None; et scribatur Comitibus, Communitatibus et Consiliis Arbi et Chersi et Auseri, quod ad requisitionem Comitis None debeant eis dare consilium et favorem usque ad summam XXV hominum pro unoquoque Comite, denotando hoc Comiti None, videlicet, quomodo ordinavimus, et predictum auxilium non requirat, nisi manifeste eo egebit.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXII. köt. 58. sk. ll.)

58.

A velenczei kormánytanácsnak Dalmatia ügyeit tárgyazó intézkedései. 1344.

Anno MCCCXLIV. die ultimo Augusti. Capta: Cum honori Dominacionis nostre spectet vigilari circha ea, que

subditorum suorum statum respiciant et acrescant, ac procul fugare, quod valeat contrarium generare; idcircho auditis et intellectis litteris Rectorum nostrorum Sclauonie, et novis habitis de Vngarorum adventu, consulunt concorditer sapientes, quod in nomine Domini eligantur in isto Consilio per quatuor manus electionum tres Provisores solempnes, qui ire debeant ad partes Sclauonie, incipiendo a Nona, secundo Jadram, deinde Sibenichum, Spalatum et Tragurium, et accipi possint de omni loco, exceptis procuratoribus Sancti Marci et Patronis Arsenatus, commendando ex parte nostra providenciam et sollicitudinem nostrorum Comitum, quam egerunt in scribendo nobis nova, et in mittendo exploratores pro inquisitione ipsorum; et ortent fideles nostros Ciuitatum ipsarum, quod in fidelitate nostra, que semper ipsorum statum erexit constantes manere velint, et de Vngarorum adventu ad partes maritimas minime dubitare, cum hiis et aliis, que sibi utilia apparebunt.

Capta: quo peracto, dent operam efficacem de loquendo cum Comitibus de Braichis, et Johanne condam Nelipcii, et omnibus aliis, cum quibus dictis nostris Provisoribus appareret, et ortando eos, premisso primo decenti salutacionis eloquio, quod pro ipsorum conservacione et statu constanter manere velint in suo proposito iam incepto, et procurent, quod si uniti non essent, in simul uniantur, et si unitatem fecissent, laudent et ortent, quod in ea manere velint; habentibus tamen ipsis curam bonam et vigilem, ne ipsorum fortilicie ad Vngarorum manus valeant pervenire. Ac etiam exponant, quomodo pro ipsorum statu pacifico et tranquillo Dominacio in suos provisores destinare curavit, et ut viderent, quod necessarium foret pro resistendo Vngaris antedictis. Et si eveniret, quod cum predictorum aliquo esse non possent, procurent cum effectu predictorum verborum eos, cum quibus esse non poterunt, per suas litteras visitare, rescribendo nobis, quecumque fecerint et facere speraverint in premissis, et suum consilium superinda.

Electi Provisores in Sclauonia die ultimo Augusti: ser Nicolaus Barbadico Sancte Margarite, plezius ser Franciscus

Truno; ser Justinianus Justiniano, plezius ser Nicolans Vioni; ser Johannes Gradonico, plezius ser Angelus Suriano.

Capta: item ordinetur, quod quando galee mercatorum deVeneciis recedent, se terris nostris Sclauonie debeant demonstrare pro confortacione ipsarum, et simile faciant ligna Culfi.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXII. kötetéből.)

59.

A velenczei kormánytanácsnak utasítása dalmatiai biztosai számára. 1344.

Anno MCCCXLIV. die XI. Octubris XIII. indictionis. Capta: Examinatis litteris Provisorum et Comitum nostrorum Sclauonie, consulunt concorditer Sapientes, quod ipsis et Provisoribus nostris scribatur: quod cum non sit differendum pro abilitate temporis requirente, quod loqui studeant cum Comitibus de Banichis, Curiachis, Johanne condam Nelipcii, et matre eius, et cum omnibus, quibus appareret eisdem, operando, quod Barones Sclauonie talem inter se ordinent unitatem, quod ipsi cum nostris fidelibus ab sic continuis timoribus et vexacionibus Vngarorum amplius non turbentur, faciendo in hoc posse suum, et rescribendo nobis, quicquid fecerint et facere speraverint in premissis, et suum consilium superinde, et nostrum expetent mandatum, cum ipsorum mora nobis utilis et necessaria appareat pro presenti in partibus illis.

Et ad id, quod in dictis suis litteris narrant de Vngarorum recessu de partibus illis, et provisione facta per matrem Comitis Johannis, eisdem, videlicet de eundo ad Regem Vngarie etc. rescribatur: quod pro bono suo tociusque contrate nobis non videretur, quod ad dictum dominum Regem ire deberet, cum iter suum pocius periculum quam aliquod aliud bonum generare possit.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXII. köteteből 94. lev.)

60.

De Carceribus Galhard (l. I. köt. 348. l.) ódalasztott csanádi püspök, mint apostoli nuncius Magyarországban és Lengyelországban. 1344.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Galhardo Electo Cenadiensi in partibns Regnorum Vngarie et Polonie Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Tam tibi quam nonnullis aliis per felicis recordationis Johannem XXII. et Benedictum XII. Romanos Pontifices ad partes Vngarie et Polonie, ac alias eisdem Regnis vicinas pro diuersis Ecclesie Romane ac Apostolice Camere negotiis dudum diuersis vicibus destinatis, diuerse littere Apostolice directe fuerunt. Cum autem nonnulla ex eisdem negotijs pro toto vel pro parte restare complenda, sicut intelleximus, dinoscantur: Nos volentes earumdem Ecclesie ac Camere indempnitatibus, sicut ex debito Pastoralis tenemur officij, prouidere, te, de cuius fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam gerimus, ad Regna et partes predicta pro hiis et quibusdam alijs negotijs, nos ac Ecelesiam et Cameram predictas tangentibus providimus destinandum. Vt autem negotia huiusmodi vtilius prosequi valeas et complere, litteras supradictas, et contenta in eis, quorumcumque tenorum existant, super omnibus et singulis, que de negotijs ipsis restare repereris, pro toto vel in parte, vt prefertur, agenda exequi, et eis vti plenarie, ac si tibi directe, nominatim, specialiter et expresse fuissent, tuque super contentis in illis processisses, seu incepisses procedere, iuxta seriem et tenorem illarum et cuiuslibet earundem valeas, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione III. nonas Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

(VI. Kelemen pápának regestáiból.)

61.

A velenezei kormány a magyar király irányában fegyveres ellentállásra izgatja a dalmatiai főurakat. 1344.

Anno Domini MCCCXLIV. die XI. Novembris, XIII. indictionis. Capta: Considerato magno et evidenti periculo, quo subiacent partes Sclauonie, si Vngari amplius in ipsis partibus declinabunt; ac eciam respectato, quod si ponent se ad veniendum pro obtinenda plenius intencione sua, magis provise venirent, quod non parvum periculum nostris Ciuitatibus Maritimis importaret, consulunt, ad evitacionem premissorum, quod nostris Provisoribus rescribatur, quod secundum consilium suum inducant Barones Sclauonie ad unitatem faciendam; quam si facient, eis promittant, quod nostrum Commune, adveniente Vngarie Rege, vel Bano suo, cum exercitu ad partes predictas, ad resistenciam ipsorum ponet ducentos equites, vel tot inter equites et pedites, quot ascenderit ad summam expensarum dictorum ducentorum equitum, non transeundo propterea dictum numerum ducentorum equitum, cum condicione, quod illi, qui in dicta unitate erunt, dare debeant secundum qualitates ipsorum nostro Communi bonam et ydoneam fideiussionem de non retrahendo se ab ipsa, et observando omnia contenta in ipsa. Et attendentibus dictis Baronibus ad unitatem prefatam, procurent nostri Provisores obtinere ab eis illas provisiones et cautelas, que sibi necessarie videbuntur pro firmitate unionis, trahendo ab eis quantum poterunt; ac quicquid fecerint superinde cum consilio suo nobis velociter denotando, et nostrum expectent mandatum. Et si attenderent, et alique differencie essent in facto unionis predicte, similiter scribant, et nostrum expectent mandatum, ut dictum est. Sed si videretur eis, quod ex toto ad ipsam non attenderent, Venecias revertantur. Qua unitate completa, cum casus adventus Vngarorum adveniet, quod Deus avertat, procuretur, quod Ciuitates Maritime in dictis ducentibus hominibus ponant id, quod volent secundum ipsarum possibilitatem; subiungendo tamen, quod prescriptam nostram intencionem eisdem minime debeant aperire, nisi

primo viderint, factum posse sortiri effectum, et eos dispositos esse ad complendum predicta.

Ser Marcus Dandulo Sapiens. Examinatis litteris Provisorum nostrorum consulit, quod eisdem respondeatur, solicitudinem et prudenciam suam merito commendando; et quod si unitas inter Barones Sclauonie fieri potuisset, nobis plurimum gratum fuisset; sed consideratis diversitatibus, que esse videntur inter Barones prefatos, ac eciam, quod ipsi nostri Provisores ad aliquid in suis litteris certum se non ponunt; nobis non videretur, quod absque gravi labore unitas prefata ad effectum perduci posset, tamen studeant ipsos Barones per litteras vel personaliter iterato ortari ad unionem faciendam, non differentibus ipsis propterea, et dicentes eis, quod suas oppiniones et velle audiverint in factis predictis, et quod venient Venetias ad conferendum super hiis cum Ducali Dominio, quod providebitur, ut viderit convenire. Quo facto Venetias revertantur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXII. köt. 100. lev.)

62.

I. Lajos magyar királynak szövetsége bajor Lajos római császárral, III. Kazimir lengyel királylyal és Albert ausztria herczeggel János cseh király ellen. 1344.

»Ludovicus Bauarus, qui se Imperatorem nominauit cum Rege Vngarie, Duce Austrie, Rege Cracovie stb. fortem super Johannem Regem Bohemie ac Carolum Marchionem Morauie ligam construxerunt; qui omnes dictum Johannem et Carolum in una septimana suis litteris diffidarunt.«

(IV. Károly római császárnak önéletirásából. L. Böhmer Fr., Fontes rer. Germ. Stuttgart 1843. I. köt. 228. sk. ll.)

63.

I. Lajos magyar király János cseh királylyal és Károly morvai örgróffal Boroszlóban összejövén és szövetséget kötvén, a litvaiak ellen hadjáratot intéznek. 1345.

Anno Domini MCCCXLV. feria sexta ante Reminiscere Consules racionati sunt se precepisse stb.

Hec sunt distributa perceptorum: Primo pro honoribus Regum Bohemie, Vngarie, Marchionis, Episcoporum Vratislaviensis et Misnensis, Principum, Nobilium advenarum; in vino, pane, pabulo, prompta pecunia et aureis centum octuaginta due marce et 3 scoti.

(Henricus Pauper Boroszló város számtartójának 1299—1358-iki számtartási könyveiből; Grünhagen Kolmárnál, Codex Diplomaticus Silesiae III. köt. Boroszló 1860. 70. l. — V. ö. Boehmer János Frigyes, Regesta Imperii 1314—1347. Frankfurt 1839. 211. l. Palaczky Ferencz, Geschichte von Böhmen II. köt. 2. r. Prága 1842. 258. l.; Caro Jakab, Geschichte Polens II. köt. Gotha 1863. 264. l.)

64.

VI. Kelemen pápa De Carceribus Galhardot veszprémi püspöknek nyilatkoztatja. 1345.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Galharho Episcopo Vesprimiensi salutem etc. Nuper si quidem vacante Vesprimiensi Ecclesia pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Stephanum Archiepiscopum Colocensem, tum Vesprimiensem Episcopum, licet absentem, a vinculo, quo tenebatur eidem Ecclesie Vesprimiensi, cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Colocensem Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum dicte Colocensi Ecclesie in Archiepiscopum et pastorem: Nos volentes eidem Vespri-

miensi Ecclesie stb. te ad predictam Vesprimiensem Ecclesiam transferimus stb. Datum apud Villam Nouam Auinionensis Diocesis VI. nonas Martii Pontificatus nostri anno tertio.

(VI. Kelemen pápa regesta-könyveiből.)

— - —

65.

Lőrincz királyi tárnokmesternek rendelete, melylyel Köln, Hoy és a Raina melletti városok kereskedőinek vám szabadalmait fenntartja Magyarországban. 1345.

Nos Laurencius Magister Thauarnicorum et Vexiliferorum domini Lodouici Dei gracia Regis Hungarie et Comes Nitriensis dilectis suis famulis et tributarijs Lucachio et De sew in nostris tributis, scilicet in Sempte et Farkashyda existentibus salutem cum dileccione. Vobis sit notum per presentes, quod quidam mercatores de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, et de quibusdam alijs partibus Reni coram nobis in Ciuitate Budensi personaliter constituti, nobis et domino nostro Regi querulose et lacrimabiliter conquesti fuerunt tali modo, quod vos ab eisdem tributnm enorme et iniustum receperitis, ac eos in suis rebus mercimonialibus grauiter et vltra modum molestaretis. Igitur ne nos deinceps pro tali facto inperperium a domino nostro Rege habeamus, et eciam ne per hoc nostrum tributum desoletur: vobis nostris tributarijs in predictis tributis nostris existentibus firmiter precipimus per presentes et districte, quatenus visis presentibus de mercatoribus de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, ac de rebus eorum mercimonialibus, et de equis qui causa vendendi per ipsos ducuntur, et non de illis quos soli equitarent vel eorum famuli, non maius tributum, nisi tantum quantum mercatores de Bohemia et de Morauia secundum ordinacionem litteris firmatam soluere sunt consueti, recipiatis, et vltra hoc eosdem mercatores de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, et de alijs partibus Reni molestare, dampfnificare, vel aliter grauare non audeatis,

Aliud non facturi, si nostram non wltis incurrere indignacionem. Datum in Wysegrad feria quinta proxima post dominicam Letare anno Domini M° CCC° XL° quinto.

(Eredetie bőrhártyán, melynek hátára Lőrincz tárnokmesternek pecsétje van nyomva, Köln város levéltárában.)

6S.

A tininiai grófok és Sebenico város közti egyenetlenségek a velenczei köztársaság közbenjárásával elintéztetnek. 1345.

Pro quadam fortilicia, posita prope castrum Comitis Constantini, destruenda.

Cum pro parte Egregii et nobilis viri domini Johannis Mauroceno Comitis Sibenici et Communis eiusdem terre sapiens et discretus vir Magister Agnellus Amici de Ytaliis, Cancellarius dicti domini Comitis et Communis Sibenicensis, compareret coram Ducali Dominacione exponens, qualiter per Comitem Constantinum, nepotem condam Egregii viri domini Comitis Nelipcii, et gentem suam damna plurima illata fuerant Communi et suis fidelibus de Sibenico post mortem Comitis Nelipcii prefati in diversis vicibus, derobando villas, animalia et bona sua ultra valorem librarum quatuor mille quinque centum parvorum, et quod Constantinus prefatus unam fieri fecerat fortiliciam de novo in quadam grota sive forno posito prope castrum dicti Constantini ruinatum per formam pacis inite inter Ducalem Dominacionem ex una parte, et Comitem Nelipcium Tiniensem ex altera, in qua fortilicia tenebat homines et predones derobantes euntes et venientes Sibenicum contra formam pacis et promissionis facte per ipsum Comitem Nelipcium; et quod tergovina accipiebatur venientibus et descendentibus in Sibenicum cum suis mercacionibus; ipsa autem benigna Dominacio, ipsis querellis et gravitatibus intellectis, non intendens suos fideles descerere, ut est solita, sed pocius ipsos in suis iuribus conservare, destinavit me Marcum Zane, Notarium et Nuncium suum ad Egregiam et nobilem

Vellislavam, relictam Comitis Nelipcii, et ad eius filium Comitem Johannem, ad requirendum ipsam dominam et suum filium, quod eis placeret emendare et satisfieri facere damna superius contenta, irrogata per Comitem Constantinum predictum et suos, suis fidelibus de Sibenico, et quod fortilicia antedicta deruinaretur et removeretur, et quod mercatores et venientes Sibenicum non gravarentur de tergovina, et quod possent libere et secure Sibenicum cum suis mercationibus ire et venire, ut omnis materia scandali evitari posset. Dicta requisitione audita et intellecta, ipsa domina Comitissa affectans mandatis Ducalibus obedire, et cum suis fidelibus vivere et manere pacifice et quiete, suo proprio nomine et Comitis Johannis eius filii promisit Egregio viro domino Comiti Sibenici prefato recipienti et stipulanti nomine et vice dicti Communis et Vniuersitatis et singularum personarum dicte Ciuitatis, habendo plenum mandatum ad predicta a Consilio XV Sapientum habencium plenam libertatem et arbitrium a Generali Consilio super negociis dicte Ciuitatis, quod ipsa faciet totum hedificium seu constructionem vel fortiliciam de novo factam per Comitem Constantinum in loco, ut supra dictum est, totaliter destruere, devastare atque removere, ita et taliter, quod in ipsa nullus possit habitare, et quod aliqua fortilicia sive castrum in eorum territoriis nullo modo vel ingenio fiet nec fieri permittet per se vel Comitem Constantinum, vel ipsorum gentes, vel aliquos eorum nomine, ut per formam pacis tenetur, et in ipsa plenius continetur. Ceterum promisit ipsa domina Comitissa suo nomine et Comitis Johannis eius fili facere et ordinare, quod de cetero nullo modo vel ingenio peri ipsam, eius filium predictum, et Comitem Constantinum, vel gentes suas, vel per aliquos alios ulla accipietur tergouina sive dacia euntibus et venientibus cum suis mercacionibus et rebus Sibenicum et ad eius Districtum, et quod omnes possint ire et venire libere et secure ad civitatem Sibenici et eius Districtum sine aliqua solucione tergovine sive daciorum, ut dictum est, et hoc imperpetuum, salvo quod ipsa domina Comitissa et eius filius accipi facere possit intrantibus in castrum Tinini cum mercationibus et rebus, tergovina sive dacia antiquitus consueta, et sic publice, ut omnibus esse possit notorium, faciet

proclamari; et si aliquo tempore acciperetur tergovina aliqua, ut dictum est, per Comitem Constantinum, vel eius gentes vel per aliquos alios, dicta domina Comitissa tenetur et debet de presenti in duplo emendari facere tergovinam sic indebite acceptam, et in manibus domini Comitis Sibenici presentare et consignare facere. Et hoc promittit actendere et observare in sua legali fide, et facere similiter actendere et observare eius filium Comitem Johannem, et Comitem Constantinum. Et ultra hoc ad maiorem conservacionem predictorum omnium dicta domina Comitissa fuit contenta, si contrafaceret in predictis vel aliquo predictorum per se, suum filium, et Comitem Constantinum prefactum, vel per alios aliquo modo vel ingenio, incedere penam contentam in pace inita inter illustrem Dominum dominum Ducem Veneciarum ex una parte, et Comitem Nelipcium ex altera, que devenire debeat in Commune Sibenici. Que omnia et singula suprascripta in presenti contractu contenta bona fide sine fraude vel aliqua malicia promisit domina Comitissa prefata actendere et observare, et non contrafacere vel venire per se vel alios, ut dictum est, sub pena predicta et obligacione omnium suorum bonorum presentium et futurorum; qua pena soluta vel non, exacta vel non, petita vel non, predicta omnia et singula semper firma permaneant et debeant observari. Insuper de damnis illatis per Comitem Constantinum seu eius gentem Communi et hominibus Sibenici contentaverunt ambe partes, videlicet dicta domina Comitissa suo nomine proprio, et eius filius, et similiter dictus Comes Sibenici nomine et vice Communis dicte terre, quod dicta damna remaneant in discrecione et beneplacito domini Ducis et Communis Veneciarum, videlicet de solucione ipsorum damnorum, et quod id, quod ipsa Dominacio in predictis ordinaverit et duxerit iniungendum, quod ita partes debeant inviolabiliter observare. Actum in Sibenico, in domo habitacionis Desini vocati Calada, presentibus dicto Desino, Radosclavo Sclavicich de Badagno districtualis domine Comitisse predicte; et sapientibus viris ser Mihaele de Scagro de Jadra habitatore Sibenici, Magistro Matheo condam domini Symeonis de Perusio, Alberto Notario condam Arandi de Padua, et Magistro Angnello Cancellario Communis Sibenici, et aliis vo-

catis et rogatis testibus, anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione XIII. mensis Marcii die XX.

(P. H.) Ego Marcus Zane de Bernardo Imperiali auctoritate Notarius, et Ducatus Veneciarum scriba, predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 216. sk. 11.)

67.

Ugyanazon ügyben. 1345.

Quoddam instrumentum pro satisfactione damnorum datorum a Comite Tinini Sibenicensibus.

Cum de mandato Excellencie Ducalis Veneciarum ad peticionem Comitis Sibenici Ego Marcus Zane, Nuncius et Notarius ipsius Dominacionis forem destinatus ad dominam Velisclavam Comitissam Tininiensem, relictam Egregii viri domini Comitis Nelipcii, et ad filium, quod eis placeret emendare et satisfieri facere damna irrogata per Comitem Constantinum et eius gentem Communi et hominibus Sibenici fidelibus suis, que sunt ultra valorem librarum quatuor mille quinque centum parvorum, et quod fortilicia de novo constructa per Comitem Constantinum vel eius gentem in quadam grota sive forno, posito prope castrum ruinatum, quod fuit Comitis Constantini, ruinaretur et tolleretur, et quod euntes et venientes Sibenicum et ad eius Districtum non gravarentur de tergovina, et quod quilibet posset ire et venire Sibenicum cum suis mercationibus et rebus. Et cum essem Ego Notarius infrascriptus in Sibenico, convenit domina Comitissa una cum domino Comite Sibenici super predictis ita et taliter, quod ipsa domina fuerit contenta, et promisit observare et facere observare suo proprio nomine et eius filii predicti de dictis damnis, fortilicia et tergovina, ut in quodam instrumento publico scripto et confecto manu mei infrascripti Notarii in millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione XIII. mensis Marcii

die XX. in omnibus et per omnia plenius continetur. Et pro maiori firmitate agendorum antedictorum et observacione mandati michi commissi, insimul ivi cum discreto viro Magistro Angnello Cancellario Comitis Sibenici, destinato per dominum Comitem et Commune Sibenici prefactum usque Tininum ad Comitem Johannem predictum, tam ad presentandum eidem litteras Ducales, quam ad requirendum damna predicta et exponendum superius contenta exposita dicte domine Comitisse eius matri. Qui dictus Comes Johannes in presentia eius matris et testium infrascriptorum in sala palacii dicti Castri Tinini, facta eidem requisicione iam dicta, fuit contentus ipse Comes Johannes, et sic promisit dicto Magistro Angnello, recipienti et stipulanti nomine et vice dicti Communis, quod de cetero nullo modo vel ingenio ulla per ipsum vel aliquem accipietur tergovina sive dacia aliquibus euntibus et venientibus Sibenicum et ad eius Districtum cum suis mercacionibus et rebus, prout promisit eius mater domina Comitissa, sub pena, et in pena in pace contenta, et prout in dicto instrumento promissionis tacte per dominam eius matrem in omnibus et per omnia continetur. In facto autem fortilicie promisit sua fide dictam fortiliciam sive hedificium facere removeri vel amore, timore, ingenio, vel ex vi; et si omnino non posset id obtineri facere, post Pasca sive festa Pascatis proxime ventura intendit esse in brevi cum domino Comite Sibenici, et domino Gregorio Comite Verbaniensi ad faciendum et ordinandum tam de dicta fortilicia, quam de solucione damnorum predictorum, quod dicti Sibenicenses poterunt contentari. Et si non poterunt ad invicem convenire et concordare, et dato, quod dictum colloquium non esset vel fieret, et quod in predictis nolla terminarentur, vult ipse Comes Johannes, quod predicta, videlicet de solucione damnorum et remocione hedificii predicti, ponantur et vadant in manus domini Ducis, et quicquid per ipsum dominum Ducem fuerit terminatum, iniunctum et mandatum, paratus in omnibus obedire. Actum in Castro Tenini, in sala palacii domine Comitisse, anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione XIII. mensis Marcii predicti die XXIII. Presentibus discretis viris Laurencio de Zindri de Spalato, Johanne filio Martini

fratre Comitis Donimoy, Obrade filio de Milita Manche, Prandino Pisano nominato Nesimo, et aliis pluribus rogatis et vocatis testibus.

(P. H.) Ego Marcus Zane de Bernardo, Imperiali auctoritate Notarius, et Ducatus Veneciarum Scriba, predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

(A »Copia de Comemoriali» czimű velenczei államkönyvből IV köt. I. r. 218. sk. ll.)

68.

A velenczei köztársaság közbenjárása a Clissai grófok és Spalato város közti egyenetlenségekben. 1345.

Anno Domini MCCCXLV. die IX. Maii. Capta: Super ambaxata Ducali Dominio porrecta per Ambaxatores Comitis, Communis et hominum Spalati, fidelium nostrorum, sapientes, intellecta dicta ambaxata, audita quadam sententia arbitrali, que inter Comitem Georgium condam patrem Comitis Maladini de Clissa, et Comitem, Commune et homines Spalati alias fuit data et firmata per viros nobiles dominos Lodoycum Mauroceno et Johannem Gradonico contra Comites Tragurii et Spalati, et subsequenter examinata etiam unione et concordia, que postmodum per dictum Comitem Maladinum, et Comitem et Commune Spalati, ratificantes dictam sententiam arbitralem, fuit tractata et firmata; ac intellectis certis protestacionibus et scripturis ordinate positis, nec non eis, que dicti ambaxatores voluerunt dicere et conqueri, et super ipsis omnibus plena habita deliberatione et examinatione, reperiunt Sapientes per ambaxatam, scripturas, uniones et querelas predictas, quod Comes, Commune et homines Spalati graviter et iniuste fuerunt et sunt damnificati et iniuriati tam in possessionibus hominum, Ecclesiarum et Monasteriorum dicte terre Spalati per dictum Comitem Mladinum detentis et eius gentem, tam in redditibus ipsarum possessionum, tam in occupatione strate Clisse, per quam nemo potest

ire ad Ciuitatem Spalati, nec inde redire cum suis rebus et mercationibus, quam in derobationibus multis, que omnia videntur ascendere magnam et maximam quantitatem pecunie Quapropter pro honore huius Dominii, pro favore et conservatione iurium et bonorum suorum fidelium Spalati videtur dictis Sapientibus, quod omnino sit providendum remediis opportunis. Vnde concorditer consulunt, quod per istam Dominationem mittatur unus Notarius Curie Maioris ad Comitem Maladinum predictum, sibi narando, exponendo et agravando pro parte huius Dominii damna, iniurias, occupaciones possessionum et redituum et strate Clisse predictas, que fideles nostri receperunt et recipiunt ab ipso et a sua gente contra arbitralem sentenciam et unionem predictas; que omnia nobis plurimum et mentem nostram conturbant, videntes fideles nostros sic enormiter damnificari et offendi contra debitum rationis, et ideo ipsum Comitem Maladinum pro parte nostra debeat instanter (hortari), quod primo et de presenti strata Clisse, per quam gentes et mercatores vadunt et veniunt cum suis rebus et mercationibus, debeat remanere libera et aperta, et quod omnes possint ire et redire Spalatum, Tragurium et alio, quo voluerint sine aliquo impedimento, ut continetur in unione et pace predicta; et quod cave et fovee facte de novo, explanentur et adimpleantur et aptentur, ne ulli recipiant impedimentum aliquod, et quod plezaria librarum V mille per ipsum exibeatur, ut promisit et tenetur. De aliis vero damnis, iniuriis et occupationibus possessionum et reddituum debeat idem Comes eligere unum Judicem pro parte sua, et Comes et Commune Spalati eliget alium Judicem pro parte sua, ut tenentur; qui videant, examinent et definiant querelas et questiones predictas, sicut et quomodo et cum ea libertate, que continetur in dicta unione, ut ambe partes in dilectione, bono amore et quiete valeant vivere et permanere. Quod si per ipsum fiet, ut est iustum, nobis multum placebit; quod si non, quod nos non credimus, non intendimus fideles nostros in eo, quod sui iuris est, aliquo modo derelinquere, quin provideamus remediis opportunis pro indemnitate ipsorum, secundum quod fuerit neccesse. Et si Comes Maladinus predictis contentabitur de adimplendo nostras requisitiones, ut tenetur,

debeat dictus Notarius superesse et sollicitare, quod omnia predicta effectum sortiantur; de quibus expeditus Venetias revertatur. Sed si dictus Comes Maladinus ad hec attendere noluerit, vel partem adimplere et partem non, propter quod Comes et Commune Spalati tenerent se agravatos, nobis scribere debeat dictus Notarius, quecumque fecerit et habuerit, nostrum prestolando mandatum; qua responsione habita, providebitur per istam Dominacionem, sicut sibi apparuerit pro bono et conservatione suorum fidelium predictorum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvnek XXIII. kötetéből.)

69.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedése a dalmatiai ügyek tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. die V. Junii. Capta: Quod eligantur tres Sapientes pro istis novis Sclauonie, et pro omni bus factis Sclauonie, et pro litteris missis de Jadra per electionem in isto Consilio loco Sapientum, qui longo tempore pro huiusmodi factis fatigati sunt; qui examinent et dent nobis suum consilium in sriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et habeant terminum per totum mensem Julii; sed quociens fuerint expediti de aliquo facto, possint venire ad Consilium, et quilibet possit ponere partem, et vocetur istud Consilium sub pena solidorum X.

Sapientes: ser Nicolaus Sanuto, ser Marinus Superantio, ser Petrus Faletro.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXIII. köt. 27. lev.)

70.

A velenczei kormánytanács biztosokat küld Dalmátiába. 1345.

Anno MCCCXLV. die VII. Junii. Capta: Pro novis, que de partibus Vngarie resonant de Vngarorum adventu ad partes marittimas, bona provisio requiratur tam pro conservatione nostrorum fidelium, quam pro omnibus, que evenire possent, consulunt Sapientes, quod in nomine Domini eligantur et fiant tres Provisores per quatuor manus cum salario, condicionibus, familia et modis omnibus, que inferius sunt inserta, cum quibus fuerunt ser Justinianus Justiniano, ser Johannes Gradonico et ser Nicolaus Barbadico. Qui Provisores pro confortacione nostrorum fidelium et unione laudanda et ortanda, que facta est inter aliquos Comites Sclauonie, sicut per litteras nostrorum Comitum evidenter apparet, et pro omnibus aliis, que pro bono negociorum sibi per Dominium committenda videbuntur, accipere debeant iter suum.

Debeant dicti Provisores habere pro suo salario libras CC pro quolibet primis tribus mensibus, et ab inde in antea libras L pro mense, et unum Notarium, unum expensatorem, unum quochum inter omnes, et tres famulos pro quolibet; et non possint electi refutare sub pena librarum XL grossorum; sed teneantur respondere alia die, qua fuerint electi, et ire ad voluntatem huius Consilii. Et possint expendere grossos XXX in die pro quolibet in expensis omnibus. Et barcha, que a nostris Comitibus nuper venit, remittatur cum hoc novo de Provisoribus factis, et scribatur dictis nostris Comitibus, quomodo solicitudinem suam in denotando nobis nova occursa merito commendamus; et ipsis mandetur, quod curam vigilem et solicitam habeant de Ciuitatibus nostris, et studeant occurrencia denotare nobis.

Provisores: ser Petrus Gradonico condam Domini, plezius ser Donadelus Donato; ser Marcus Celsi, plezius ser Donadelus Donato; ser Nicolaus Sanuto, plezius ser Nicolaus Barbo.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből. XXIII. köt. 26. lev.)

71.

A velenczei kormánytanács elhalasztja a határnapot, melyre Frangepán Bertalan Velenczébe meghivatott. 1345.

Anno MCCCXLV. die VII. Junii. Capta: Quod Comiti Bartholo de Vegla, qui misit ad nos suum Ambaxatorem, supplicando, quod dignaremur ei elongare terminum veniendi ad nostram presentiam, qui terminus erat ad Sanctum Petrum; elongetur sibi dictus terminus usque ad Sanctum Michaelem proxime venturum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXIII. kötetéből.)

72.

A velenczei kormánytanács követeket küld több dalmatiai főurhoz. 1345.

Anno MCCCXLV. die XVII. Junii. Capta: Quod occaxione istorum novorum Sclauonie nostri Provisores debeant recedere omni occaxione remota die lune per diem, et solicitare iter suum. Et in continenti expediatur barcha de Sibenico, que venit cum novis, mittendo litteras Comitisse de Tenino et filio, confortando eos cum pulcris verbis, sicut videbitur, et dicendo de nostris Provisoribus, quos in continenti mittimus ad ipsas partes Sclauonie pro favore et conservacione eorum et contrate in omni eo, qnod per nos fieri poterit, et procurari cum honore nostro. Et similiter scribatur nostris terris Sclauonie, et mandetur Jacobello Venerio Notario nostro, qui est in ipsis partibus, quod ipse vadat et loquendum cum Comite Gregorio, et cum Comitissa de Tenino, et eius filio, et aliis Comitibus, qui videbuntur nostris Rectoribus ex parte nostra verbotenus, ad inducendum eos ad conservacionem et bonum contrate, et dicendo de nostris Provisoribus ad ipsas partes, qui in continenti veniunt ad ipsas partes pro bono et conservacione ipsius contrate Sclauonie.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXIII. köt. 30. lev.)

73.

I. Lajos magyar király és Erzsébet magyar anyakirálynénak levelei a velenczei kormányhoz Frangepán Doym ügyében. 1345.

Anno MCCCXLV. die XXV. Junii. Capta: Quod ad preces domini Regis Hungarie, et matris eius domine Regine, qui miserunt nobis ambaxatorem et litteras, et ad supplicationem Comitis Doymi factam per suum ambaxatorem, pro quo rogant de restituendo eum ad graciam nostram, fiat gracia dicto Comiti Doymo, quod veniendo ad nostram presentiam usque ad Pasqua Resurrectionis Domini, et faciendo iuramentnm fidelitatis, restituatur ad nostram graciam et Comitatum de gracia speciali. Intelligendo nichilominus, quod ista pars vadat per viam gracie in Consiliis Terre ordinatis, remanente Comitatu in possessione nostri Communis interim et si venerit, dabitur ei tunc observando predicta.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXIII. köt. 33. lev.)

74.

A velenczei államtanács katonákat küld Dalmatiába. 1345.

Anno MCCCXLV. die XXVIII. Junii. Capta: Quod mittantur due banderie de peditibus Tervisii, accipiendo balistarios, Nonam pro custodia dicte terre; et scribatur Potestati Tervisii, quod det eis pagam pro duobus mensibus, et de hinc fiet alia additio, que alias facta fuit aliis.

Die penultimo Junii. Capta; Quod occasione istorum novorum Sclauonie soldizentur C boni balistarii, solvendo eis per duos menses, et mittantur ad Provisores nostros, ut de ipsis ordinent et disponant pro custodia et securitate terrarum nostrarum, et pro custodia locorum Comitum Sclauonie, sicut eis videbitur melius et utilius pro honore et bono negociorum. Et si alia nova venerint, que requirerent maiorem

subvencionem, provideatur sicut fuerit opportunum. Et expediatur barca, que venit cum litteris nostris de ortamento eorum, et ad Provisores dicendo, que fecimus et facere intendimus, et solicitando eos in scribendo nobis sepius.

Capta: Quod scribatur Comiti Arbi et illis de Pago, quod si Provisores nostri requirent eos de subsidio gentium, quod eis mittant; et similiter si Comes noster None requireret ab eis, mittant ei; et scribatur etiam Potestati Farre, quod si dicti Provisores nostri requirerent ab eo gentem, quod mittat eis, sicut requisierint ab eo; et scribatur predictis, quod providebitur eis, sicut fuerit opportunum.

Capta: Quod eligantur tres per electionem in isto Consilio, qui sint deputati pro modo et omni vice ad accipiendas gentes ordinatas, et que fuerint ordinate mitti, et faciendum alia, que fuerint opportuna, et sicut eis fuerit iniunctum per Dominum, Consiliarios et Capita, vel maiori parti eorum.

Electi ad accipiendum gentem pro factis Sclauonie: ser Marinus Dolphyno, ser Paulus Premarino, ser Zonatus Contareno.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXIII. köt. 37. lev.)

75.

A velenczei kormány hajókat küld Dalmatiába, s a vranai perjelt felhatalmazza, hogy a jánosrendiek számára egy hajót felszerelhessen. 1345.

Anno MCCCXLV. XIII. indictione, die II. Julii. Capta: Quod pro expedimento istarum duarum galearum, que hic armantur, Dominus, Consiliarii, Capita de XL, et Sapientes habeant libertatem per ipsorum maiorem partem accipiendi de hominibus galearum Cipri in ea quantitate, que videbitur eis pro eorum veloci expedimento, si expediens fuerit; quibus expeditis, vadant ad Provisores nostros, et ibi maneant, donec aliud sibi per istud Consilium iniungetur, qui Provisores ipsas disponant, ut eis neccesse apparebit.

Capta: Quod concedatur domino Priori Vngarie et Laurane, quod apud Jadram caricari facere possit remos vi-

delicet laboratos super quamdam navim naulizatam suo nomine hic Venetiis, et ipsos defferri facere ad dominum Magistrum Hospitalis cum condicione, quod ipse Prior teneatur facere venire contra litteras a dicto Magistro, quomodo dicti remi illuc sint conducti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXIII. köt. 39. lev.)

76.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedései dalmatiai serege tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. die V. Julii. Capta: Ad factum ambaxate Comitis Maladini petentis a Dominacione auxilium et favorem, ut se ab Vngaris defensare possit, consulunt concorditer Sapientes, quod sollicite preparantur manganelle due, baliste C bene furnite omnibus neccessariis et sitamento, coracie L furnite, que mittantur Provisoribus nostris, ut de ipsis disponant et ordinent, sicut pro conservacione dicti Comitis et aliorum locorum Sclauonie viderint fore opus.

Et quamcicius fieri potest soldizentur ballistarii C ultra hos, qui sunt soldizati, cum condicione, quod si videretur interim Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus, vel maiori parti eorum soldizare ducentos, sicut dicitur de centum, possint soldizari, ut fuerit necesse, de quibus ballistariis banderie due penitus mittantur Nonam.

Item mittantur Comiti None manganelle due, spigardi quatuor cum sitamento opportuno, cum Ciuitas Nona male sit munita armis.

Capta: Quod referamus gracias Domino Padue seu Ambaxatoribus suis de laudabili oblatione nobis facta de auxilio in factis Sclauonie, et quod in hiis et aliis recurreremus ad eum, cum nobis videretur, tamqunm ad specialem amicum.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXIII. köt. 40. lev.)

77.

A velenczei államtanácsnak rendelete, melylyel élelmeknek vitele Segniába a magyar sereg számára tiltatik. 1345.

Anno MCCCXL. die VII. Julii. Capta: Cum victualia vadant ad partes Segne, et inde ad exercitum Vngarorum, quod dicti exercitus maximum sublevamen, et nostris locis posset non modicum preiudicium generare; ad obviandum, ne victualia prestentur Vngaris prefatis, vadit pars, quod preparetur unum lignum riperie, cui fiat Capitaneus per illum modum et cum eo salario, per quem et cum quo fuit ser Johannes Sexendulo, et mittatur ad partes prefatas custodiendas, et prohibendum, ne aliqua victualia per illam ripariam ad aliquas partes declinant, unde de eis Vngari habere possint; et nostris Provisoribus scribatur, quod curam vigilem habeant, ne per viam maris prefatis Vngaris vitualia aliqua prestentur, faciendo in hoc posse suum.

Et ut nova cum occurrunt, velociter habere possimus, vadit pars, quod armentur barche due forzate de remis sex pro qualibet, que vadant et veniant pro novis portandis et implorandis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIII. köt. 41. lev.)

78.

A velenczei kormánytanács Arbe szigetének gályáját szolgálatába veszi fel Dalmatiában. 1345.

Nobili et sapienti viro Andree Michaeli Comiti Arbi, ac prudentibus viris . . . Judicibus, Consilio et Communi dicte Terre.

Andreas Dandulo Dei gracia Veneciarnm, Dalmacie atque Chroacie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie totius Imperii Romanie, nobili et sapienti viro Andree Michaeli Comiti Arbi ac prudentibus viris . . . Judicibus, Consilio et

Communi dicte Terre, fidelibus dilectis, salutem et dilectionis affectum. Litteras et ambaxatores vestros recepimus grata mente, qui nobis exposuerunt fidelitatis vestre ferventem constantiam, quam semper paratam et expositam invenimus ad nostra obsequia et honorem claris operibus manifestis, de quibus fidelitatem vestram merito commendamus, reddentes nos ad conservationem vestram et commoda quelibet omni tempore promptiones. Et quia de vestra fidelitate pre ceteris fidelibus nostris confidimus et speramus, deliberavimus cum nostris Consiliis Minori, Rogatorum et XL habere galeam et lignum vestrum ad nostra servitia in partibus Sclauonie; unde fidelitatem vestram requirimus et rogamus cum dictis nostris Consiliis, mandantes vobis, quod dictam galeam et lignum armari faciatis, debeatis in continenti pro uno mense, et ipsam mittere celeriter ad Provisores nostros in partibus Sclauonie, ordinantes eis, quod dictis nostris Provisoribus debeant obedire. Et pro expedictione galee et ligni predicti mittimus ad vos Nicoletum de Avanzio Notarium et fidelem nostrum cum sexcentis ducatis, pro soldo dicte galee et ligni in ratione librarum octo parvorum in mense cum honorificentiis consuetis. Et si vobis videretur de dando plus, faciatis sicut vobis melius videbitur, expediendo celeriter factum, et si non possetis ita cito mittere utrumque, expediatis et mittatis galeam ante, et postmodum lignum; sed credimus, quod ambo sine mora mittetis. Data in nostro Ducali palacio die XV. Julii XIII. indictionis.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

79.

Dandolo Endre velenczei doge Jadra dalmatiai város ellen sereget indit. 1345.

Nobili et sapienti viro Andree Michaeli Comiti Arbensi.

Andreas Dandulo Dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie totius

Imperii Romanie, nobili et sapienti viro Andree Michaeli de suo mandato Comiti Arbi fideli dilecto salutem et sincere dilectionis affectum. Scitis; quomodo conditiones Sclavonie remanserunt, et scripsimus vobis de Jadratinis, quos habemus pro rebellibus et inimicis. Nunc vero vobis scribimus, quod mittimus ad partes Sclavonie virum nobilem Marcum Justinianum in Capitaneum generalem cum exercitu copioso equitum et peditum contra Jadratinos prefatos et ad procurandum conservationem et quietem partium Sclavonie. Propter quod de vestra prudentia confidentes, mandamus vobis cum nostris Consiliis Minori, Rogatorum et XL, quatenus do presenti personaliter eatis quanto magis caute et commode poteritis ad Comites Doymum et Bartholum de Vegla, vel mittatis vel ad aliquem eorum, cum quibus vel altero eorum existente exponere debeatis, quod intelleximus, quod Rex Hungarie recesserat cum toto exercitu suo, Banno suo Nicolao cum modica gente in partibus Sclavonie dimisso; et quod sicut scire possunt, pro statu tranquillo et pacifico totius contrate Sclavonie misimus nostrum exercitum per mare, et alium exercitum mittimus per terram; et si Rex descenderet et haberet Dalmatiam, sciunt quanto periculo subiacerent. Et propterea cum intendimns facere nostro posse et procurare cum aliis Comitibus et Baronibus Sclavonie totum id, quod crediderimus esse ad statum et conservationem suam, et aliorum, nec non totius contrate prelibatc; scire ab eis vel altero eorum debeatis, quam voluntatem haberent in faciendo, quod ipsi secure stare possent et tenere quod tenent, et quod Rex amplius venire non posset; et quis modus in predictis rebus esset tenendus; hec et alia dicendo, que pro honore nostro et bono negotiorum videritis convenire. Et totum, quod habueritis et trahere poteritis ab ipsis in predictis et circa predicta, nobis velociter denotetis. Preterea cupientes de novis et condictionibus Hungarorum, qui remanserunt in contrata, habere noticiam, et de omnibus, que fiunt et ordinantur per ipsos et in ipsis partibus per omnem viam et modum, quod fieri possit; mandamus vobis, quod, receptis presentibus, inveniatis aliquos bonos et legales cursores, qui vadant ad terram, ubi manet Bannus Nicolaus, et inquirant, cum quanta gente remansit, et studeant presen-

tire, que fiunt et ordinantur in ipsis, ut omnia ad plenum scire valeamus; et totum, quod habueritis a nunciis prelibatis, nobis et dicto nostro Capitaneo denotare curetis. Expensas autem, quas facietis, vobis ad plenum satisfieri faciemus. Data in nostro Ducali palacio die X. Augusti, XIII. indictione.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

80.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedései a Jadra elleni harcza tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIII. die XXIX. Augusti. Capta: Quod respondeatur ser Marco Justiniano, Capitaneo nostro de terra, ad litteras suas, quas nobis misit scriptas None XXII. mensis presentis Augusti. Et primo ad id, quod scripsit, quod libenter equitasset ad damnum Jadratinorum, si equi sui et aliorum aplicassent Nonam; quod cum credamus, quod dicti sui equi et omnes alii, qui recesserunt de Venetiis, amodo illuc applicuerint, debeat continue principaliter equitare vel facere equitari cum tota et parte gentis sue super territorio inimicorum, ut sibi melius videbitur, comburendo, derobando, incidendo, et quodlibet aliud damnum, quod poterit, inferendo, secundum tenorem et formam sue commissionis, quia pro alio gentes nostre equestres et pedestres et ipse ibi non sunt, quam pro damnificatione nostrorum hostium predictorum.

Et quia pro bono dictorum agendorum nostrornm putamus, et valde utile putaremus tum propter bonum tempus et habile, quod habet, tum quia, prout ipsemet scribit, Jadratini sunt disfurniti, tum etiam propter gentes, quas habet, cum hucusque recesserint de Venetiis cum illis, qui hodie recesserunt, tot banderie equitum, quot rationabiliter debet se reperire cum barbutis quingentis vel circa, et nichilominus de aliis equitibus et peditibus in bona quantitate continue facimus soldizari, quod poneret exercitum suum ad civitatem

Jadre, inducimus, ortamur et solicitamus eum, quantum possumus, quod isto tempore nobis a Deo dato studeat et procuret, statim et quando sibi videbitur, portare se cum tota gente sua equestri et pedestri in obsidionem civitatis Jadre, ubi pro maiori commodo nostro et maiori detrimento et damno civitatis Jadre et civium ipsius, inimicorum nostrorum, sibi melius apparebit, et studeat fortificare se ibi quam melius possit; nam de presenti sibi mittimus et subsequenter mitti continue faciemus lignamen et alia necessaria pro fortificatione sua et exercitus nostri sibi commissi. Et in casu quo equitaret vel faceret equitari, ut predicitur, taliter de civitate semper tuta.

Capta: Super eo vero, quod scribit, quod sibi videretur faciendum, quando presentialiter equitaret, videlicet presentire, si Jadratini vellent dare dominium Ciuitatis Jadre etc., respondeatur ei, quod de tali sua oppinione plurimum admiramur; nam scit, et sic est expresse in eius commissione insertum, quod nolumus, quod attendat ad aliquem tractatum, sed solum ad guerrizandum nostros hostes et bona eorum in quantum potest; et propterea sibi districte precipiendo mandamus; quod aliquo modo vel ingenio non debeat aliquid presentire de hiis, que scripsit, nec attendere ad aliquod tractatum, sed solum ad damna et offensiones Jadratinorum et bonorum suorum cum tota et parte gentis secundum sue commissionis tenorem, cum habemus nostros Provisores in partibus Sclauonie pro tractatibus et aliis eis commissis, et nos etiam simus hic pro tractatibus et omnibus aliis, que viderentur nobis. Et si finaliter requireretur de tractatibus per aliquos, eos non audiat, sed mittat eos vel ad nos vel ad nostros Provisores predictos, non dessistendo propterea propter requisitionem prefatam ab offensione inimicorum nostrorum, ut dictum est. In his et aliis sibi missis, et quibuscumque spectantibus ad nostrum honorem et mortem et confusionem dictorum inimicorum nostrorum taliter se habendo, quod eius fidelitas et promtamentum valeat in omnibus merito commendari.

Capta: Et quia dictus Capitaneus scripsit, quod intendebat mittere pro aliquibus de Pago et Arbo pro vastando,

quia Teutonici ad talia non sunt apti; rescribatur ei, quod sumus contenti, quod pro dictis hominibus de Pago et etiam de aliis terris nostris Sclauonie mittat in casibus necesariis sibi: nolumus tamen, quod de civibus Pagi, None seu alicuius alterius Civitatum nostrarum Sclauonie dare debeat Comiti Gregorio, nec alicui alii, nec eis mittere extra Districtum et territorium Jadre. Et hoc dicimus, quia Comes Gregorius predictus nuper scripsit Provisoribus nostris, quod sibi mitterent de hominibus Pagi usque ad ducentos; quos non credimus, quod velit pro aliqua bona causa; verum de stipendiariis nostris in sua libertate relinquimus dandi, quibus et sicut sibi videbitur, ut continetur in eius commissione.

Capta: Quod scribatur nostro Capitaneo Maris, et nostris Provisoribus, quod de hominibus et civibus Pagi vel aliarum terrarum Sclauonie dare non debeant nec mittere Comiti Gregorio nec alicui alii de Sclauonia ullo modo vel ingenio.

Capta: Quod ad litteras ser Petri de Canali Capitanei Maris respondeatur; quod placet nobis, quod stet continue ante portum Jadre, et non permittat intrare Jadram aliquod navigium, nec aliquid aliud, et quod sit solicitus ad omne damnum Jadratinorum et suorum navigiorum, ut per alias litteras nostras mandavimus ei. Et quia credimus, quod applicantibus ad eum galeis nostris, quas nuper sibi misimus, habebit tot galeas et navigia, quod poterit ante portum Jadre stare securus, et alia facere, que scripsimus ei, mandamus sibi, quod possit esse securo cum illa parte sue armate, que sibi videbitur, ante dictum portum Jadre; mittat ad accipiendum animalia Jadratinorum, que sunt in insulis, et illa cum barchosiis, maranis et aliis navigiis, ut ei videbitur, mittat Venecias, sicut distinctius sibi scripsimus per alias litteras nostras.

Capta: Quod respondeatur nostris Provisoribus, quomodo intelleximus verba, que scripserunt in eis de mutabilitate Comitis Gregorii, et de petitionibus, quas facit in pregiudicium nostri honoris, tansando etiam bona Jadratinorum etc.; que verba dant nobis dubium in rebus, quas promitteret nobis, ne deficeret vel servaret promissa, quod posset preiudicare plurimum factis nostris. Et quia pridie scripsimus eis,

quod firmarent unionem secum, habendo Castrum Novum, et filios seu alios bonos obsides, et si non possent complere per modum predictum, non dimitterent propterea, quin complerent cum dictis securitatibus vel cum parte earum, trahendo ab eis cum quam maiori securitate possent, considerantes nunc, quod pro nobis faciat pro firmitate negotiorum nostrorum, si dicta unio deberet fieri, quod habeamus talem securitatem, quod possimus de ipso Comite Gregorio esse securi, quod attenderet, quid nobis promitteret. Ideo mandamus eis, quod sint provisi et attenti, tales obides et securitates firmas et ad plenum recipere et habere, procedente unione cum dicto Comite Gregorio, quod simus et esse possimus bene securi de omni eo, quod promitteret dictus Comes Gregorius nobis. (Nem fogadtatik el.)

Capta: Ser Johannes Sanuto et ser Peracius Gradonico, Capita de XL volunt dictam partem cum hac additione: intelligendo quod accipiant apud alias securitates a dicto Comiti Gregorio pro obsidibus filios suos, vel adminus unum eorum.

Capta: Quod scribatur et committatur nostris Provisoribus, quod non impediendo tractatus, quos haberent, sicut et quando eis videbitur, vadant ad terras nostras Sibinici, Tragurii et Spalati, et in qualibet earum in suo Maiori Consilio faciant ambaxatam, recommendando fidelitatem eorum per tempora elapsa, per quam fuimus et sumus dispositi ad conservationem et augmentum eorum. Et cum in pactis, que habent nobiscum, contineatur expresse, quod inimicos nostros habere, debeant pro inimicis, et Jadratinos habeamus pro rebellibus et inimicis nostris, et intendamus, quod ipsi et alii nostri fideles eos persequi debeant; eos requirere debeant, et suam fidelitatem, quod studeant persequi et offendere dictos Jadratinos in avere et personis ubique tam in mari, quam in terra, ita solicite et ferventer, quod eorum fidelitas possit merito commendari, et quod possint nostram gratiam in suis favoribus uberius promereri. Et ad hec perficienda si indigerent ligno et armis, parati sumus eis subvenire et concedere, ut possint plenius exercere suam bonam fidelitatem ad damnum et confusionem dictorum Jadratinorum inimicorum nostrorum et

6*

suorum, dicendo et operando, quod quelibet ipsarum terrarum armet et teneat armatum unum lignum, quod stet cum nostra armata, et obediat nostro Capitaneo.

Capta: Quod Comes Pagi eligendus, cum ambaxatores Pagi supplicent de missione ipsius, pro nunc eligatur et fiat, ut eliguntur alii Comites, per quatuor manus, cum condicione, quod Commune Pagi solvere debeat dicto Comiti de salario suo, quod salarium est ducatorum IV centum in anno, sicut alias captum fuit in isto Consilio; et recipiat suum salarium ad medium anni; et redditus Comitatus Pagi remaneat in Commune Pagi; et quod mittantur Pagum duo Camerarii cum salario, quod pridie captum fuit in isto Consilio, quod salarium solvatur eis de bonis Jadratinorum; et recipiant dicti Camerarii salarium suum predictum de bonis Jadratinorum, et ipsum recipiant ad medium anni, et vadant ipsi Comes et Camerarii cum illa commissione cum qua iverunt alii ad dictam terram Pagi.

Capta: Cum illi de Pago petant unum lignum, ut possent melius offendere Jadratinos : vadit pars, quod mutuetur eis dictum lignum frunitum tale, quale videbitur, obediendo cum eo nostro Capitaneo Maris.

Capta, quod scribatur nostro Capitaneo Maris, quod lignum ser Facini de Molino, quod complevit et habet homines de galeis Cipri, possit mutuare uni terrarum nostrarum predictarum pro armando ipsum contra Jadratinos, obediendo sibi, ut dictum est de Pagensibus, et dictus ser Facinus Venetias revertatur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államkönyvből. Lit. A. vol. 1, a velenczei nagy levéltárban.)

81.

A velenczei kormánytanácsnak ugyanazon harczra vonatkozó határozatai. 1345.

Anno MCCCXLV. die penultimo Augusti. Capta: Quod respondeatur Provisoribus nostris, quod recepimus et

intelleximus litteras suas continentes tractatum habitum cum Comite Gregorio pro se et fratre suo, et quod erat contentus firmare unionem, contentando modo de habendo equites centum a nobis et pedites centum; et quod erat contentus ponere obsides in Arbo, de quibus omnibus sumus contenti. Et quod debeant in nomine Domini complere unionem cum illis melioramentis, que eis videbuntur, non dando ei gentes nostras, quas petit, nisi posuerit primo, et fuerint in Arbo filii sui, vel ad minus unus eorum, qui debeant vel debeat stare in Arbo, quousque duraverit guerra Jadre pro firmitate promissorum; et finita guerra Jadre, si voluerit removere filios vel filium suum de Arbo, teneatur deponere in Arbo vel Venetiis libras XX mille pro observatione promissorum, obtinendo, quod promittant et se obligent in pactis, habere Jadratinos et eorum bona pro suis inimicis, et eos viriliter offendere et damnificare suo posse, et quoslibet alios adherentes eis vel prestantes eis in aliquo auxilium vel favorem: et sic servare debeant in omnibus aliis nostris inimicis, quos denotaremus sibi. Et quia scripserunt, quod Comes Gregorius promittit etiam pro fratre suo Comite Budisclauo et sua cognata procurare et facere, quod erunt iu unione; scribatur nostris Provisoribus, quod procurent, quod Comes Budisclavus et alii, qui nobis videbuntur, sint in ipsa unione, et recipere ab eis illam securitatem, que eis videbitur et habere poterunt pro observatione premissorum.

Capta; Ad factum Comitum Pauli de Ostroviza et Maladini de Clisia, de quo in dictis suis litteris nobis particulariter denotarunt, respondeatur: Quod capitula, per ipsos Comites petita, et capitula, per Provisores eis oblata examinavimus diligenter; et considerantes predicta omnia capitula tam sua quam nostra rationabilia et honesta fore, et posse cum honore nostro ad commodum maximum negoctiorum nostrorum venire: volumus et sic eis mandamus, quod dicta capitula nostra et sua, quorum exemplum eis destinavimus, cum ipsis Comitibus debeant confirmare cum illis maioribus cautelis, firmitatibus et honoribus, que poterunt. Intelligendo, quod si per dictum Comitem Maladinum aliquid tangeretur de peticione illorum de Spalato, dicant ei, quod prout alias

sibi fecimus dici, intendimus super ipso facto supersedere pro modo, et suo tempore et loco in ipso negocio terminabimus, quod erit honor noster et conservatio virium utriusque partis, cum illis et aliis verbis, que convenire videbunt; dando tamen hoc spem Comiti antedicto. Et si dicti Comites Paulus et Maladinus nollent firmare predicta, nisi poneretur capitulum illud de blado, quod scripsistis; nolumus, quod propterea desistatis a tanto bono, sed penes alia predicta capitula promittatis eis, qud in casu, quo perderent sua blada, prout scripsistis, quod per nos subveniretur eis, sicut videretur nobis de blado pro furnicione suorum castrorum, cum condicione, quod finita guerra in tempore competenti teneantur nobis restituere omnia, que sibi concedemus, vel valorem eorum, procurando, quod dicti Comites se obligent habere Jadratinos et eorum bona pro suis inimicis, et eos viriliter offendere et damnificare toto suo posse, et quoslibet alios adherentes eis, vel prestantes eis in aliquo auxilium vel favorem; et sic servare debeant in omnibus aliis inimicis nostris, quos eis manifestaremus per litteras vel nuncium.

Capta: Ad litteras domini Marci Justiniano Capitanei nostri petentis lignamen pro domibus hedifficandis in campo, et pariamenta pro furnis etc.; respondeatur, quod lignamen sibi mittimus ad sufficienciam pro una bastia facienda, quod lignamen in alio quam in bastia et una domo pro guarda non intendimus, quod faciat consummare, et magistros instructos ad faciendam ipsam bastiam sibi velociter transmittemus. Verum si stipendiarii nostri stantes in campo domibus indigerent, volumus quod se fulciat de necessariis sibi, prout semper iu exercitibus est consuetum, et quod calcinam et lapides sibi mittemus pro furnis IV construendis in dicta bastia, prout erit neccesse.

Capta: Item scribatur Comiti nostro Arbensi, quod iam diebus pluribus litteras suas recepimus continentes colloquium habitum cum Comite Bartholo de Vegla, et quod adhuc sperabat cum ipso et filio suo Comite Duymo esse, et qualiter ei scripsimus, quod ad hoc daret operam efficacem; et quia non modicum admiramur, quod nichil ab eo habuimus super hoc ab inde citra. Verum putamus, quod propter deffec-

tum temporis, vel propter aliam magnam causam, responsionem suam non habuimus, et ideo mandamus ei, quod si de hoc aliquid egisset cum dictis Comitibus vel altero eorum, suum consilium nobis studeat velociter denotare. Et si cum eis adhuc non fuisset, procuret expedicionem cum eis, et scire, quid est sue finalis intencionis in facto de veniendo nobiscum in unione; et totum, quidquid habuerit et fecerit et speraverit, cum suo consilio nobis denotet.

Capta: Item scribatur dictis Provisoribus nostris, quod si inter Gregorium Comitem, et Comites Maladinum et Paulum aliqua differencia foret, studeant suo posse illam revocare omnino; et si hoc facere non valerent, procurent, quod quelibet pars ad nos mittat super ipsa differentia, quia in ea curabimus terminare, quod respiciat bonum et augmentum utriusque partis.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«. Lit. A vol. 1.)

82.

A velenczei kormánytanácsnak ugyanarra vonatkozó más határozata. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIV. die tercio Septembris. Capta: Cum foret pridie captum et publice proclamatum, quod quicunque haberet de bonis Jadratinorum, deberet illa manifestare infra octo dies sub pena dupli: vadit pars, quod dictum factum committatur nostris Provisoribus, qui inquirant et examinent de predictis, et exigant dicta bona, possendo ponere penam et penas, et personas ad scramentum, et quelibet alia facere, que necessaria fuerint pro invenienda de predictis melius veritate, et a contrafacientibus exigant dictam penam, de qua habeant tercium; et si accusator inde fuerit, per cuius accusationem veritas habebitur, habeat aliud tercium, et teneatur de credentia, et reliquum tercium sit Communis. Et publice hoc clametur, et hodie incipiat terminus dictorum octo dierum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

83.

VI. Kelemen pápa Lengyelországnak azon részeit, melyeket De Carceribus Galhard, és Gervázi Péter apostoli nunciusok 1339. egyházi interdictummal sujtuttak, ez alól felmenti. 1345.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi salutem etc. Nuper carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie illustris nobis sua fecit petitione monstrari, quod olim temporibus guerrarum, que inter ipsum ex parte una, et dilectos filios . . . Magistrum et fratres Domus Hospitalis Beate Marie Theutonicorum de Prussia ex altera, peccatis exigentibus ingruebant, Ducatus Brestensis et Radzeyoviensis tue Wladislaviensis, ac Dobriuensis et Polocensis Diocesium in Reguo suo Polonie consistentes, quos tunc dicti Magister et fratres tenebant indebite occupatos, per venerabilem fratrem nostrum Galhardum Episcopum Vesprimiensem, tunc Prepositum Titulensis Colocensis Diocesis, et dilectum filium Petrum Gervasij Canonicum Aniciensis Ecclesiarum, Apostolice Sedis in Partibus illis Nuncios, et specialiter auctoritate Apostolica super hoc delegatos, ecclesiastico suppositi fuerint ratione occupationis huiusmodi, exigente iustitia, interdicto stb. Cum autem prenominati Magister et fratres, saniori ducti consilio, dictos Ducatus restituendos duxerint stb. nobis prefatus Rex humiliter supplicavit, ut interdietum predictum mandare relaxari stb. de benignitate Apostolica dignaremur. Nos stb. predictum interdictum relaxare auctoritate nostra stb. plenam fraternitati tue concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione nonis Septembris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

84.

A velenczei kormánytanácsnak a jadrai foglyok őrzésére vonatkozó határozata. 1345.

Anno MCCCXLV. die XI. Septembris. Capta: Quod pro custodia carceratorum de Jadra, qui huc venerunt, eligantur per electionam in isto Consilio quatuor nobiles stb., qui stent et custodiant ipsos carceratos stb. Carceratis-vero popularibus, qui omnibus sunt egenes, dentur in die duo tales panes, qualis est ille, qui datur nostris carceratis, qui sibi dentur per Commune. Nobilibus vero mutuetur per nostrum Commune aliqua quantitas pecunie pro expensis eis necessariis, donec mittent Jadram pro pecunia. Qui nobiles possint habere unum famulum Venetum, qui emat eis res necessarias; qui famulus non audeat eis loqui nec aliquid presentare sine Capitibus antedictis, et dictus famulus stet suis expensis.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« A Lit.. A. vol. 1.)

85.

Pál osztroviciai gróf meghatalmazottat küld a velenczei köztársasággal kötendö szövetség tárgyában. 1345.

Exemplum procurationis facte per Egregium virum dominum Comitem Paulum Ostrovicie Jacobo condam domini Goliani.

In Dei nomine Amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indicione terciadecima, die duodecimo mensis Septembris in Castro Ostrovicii. Egregius et potens vir dominus Paulus Comes de Ostrovicio Castro predicto, natus bone memorie olim domini Pauli Bani Chroatorum, fecit, constituit et ordinavit atque disposuit discretum virum ser Jacobum condam domini Goliani de Glemona Vicecomitem suum ibi presentem et mandatum sponte suscipientem, eius sindicum, actorem, factorem, procuratorem

et nuncium specialem ad conveniendum cum Serenissimo Domino, domino Andrea Dandulo Dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie Duce, et Domino Quarte Partis et Dimidie tocins Imperii Romanie, inclito Duci, seu cum sindico vel sindicis, provisore vel provisoribus dicte Dominationis et Communis Veneciarum, seu cum deputando vel deputandis a dicto Domino vel a dicta Dominacione, et ad tractandum et firmandum cum dicto Domino vel cum deputatis vel deputandis ab eo pacta et convenciones quelibet vel quaslibet, que videbuntur sindico antedicto, cum omnibus et singulis provisionibus, obligacionibus, stipulationibus, iuramentis et penarum adiectionibus, que ipsi sindico videbuntur, seu que pro eorum firmitate promittentur et fuerint quomodolibet opportuna; dantes et concedentes dicto eius sindico et procuratori, ac per eum substituto vel substituendo, liberum et generale mandatum, cum plena, libera et generali administracione in omnibus et singulis antedictis clausulis, pactis, conventionibus, ac promittens ipse dominus Comes Paulus predictus per se et suos heredes et successores michi Notario infrascripto stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini Ducis et Communis Veneciarum, sive sindicorum vel provisorum eius, et omnium, quorum interest vel interesse poterit, perpetuo firmum, ratum et gratum habere per se et suos heredes, et quicquid per dictum suum procuratorem factum vel substitutum fuerit nomine quo supra in predictis et quolibet predictorum observare inviolabiliter, et non contrafacere vel venire, sub obligacione omnium suorum bonorum presencium et futurorum; et ad maiorem premissorum evidenciam idem dominus Comes Paulus predictus mandavit michi Notario infrascripto presens instrumentem rescribere et reformare in formam publicam et autenticam. Actum in castro Ostrovicii predicto, presentibus Magistro Marco aurifice condam ser Raynerii de Veneciis, et Gavalnucio condam Johannis de la Penna de Firmo, testibus ad hec vocatis, ad hoc specialiter et rogatis.

(P. H.) Ego Dalfinus condam Petri de Monteforte territorii Fregnanensis, Mutinensis Diocesis, Publicus Imperiali auctoritate et nunc domini Comitis Maladini de Cliscio Jura-

tus Notarius, hiis omnibus presentibus interfui, et rogatus scribere, scripsi, meoque signo solito et nomine roboravi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 277. lev.)

86.

A velenczei köztársaságnak szövetsége a clissai és az osztroviczai grófokkal Jadra ellen. 1345.

Forma pactorum factorum inter Illustrem et Excelsum Dominum, dominum Ducem et Commune Venetiarum ex parte una, et Egregios et potentes viros Paulum et Malladinum Comites ex altera.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, iudictione tertiadecima, die tertiodecimo Septembris, Sibenici, in habitatione ser Michaelis de Stogno de Jadra habitatoris in Sibinico intrommissa per Ducale Dominium Venetiarum, presentibus Egregio et potenti viro domino Johanne Mauroceno honorando Comite Sibenici, nobili viro domino Nicoleto Steno honorabili cive Venetiarnm, prudentibus viris dominis Radosclavo condam Georgii Judice Sibenici, Georgio condam Zipriani Gradich, Nicolao condam Stancii Cosavcich, omnibus de Sibenico, Angelo Amici de Esculano Cancellario Sibenici, Nicoleto condam domini Baysini de Baysinis milite dicti domini Comitis Sibenici, et aliis testibus ibi vocatis specialiter et rogatis. Cum Egregii et potentes viri domini Petrus Gradonico, Marcus Celsi et Nicolaus Sanuto, Provisores et Sindici Illustris et Excelsi domini domini Ducis et Communis Venetiarum ad infuascripta omnia et singula sufficiens et legitimum habentes mandatum, ut de ipsorum et cuiuslibet eorum sindicatu et mandato constat instrumento publico inde confecto, scripto et imbreviato manu Stephani de Franchino in millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione tertia decima, die vigesimo Augusti, Imperiali auctoritate Notarii Publici et Ducatus Venetiarum Scribe, a me Marco Bono

Notario viso et lecto; et Egregius et potens vir dominus Maladinus Chse, Almisii et Scardone Comes, et providus et discretus vir ser Jacobus condam Nicolai Golani de Glemona Vicecomes Castri Ostrovizie Egregii et nobilis viri domini Pauli Comitis dicti Castri Ostrovicie et procurator ipsius domini Pauli Comitis, legittime ad infrascripta omnia et singula creatus et constitutus, ut de procuratione seu mandato constat instrumento publico scripto et imbreviato manu Delfini quondam Petri de Monteforte Imperiali auctoritate Notarrii Publici in millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione tertiadecima, die duodecimo mensis Septembris, a me Notario predicto et infrascripto viso et lecto. Omnes predicti et quilibet eorum sponte et ex certa scienta et non per errorem, omni modo, iure, forma et causa, quibus melius potuerunt, videlicet predicti Egregii et potentes viri dominus Petrus Gradonico, Marcus Celsi et Nicolaus Sanuto, sindicario nomine prefati Illustris et Excelsi Domini, domini Ducis et Communis Venetiarum; et Egregius et potens vir Maladinus predictus pro se et nobilibus viris dominis Comitibus Paulo et Deodato, fratribus suis, pro quibus promisit de rato, ac etiam se facturum et curaturum, quod ipsi et quilibet ipsorum attendent, observabunt et adimplebunt omnia et singula infrascripta: et predictus providus et discretus vir ser Jacobus, procuratorio nomine dicti domini Pauli Comitis, convenerunt, statuerunt, ordinaverunt nominibus predictis, et ad infrascripta pacta, conventiones inter eos et quemlibet ipsorum dictis nominibus, adiecta et apposita solemni stipulatione firmata, devenerunt; videlicet, quod predictus Egregius et potens vir dominus Maladinus Comes pro se, et vice dictorum suorum fratrum, pro quibus promisit de rato, ut supra, et predictus ser Jacobns procuratorio nomine predicto promiserunt et convenerunt stipulatione solemni predictis Egregiis et nobilibus viris dominis Petro Gradonico, Marco Celsi et Nicolao Sanuto sindicis et sindicario nomine recipientibus pro predicto Illustre et Excelso Domino, domino Duce et Communi Venatiarum viriliter dampnificare et offendere Jadratinos in havere et personis per totum tempus, quo guerra durabit, et eorum quemlibet ac quoslibet

alios eis seu eorum alicui adherentes sive prestantes in aliquo auxilium et favorem, eosque et eorum quemlibet pro inimicis habere; et si casus incurreret, quod de suis castris et fortilitiis seu eorum aliquo essent necessaria dictis domino Duci et Communi Venetiarum, offerunt ipsa castra et fortilitia et eorum quodlibet ad beneplacitum dicti domini Ducis et Communis Venetiarum, possendo in eis castris et fortilitiis et eorum quolibet ponere gentem ad beneplacitum dicti domini Ducis et Communis Venetiarum; remanentibus semper dominio et iurisdictionibus dictorum castrorum et fortilitiorum et cuiuslibet ipsorum, quod et quas ad presens habent dicti domini Maladinus et Paulus Comites. Sibi insuper promiserunt ut supra, habere pro inimicis omnes illos, quos dictus dominus Dux et Commune Venetiarnm habet et habebit pro inimicis, et pro, amicis omnes illos, quod similiter predictns dominus Dux et Commune Venetiarum habet et habebit pro amicis; intelligendo omnes inimicos, quos dictus dominus Dux Veuetiarum eisdem Comitibus manifestabit per nuncium sive per litteras. Item si dicti Comites haberent per manus tales tractatus, per quos accipere possent Castrum Tinini, et quos videretur posse ducere ad effectum; illi seu illis, qui essent in partibus Sclauonie pro dicto domino Duce et Commune Venetiarum, quod predictus seu predicti in predictis partibur existentes predictis Comitibus dare debeant de gente sua in illa quantitate, que ei seu eis videretur pro accipiendo dictum Castrum Tinini. Et si contingeret, quod dictum castrum re cuperarent et acciperent de manibus Vngarorum, et dictns dominus Dux et Commune Venetiarum ipsum Castrum Tinini pro se velit; contentantur libere sibi dare et consignare. Et si predictus dominus Dux et Commune Venetiarum ipsum Castrum nollet, quod ipsum castrum et eius dominium eisdem Comitibus supradictis debeat remanere. Et versa vice predicti Petrus Gradonico, Marcus Celsi et Nicolaus Sanuto, sindicario nomine dictorum domini Ducis et Communis Venetiarum, promiserunt per solemnem stipulationem prefatis dominis Maladino et Jacobo quondam Nicolai, procuratorio nomine Comitis Pauli suprascripti stipulanti et recipienti nomine quo supra, quod dominus Dux et Commune Venetiarum predictos

Comites Paulum et Maladinum reciperent in sua custodia et potectione, tanquam suos cives. Item si contingeret, quod Rex Vngarie personaliter, vel eius Bannus seu Bannum cum suo exercitu obsideret castra sua; quod dominus Dux et Commune Venetiarum ad omnem requisitionem dictorum Comitum subveniet dictis Comitibus Paulo et Maladino de illa gentium quantitate, que ipsis domino Duci et Communi Venetiarum videbitur. Item, quod dictus dominus Dux et Commune Venetiarum habebit in sua protectione et custodia supradictos dominos Comites Paulum et Deodatum, fratres predicti Comitis Maladini, tanquam suos cives. Item quod si predictus dominus Dux et Commune Venetiarum pacem et concordium faciet cum Jadratinis superius nominatis; teneatur et debeat ipsos Comites predictos ponere in ipsis pace et concordio taliter, quod remaneant amici ipsorum Jadrensium. Que predicta omnia et singula predicte partes sibi promiserunt ad invicem stipulatione solemni una pars alteri et altera alteri attendere et non contra facere vel venire de jure vel de facto, per se vel per alium, directe vel per obliquum modo vel ingenio, seu alia quacumque ratione vel causa. Pro quibus et singulis attendendis et inviolabiliter adimplendis obligaverunt sibi ad invicem dicte partes omnia et singula bona, videlicet dicti sindici sindicario nomine dicti domini Ducis et Communis Venetiarum bona ipsius Communis; et dictus dominus Maladinus pro se et fratribus suis, omnia et singula sua bona, et dictus ser Jacobus, procurator et procuratorio nomine dicti Comitis Pauli, omnia et singula bona ipsius domini Comitis Pauli pignori seu hyppothece; renuntiantes dicte partes et quelibet ipsarum exceptioni doli mali, in factum fori, privilegio, condictioni sine causa vel ex iniusta causa, fictioni vel simulationi, deceptioni, feriis, diebus feriatis, beneficio restitutionis in integrum, appellationi, supplicationi et generaliter omnibus et singulis iuribus communibus tam canonicis quam civilibus, generalibus et spetialibus, municipalibus et consuetudinariis, et aliis quibuscumque, quibus dicte partes seu aliqua ipsarum vellent seu possent venire contra predicta seu aliquod premissorum, quibus quoad premissa et aliquod pre-

missorum dicte partes et quelibet ipsarum ex certa sciencia esse voluerunt totaliter derogatum.

(P. H.) Ego Marcus Bono, filius domini Bartholomei Bono, Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venetiarum Scriba, hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

(A »Copie de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 273. sk. ll.)

87.

A velenczei kormánytanács Marinust Györgynek fiát, ki mint jádrai elfogatott, szabaddá bócsátja. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIIII. XIIII. Septembris. Capta: Quod Marinus filius Georgii de Jadra, qui licet fuerit natione et origine Jadratinus, tamen a septem annis citra habitavit in Nona, et ibi habet filios et uxorum de Nona, cum de ipso tam per nostrum Capitaneum Generalem de terra, quam per nostrum Comitem None bonum testimonium prebeatur, dimittatur in sua libertate, ita quod possit ire, morari et stare, ubi et sicut sibi placuerit.

Capta: Quod Dominus, Consiliarii et Capita de XL per maiorem partem eorum possint de istis Jadrensibus illos, qui essent infirmi, ita quod de eorum infirmitate constaret per medicos, facere eos commutari in carcerem, in quod fuit dominus Albertus, pro aliqua aleviatione, quousque erunt liberati, et priusmodi reducantur ad locum suum; et si videbitur predictis, possunt deputare de aliis popularibus carceratis, qui habiteut et habeant in ipso carcere curam de eis, vel de aliis personis, sicut videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

88.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete a jadraiak hajóinak üldezése tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. die XVIII. Septembris. Capta: Quod scribatur Capitaneo nostro ser Petro de Canali de novis, que habemus de ligno Jadratinorum et barchosio, que fecerunt damnum aliquibus nostris de Clugia, in partibus Piscarie et Ortone; et quod in continenti mittat duo de suis lignis bene preparatis, de quibus unum sit cum supracomito de nostris nobilibus. Que duo ligna vadant ad ipsas partes Appulie ad persecutionem et damnum dictorum Jadratinorum, et quod faciant viam per riperiam et terras Appulie, et quod declinent etiam ad partes Ancone, ubi dicuntur esse de barchosiis Jadratinorum, et quod ad eorum damnum ibi et alibi intendant; et quod mittatur unus Notarius Curie, qui vadat cum dictis lignis, et faciat ambaxatam pro parte nostra cuilibet terrarum de marina in ipsis partibus, aggravando factum de receptatione Jadratinorum, et de favore, quem eis dant, et quod possumus dicere et tenere, quod ipsi sunt causa damnorum, que fecerunt dicti Jadratini, et propterea ab eis digne possemus reputare iniuriam et damna predicta; et quod requirat, quod cessent a talibus, que nullo modo sustinere possemus, sed haberemus regessum contra suos; et cum aliis verbis, que videbuntur. Et insuper mittatur unus alius Notarius in Anconam, qui faciat ibi similem ambaxatam, et tanto plus aggravet factum, quantum ista sunt contraria responsioni eorum, et cum illis verbis, que videbuntur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

89.

A velenczei kormánytanács határozata a háboru által megkárosodott sebenicoiak, spalatoiak és trauiak fenntartása tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIIII. die XVIII. Septembris. Capta: Quod respondeatur Comiti nostro Sybenici,

quod de dampno fidelibus nostris de Sybenico illato per Budisclavum Vngnich et comitivam suam in suis villis et animalibus, non modicum condolemus, et propterea circha conservacionem et deffensionem suam, locorum et bonorum intendimus providere, sicut nobis videbitur expedire stb.

Capta: Quod scribatur nostris Comitibus Spalati et Tragurii, quod non permittant aliquid de dicta preda et robaria facta nostris fidelibus de Sybenico adduci ad terras suas, nec eciam aliqui. emi per aliquem suum civem sub illa penaque videbitur stb.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«ból Lit A. vol. 1.)

90.

I. Johanna siciliai királyné tudosítja a florenczi köztársaságot férje Endre király haláláról. 1345.

Lettera della regina Giovanna, in cui da notizia della morte di Andrea d'Ungheria suo marito.

Nobilibus et prudentibus viris Rectoribus, Consilio, Populo et Communi Florentie, dilectis amicis nostris.

Johanna Dei gratia Jerusalem et Sicilie Regina salutem et sinceritatis affectum. Infandum scelus, sceleste nephas, piaculare flagitium Deo abominabile mundoque orrendum, in persona condam domini viri nostri per impiorum desteras innoscii sanguinis effusione cruentas immani severitate commissum, ad notitiam vestram gementes et flentes, ac doloribus vehementibus saucie, duximus perferendum. Dum quidem octodecimo huius mensis ipse condam dominus vir noster tarde hora intrandi cubiculum descendisset ad quemdam parcum contiguum gnyfo aule nostri hospitii in Aversa, imprudenter et incaute, ymmo iuueniliter, sicut frequenter ibi et alibi suspecta hora abire consueuerat, nullius in hoc acquiescens consili o, set tantum sequens motus precipites juuentutis, non ad-

mictens sotium, set hostium post se firmans; nosque expectassemus eundem, iamque in ipso cubiculo capte fuissemus a sompno ex mora nimia quam trahebat: nutrix sua, bona et honesta domina, ipsum cum candela cepit anxie querere, et tandem prope murum dicti parci eum reperit jugulatum. De quo quantum nobis lugendum occurrat, nos cogitare non possumus, neque in cor posset ascendere alicuius. Et licet de illo, neque inauditi huius sceleris patratione potius (igy) crudelis facta justitia: tamen respectu malignitatis presumpte omnis rigiditas debet facilitas reputari etc. Datum Auerse sub anulo nostro secreto die XXII. Septembris XIIII. indictionis.

(A florenczi u. n. »Archivio delle Riformagioni« levéltárból, Cod. 16. Cl. XI. dist, 1. fol. 113.)

91.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedése a Jadra elleni harcz tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIV. die XXIV Septembris. Capta: Scribatur Capitaneo nostro terre, stb. Insuper scribatur dicto Capitaneo, Comiti Arbi et aliis nostris Rectoribus, quod sint solliciti invenire cursores, qui vadant in Hungariam ad sciendum de novis et de gente, que veniret infra, et de omni novitate, que fieret in partibus ipsis, et de hinc ecciam mittantur cursores.

Capta: Item scribatur Comitibns Maladino et Paulo Ostrovice, qui sunt noviter uniti nobiscum, cum ortativis verbis ad nostram fidelitatem, que videbuntur, secundum consilium provisorum nostrorum.

(A »Secreta Consilii Rogat.« Lit A vol. 1.; a velenczei nagy levéltárban.)

92.

Dandolo Endre velenczei dogenak rendelete Michaeli Endre arbei grofhoz. 1345.

Nobili et sapienti viro Andree Michaeli Comiti Arbensi.

Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie tocius Imperii Romanie, nobili et sapienti viro Andree Michaeli de suo mandato Comiti Arbi fideli dilecto salutem et dilectionis affectum. Litteras vestras datas in Arbo din XIX. Septembris recepimus, in quibus plurima descripsistis, de quibus sollicitudinem vestram merito commendamus, videntes vos sollicitos in omnibus, que nostrum honorem respiciunt atque statum. Et licet non credamus expediens, mandamus vobis, quod studeatis mittere in Hungariam ad investigandum de novis, et declarandum ea nobis et Capitaneis nostris contra Jadram, sicut de vobis et fidelitate vestra confidimus et speramus. Sitis eciam previsi ad procurandum cum Comitibus Duymo et Bartholo de Vegla, quod non sint iu aliquo per se vel suos favorabiles in factis Jadratinorum, et eciam ad procurandum nuncios domini Patriarche Aquilegie, quos scimus, quod cotidie mitit ad dominum Regem Hungarie, et non pro bona causa, ut putamus. Et si videretur vobis, quod per nos esset aliquis modus tenendus, ut dictos nuncios habere possemus, eum nobis sollicite denotetis. Significamus insuper vobis, quod heri recepimus litteras a nostro Consule Apulie continentes, quod Rex Andreas de Apulia mortuus erat, non bona morte. Preterea continebatur in litteris vestris, quod quidam frater Duymus de Vegla erat fidelis et devotus nostri Dominii; sed nos habemus per litteras de manu sua, que ad nostras manus et nostrorum pervenerunt, quas mittebat Jadratinis et civibus Jadre, confortando eos, et dicendo verba contra honorem nostrum, totum contrarium, ita quod ab eo vos caveatis. Data in nostro Ducali palacio die XXVIII. Septembris XIV. indictionis.

(A »Ducali ed atti diplomatici« osztályból a velenczei nagy levéltárban.)

93.

VI. Kelemen pápa I. Lajos magyar királyt, s annak anyját Erzsébet királynét, és testvérét István herczeget Endre siciliai király megöletéséről értesíti és vigasztalja. 1345.

Clemens Episcop. etc. carissimo in Christo filio nostro Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Traxeruut in amara suspiria et adeo vehementis doloris mestitia repleuerunt intima cordis nostri duri rumores et flebiles, scelus flagitiosum et sceleratissimum flagicium in personam clare memorie Andree Regis Sicilie, germani tui, a filiis Belial, perditionis et iniquitatis alumpnis perpetratum nequiter et proditorie, nuntiantes, quod verbo non valemus exprimere, nec litteris explicare, et quociens mortem tam cari nobisque predilecti filii, modumque casus ipsius ad mentem, a qua vix recedit, reducimus, tociens doloris aculeis acerbius pungimur, nequeuntes interius dolorosa suspiria refrenare. Dumque tuam, fili carissime, domum Regiam, Deo et Sancte Romane Ecclesie, Matri Tue, deuotam, ex amara iactura huiusmodi et tristi eventu turbatam mentis oculis contemplamur; tibi et eidem domui paterno compatientes affectu, doloribusque huiusmodi gravius anxiamur. Et licet tu, fili carissime, dolendi ex eodem casu materiam habeas non indigne: lugere tamen habet amarius Mater Ecclesia de singulari filio perdito et suo fideli defensore futuro, per quem profecto sperabat sui Regni Sicilie posse rempublicam prouide gubernari. O adversa nimis et peruersa fortuna, qua nouercante pius ab impiis, innoxius a noxiis, et dominus a subditis sic est crudeliter et horribiliter interremptus! O misera hamane nature conditio, que sic inclitum Principem, quem Ecclesia non solum adoptatum per eam in filium, sed et de suis generatum visceribus reputabat, et pro quo tot labores pertulerat, ut ad optatum honorem gloriosius perueniret! tunc nequissima factione sceleratorum subtraxit de medio, cum non obstantibus quorundam coloratis contradictionibus, perfecto quantum in nobis erat negotio ipsum inungi mandaueremus, et diademate Regio coronari. Et quamquam, dilectissime fili, ingens sit doloris materia ex tam

horribili scelere, abhominabili Deo et hominibus, quod non remanebit, procul dubio, quantum ad nos et Ecclesiam pertinuerit, inpunitum, licet pena condigna in hac vita vix possit tanto flagitio respondere. Quia tamen, quod sic impie factum est, pro infecto nequit haberi; nec mortis iudicium beneficium restitutionis admittit: Excellentiam rogamus Regiam et attentius in Domino adhortamur, quatenus tanquam Princeps magnificus et devotus dirigens ad Dominum vota tua, ipsius qui tocius consolationis est pater, et afflictos in tribulationibus de sua sperantes misericordia deficere non permittit, quique te ac domnum tuam Regiam consolabitur, ut speramus, in prole ex eodem Rege ac consorte sua Sicilie Regina relicta pregnante, prestante Domino nascitura consolationem recipias, et ipsius beneplacitis te coaptes, carissimam in Christo filiam nostram Elisabeth Reginam Vngarie illustrem, genitricem tuam, et alios de Domo tua predicta Regia dolentes non immerito super hiis per Tue Magnanimítatis virtutem et constantiam dulciter consulando. Nos equidem, qui tibi, et eidem Regine, aliisque dolentibus compatimur in visceribus caritatis, et dolorum vestrorum participes efficimur in hac parte, ad tuam et eiusdem Regine presentiam certam personam, per quam nostra et fratrum nostrorum circa hec intentio Sublimitati plenius innotescet Regie, intendimus breuiter destinare Datum Avinione III. kalendas Octobris Pontificatus nostri anno quarto.

Clemens Episcopus etc. carissime in Christo filie Elisabeth Regine Vngarie illustri salutem etc. (Csaknem szó szerint mint fentebb). Datum Avinione III. kalendas Octobris Pontificatus nostri anno quarto.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Stephano nato clare memorie Caroli Regis Vngarie salutem etc. (Csak nem szó szerint mint fentebb). Datum Avinione III. kalendas Octobris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

94.

A velenczei kormánytanácsnak határozatai a Jadra elleni harcz tárgyában. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIV. die penultimo Septembris. Capta: Quod committatur Capitaneis Terre et Maris et etiam Gubernatoribus, quod intendant ad fortificationem Civitatis None, sicut viderint egere, ut sibi aliquod periculum non possit imminere per gentes aliquas Hungarorum, que inferius declinarent; et mandetur Comiti et illis de Pago, quod ad requisitionem predictorum vel alterius eorum mittant de gente sua Nonam in ea quantitate, quam duxerint requirendam.

Capta: Scribatur insuper omnibus Civitatibus nostris, quod bonam et diligentem curam faciant adhiberi, ne damnum aliquod recipere possint in animalibus et bonis suis, denotando eis hec nova, que habemus de adventu Hungarorum.

Capta: Et scribatur Comiti Gregorio et Budislavo de Curiachis, et Comiti Marco de Barberia, et Comiti Petro de Licha, quod multum nos gravant damna eis illata per Teuthonicos exercitus nostri, et quod taliter operabimur et faciemus, quod gentes nostre a similibus penitus se abstinebunt.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

95.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete, hogy Tosamin Kosza, ki Trauban elfogatott, szabadá bocsáttassék. 1345.

Anno MCCCXLV. die VI. Octubris. Capta: Cum quidam Cosa Tosamin, qui fuit de Jadra, et nunc habitator, civis et de Consilio Tragurii, fuerit captus per Comitem nostrum Tragurii cum aliis Jadratinis? capta fuit pars, quod dictus Cosa Tosamin libere relaxetur cum restitutione omnium.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A vol. 1.)

96.

I. Lajos magyar királynak követei, kik Endre király koronázására küldve voltak Siciliába, ennek megöletése után visszatérnek Magyarországba. 1345.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Regalem voluimus Excellenciam non latere, quod antequam rumores illi dolorosi et flebiles de casu videlicet clare memorie Andree Regis Sicilie, germani tui, ad nostram notitiam peruenissent; negotium, pro quo venerabilis frater noster Gregorius Episcopus Cenadiensis, et dilecti filij nobiles viri Paulus Symonis de Marton Judex Curie Regie Vngarie, et Thomas Noui Castri, ac Nicolaus Capelle Regie Comites, Nuncij Regij, ad Sedem Apostolicam venerant, nosque venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Episcopum Carnotensem, Apostolice Sedis Nuncium, pro dirigendo statu dicti Regni, ac procurandis et preparandis illis, que ad feliciorem expeditionem dicti negotij oportuna existerent, dudum ad partes Regni Sicilie miseramus, eisdem Nunciis fideliter, prudenter et diligenter laborantibus, extiterat, prout felicius per nos fieri potuit, expeditum; sicut ipsi Nuncij, quos super premissis, ipsorumque conuersatione circumspecta et laudabili commendamus multipliciter, Tue Regie Celsitudini referre seriosius poterunt viua voce. Datum Avinione VII. idus Octobris, Pontificatus nostri anno quarto

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

97.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete, hogy a Jadraban lévő anconaiak szabadon kibocsáttassanak. 1345.

Anno MCCCXLV. die X. Octubris. Capta: Cum Ancomitani nos rogaverunt, quod homines Ancone, qui erant et sunt in Jadra, cum suis bonis possint secure exire de Jadra:

capta fuit pars, quod scribatur nostris Capitaneis et Gubernatoribus exercitus, quod mittimus ad eos Anconitanos, qui dicunt habere de suo et suis in Jadra, et quod eos audiant et ordinent et dent eis illum modum, qui eis videbitur cum honore nostro, et sine aliquo preiudicio nostrorum negociorum, quod ipsi Anconitani cum suis bonis possint secure exire de Jadra quantum pro nostris, non permittendo Anconitanos, qui veniunt et sunt duo pro predictis, intrent Jadram nisi cum personis, non portando litteras aliquas vel arma vel alias res alicuius preiudicii, tenendo in hoc illam bonam provisionem, que sibi videbitur melior, ut non extrahant nisi personas et bona hominum de Ancona, et non aliud.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1,)

98.

VI. Kelemen pápa János cseh, és III. Kazimir lengyel királyokat inti, hogy békességet kössenek. 1345.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Johanni Regi Boemie illustri salutem etc. Relatibus percepimus fidedignis, quod dudum inter te, carissime fili, ex una parte, et carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie ex altera, periculosis dissensionibus, hoste procurante humani generis, suscitatis, et ex illis guerrarum motis insultibus, tandem bonis viris mediantibus, et tractantibus inter vos inuicem treuge, pacis representantes ymaginem, ommissis guerrarum huiusmodi fremitibus, inite fuerunt usque ad festum Beati Martini venturum proximo durature. Verum quia treugarum predictarum terminus appropinquat; nos verentes, quod post lapsum eiusdem termini hostis predicti malitia instigante, tu et Rex predictus ad offensiones mutuas et hostiles congressus stb. prorumperetis hinc inde; cupientesque huiusmodi dispendiosis periculis obviari salubriter, et mutue pacis et vnitatis federa inter vos inuicem reformari, Excellentiam rogamus Regiam et in Domino attentius exhortamur,

quatenus stb. ad huiusmodi pacem et concordiam, pretermissis omnino congressibus bellicis, animum Regium abilitans et disponens, treugas inire cum Rege predicto usque ad certi competentis temporis spatium, infra quod pacis huiusmodi concordia, circa quam vacare studiosis operibus intendimus, tractari et reformari, suffragante gratia Divina valeat, duraturas procures; tuos nichilominus Ambassiatores et Nuntios sufficienter instructos et ydonea potestate suffultos, ad nostram presentiam, cum idem scribamus prefato Regi Polonie super hiis, transmissurus. Sane quia negotium huiusmodi ex causis predictis insidet admodum nobis cordi; dilectum filium Magistrum Guillelmum de Pusterla, Prepesitum Ecclesie Posoniensis Strigoniensis Diocesis, Capellanum nostrum, Apostolice Sedis Nuncium, virum utique litterarum scientia preditum, probitatis et circumspectionis maturitate conspicuum, ad tuam et memorati Regis presentiam cum aliis nostris oportunis litteris prouidimus propterea destinandum; nostris precibus et exhortationibus adicientes predictis, ut ea que ipse Tue Celsitudini pro parte nostra circa premissa duxerit explicanda, plene intelligens et benigne, ipsius persuasionibus, exhortationibus et monitis salubribus sic acquiescas efficaciter in hac parte; quod bona, que optamus, inde Domino largiente proveniant, timore malorum sublato, Regalisque devotionis prudentia digne laudis et commendationis preconiis attollatur. Datum Avinione XV. kalandas Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Carolo, primogenito carissimi in Christo filii nostri Johannis Regis Boemie illustris, Marchioni Morauie salutem etc. (mint fentebb) Datum Avinione XV. kalendas Novembris Pontificatus nostri anno quarto.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie illustri salutem etc. (mint fentebb.) Datum Avinione XV. kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

99.

VI. Kelemen pápa I. Lajos magyar királyt fellkéri, hogy a János cseh és III. Kazimir közt kötendő lengyel királyok békességet támogassa. 1345.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Relatibus percepimus fidelignis, quod dudum inter carissimos in Christo filios nostros Johannem Boemie et Kazimirum Polonie Reges illustres perculis et dissensionibus, hoste procurante humani generis, suscitatis inuicem, et ipsis Regibus inde ad guerras et offensiones hostiles commotis, bonis viris mediantibus et tractantibus treuge inite fuerunt inter eos usque ad festum Beati Martini futurum proximo durature. Nos igitur verentes, quod lapso predictarum treugarum termino, instigante hostis predicti malitia, Reges predicti ad congressus predictos, ex quibus lapsus rerum, excidia personarum, et animarum amarius deplorande pericula, et alia dispendia innumera possent sequi, prorumperent, et cupientes dispendiosis periculis huiusmodi salubriter paterne sollicitudinis studiis obuiare, Reges ipsos per nostras exhortamur litteras et rogamus, ut ad vias pacificas, omissis bellicis insultibus se disponant, et ut ad pacis mutue concordiam inter eos inuicem reformandam, circa quam intendimus interponere sedule partes nostras, melius, utilius et quietius intendi, Diuina gratia suffragante valeat, treugas ineant inter se usque ad certi competentis temporis spatium duraturas; nichilominus suos Ambassiatores et Nuntios super his sufficienter instructos et idonea potestate suffultos ad Nostram Presentiam, nisi pax ipsa reformari posset commode in illis partibus, transmissuri. Et quia negotium huiusmodi admodum insidet cordi nostro, dilectum filium Magistrum Guillelmum de Pusterla Prepositum Ecclesie Posoniensis Strigoniensis Diocesis, Capellanum nostrum, Apostolice Sedis Nuntium, ad tuam, carissime fili, et ipsorum Regum presentiam, partesque illas prouidimus propterea specialiter destinandum. Sane, fili dilectissime, quia commoda vel incommoda Regum ipsorum, sicut intelleximus, te contin-

gunt; Magnificentiam tuam Regiam rogamus attentius et in Domino exhortamur, quatenus, ut ipsi a congressibus hostilibus et offensionibus mutuis penitus abstineant, et ad viam pacificam iuxta monita nostra salubria effectualiter se disponant, laborare studiosis sollicitudinibus, ut gaudii merearis esse particeps, quod promittit Sapiens ineuntibus pacis consilia, non postponas. Datum Avinione XV. kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

100.

VI. Kelemen pápa Pusterlai Vilmost pozsonyi prépostot apostoli nunciusnak küldi, hogy János cseh és III. Kazimir lengyel kiralyok közt a békességet eszközölje. 1345.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Magistro Guillelmo de Pusterla Preposito Ecclesie Posoniensis Strigoniensis Diocesis, Capellano nostro, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Etsi iuxta pastoralis officij debitum ad omnium corda fidelium in concordie vnitate seruanda nostra suspiret intentio, et ad hoc sollicitudinis Apostolice studia dirigautur: Principes tamen, aliosque Magnates Catholicos tanto magis desideramus seruare concordes, quanto ipsorum periculosa discordia grauiora procul dubio animarum et corporum germinare pericula consuevit. Sane dudum, sicut intelleximue, inter carissimos in Christo filios nostros, Johannem Boemie ex parte una, et Kazimirum Polonie Reges illustres ex altera, dissensionibus, rancoribus et odiis, hoste procurante humani generis, suscitatis, et ex hoc ad guerras et hostiles congressus hinc inde commotis, tandem bonis viris mediantibus et tractantibus inter Reges ipsos treuge, pacis representantes ymaginem, cessantibus commotionibus bellicis inite fuerunt hinc inde usque ad festum Beati Martini venturum proximo durature. Instante autem nunc termino fine treugarum ipsarum, Nos, qui Reges eosdem in pacis et concordie vnitate confouere cu-

pimus, verisimiliter formidantes, quod post lapsum earundem terminum ad offensas mutuas et congressus bellicos hoste instigante predicto, qui pacem odit et discordias fouet et diligit, prosilirent, et attendentes nihilominus, quod exinde, lapsus rerum, excidia personarem, et animarum amarius plangenda pericula, nec non dispendia fidei Catholice, cuius blasfemi ac persecutores crudeles et hostes illis partibus sunt vicini, et alia mala innumerabilia non reparanda faciliter possent sequi, eisque obviari salubriter paterne diligentie studiis cupientes, te, de cuius fidelitate ac probitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam gerimus, ad ipsorum Regum presentiam et partes illas prouidimus propterea specialiter destinandum. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus te ad presentiam et partes easdem conferre procurans, prefatos Reges ex parte nostra requiras, moneas et inducas, ut premissis consideratis ad vias pacificas, Deo placibiles et utrique eorum utiles, omissis commotionibus, offensionibus et congressibus bellicis, quibus offenderetur grauiter Rex pacificus et eternus, conuertentur et abilitent corda sua, et ut inter ipsos ad huiusmodi pacis et unitatis concordiam reformandam, circa quam nos more patris beniuoli, quem non preterit incommoda filiorum intendere, sedulo intendimus, melius et utilius, turbationum et guerrarum fremitibus quiescentibus, intendi valeat, Diuina gratia suffragante treugas, pacis representantes ymaginem, inter se ineant usque ad certi temporis competentis spatium, infra quod dicta concordia tractari possit, et domante Domino perfici, duraturas; quodque nisi, te vel aliis bonis viris mediantibus, Reges ipsi ad concordiam mutuam pervenire valerent, suos Ambassiatores et Nuncios sufficienter instructos, et idoneo mandato suffultos super premissis, ad Nostram curent propterea Presentiam destinare. Si vero prenominati Reges tuis, imo nostris pocius, ut speramus in Domino, cum eis per alias nostras inde scribamus litteras, optemperauerint requisitionibns, exhortationibus et monitis salubribus in hac parte, treugas ineundo predictas; tu, si ipsi noluerint, treugas sic per eosdem initas penis et sententiis spiritualibus, de quibus tibi videbitur, promulgandis adversus eos, qui eas infrin-

gerent, vel etiam non seruarent, auctoritate nostra studeas oɹoe ǝɹɐɹ: quascunque colligationes, confederationes et pacbtionɹʇq‘ sdǝuas posset suscitata inter Reges memoratos nutriri discordia, vel huiusmodi treuga violari, sub quacunque forma vel conceptione verborum contractas inter quoscunque quomodolibet iuramentis presumpte fuissent, nullas, cassas et irritas esse ac fuisse, velut contra bonum pacis in Summi Regis offensam temere attemptatas nuntiando, et quatenus de facto processissent, annullando, cassando et irritando, ac penas adiectas et iutamenta prestita super eis, cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, nihilominus relaxando Super quibus omnibus et aliis circa premissa quomodolibet oportunis faciendis, gerendis et exercendis, plenam tibi concedimus tenore presentium facul tatem. Datum Avenione XV. kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

(V. Kelemen pápa regestáiból.)

101.

VI. Kelemen pápa ugyanazt, ezen kibékités tekintetéből, kiközesitési rendkivüli hatalommal ruházza fel. 1345.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Magistro Guillelmo de Pusterla Preposito Ecclesie Posoniensis, Strigoniensis Diocesis, Capellano nostro, Apostolice Sedis Nuntio, salutem etc. Etsi iuxta pastoralis officii debitum etc. usque destinare. Si vero prefati Reges, quibus per alias litteras nostras super hiis scribimus, tuis huiusmodi, immo pocius nostris requisitionibus, exhortationibus et monitis utique salubribus obtemperare cum effectu forsitan recusarent, quod absit, ut predictis periculis et scandalis obuietur, et utilius possint inter eos commoda procurari; tu auctoritate nostra inter prefatos Reges, eorumque vassallos, adherentes, fautores, vallitores et subditos treugas procures indicere usque ad compententis temporis spatium, de quo tibi expedire videbitur, duraturas; in omnes et singulos, quos treuge ipse contingent, cuiuscunque status, ordinis preminentie, conditionis

vel dignitatis existant, etiamsi Pontificali, Regali vel quacunque alia prefulgeaut dignitate, qui treugas ipsas, postquam per te indicte ac publicate fuerint, violarent, infringerent, vel etiam non seruarent, in personas videlicet singulares excommunicationis, et in Ciuitates, Castra, oppida, villas, terras et loca ipsorum interdicti sententias promulgando. Super quibus omnibus, nec non quascunque colligationes, pactiones et societates inter quoscumque contractas vel initas sub quacunque forma vel expressione verborum causa discordie inter Reges nutriende predictos esse ac fuisse nullas, cassas et irritas, velut contra bonum pacis in Summi Regis offensam presumtas indebite nunciandi, et quatenus processissent de facto, annullandi, cassandi et irritandi, ac penas adiectas et iuramenta prestita super eis, cum iuramtum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxandi, aliaque gerendi, faciendi et exercendi, que circa premissa necessaria fuerint vel etiam oportuna, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Ceterum, quia parum prodesset humilitas humilibus, si contemptus inobiedientibus non obesset, nostre intentionis existit et volumus, quod huiusmodi per te promulgande pene ac sententie sic illos, qui treugas predictas, dum per te indicte fuerint, infringerent, vel etiam non seruarent afficiant et apprehendant, quod alios easdem treugas obseruantes vel obseruare paratos in aliquo non contingant. Datum Avinione XV. kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

102.

Dusan István szerb királynak levele Dandolo Endre velenczei dogehez Cattaro és Jadra városok dolgában. 1345.

Exemplum quarundam litterarum destinatarum inclito domino Duci per dominum Regem Servie.

Stephanus Dei gratia Servie, Dioclie, Chilminie, Zente, Albanie et maritime regionis Rex, nec non Bulgarie Imperii

partis non modice particeps, et fere totius Imperii Romanie Dominus, Magnifico et potenti viro domino Andree Dandulo eadem gratia Illustri Duci Venetiarum, et cetera, affini carissimo, salutem et felicibus successibus mutuo congaudere. Sexto die mensis Octubris Affinitatis Vestre Magnifice litteras recepimus, continentes pacta et conventiones, que olim per nostram Regiam Maiestatem et vestram inter fideles vestros et Catarenos nostros annorum decem spacio roboratas, et tantum plus, quantum extendi vellet de partium voluntate, qui terminus et spacium finire videntur mensis Decembris intrante decimo die propximo iam venturo. Ideo Vestra Affinitas, tanquam sapiens, provida et discreta, advertens, ne aliquid discriminis possit in antea evenire, a nobis postulat, quod intendimus super negocio antedicto et intenta cicius rescribendo ad hoc, ut valeatis fidelibus vestris providere de remedio oportuno, ad debita in Cataro extrahenda. Quare Fraterne Magnificentie Vestre sic intimare volumus et curamus, si erit de vestro beneplacito, adhuc pacta ista et conventiones firmentur usque ad duos annos proximos iam venturos, et tantum plus, quantum erit de Catarensium voluntate et vestra; et sic scribimus Catarensibus antedictis, ut vestri fideles valeant ibidem debita commodius extrahere et habere, et non solum illic, sed ubique locorum nostre Regie Maiestatis. Preterea intelleximus, quod Civitas Jadre ausu temerario rebellavit, de quo doluimus non modicum, mirantes de Affinitate Vestra; quare renuit nobis intimare prefata, eo quod zelemus et velimus honorem et augumentum vestrum tanquam nostrum, et merito, quia unus vestrum, etiam si expedit, quod mittamus partem nostri exercitus, aut in copiam, non resservatis vestris litteris intimare, quum revera invenietis Maiestatem Nostram ad vestri beneplacitum fortissime promptiorem. Data in Sero, die quintodecimo Octubris, indictione XIV.

(A »Copia de Commermoriali« velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 265. lev.

103.

Buchie Miklós a szerb király kamarásának levele Dandolo Endre velenczei dogehez. 1345.

Exemplum litterarum missarum domino Duci per Nicolaum Buchie Comitem, Camerarium Regium.

Magnifico et potenti viro domino Andree Dandulo, Dei gratia Veneciarum illustri Duci, nec non Croatie, Dalmatie ac Quarte et Dimidie Partis totius Romanie Domino, Nicolaus Buchie Comes, Camerarius Regius salutem et semper promptum animum serviendi. Receptis vestris litteris, earumdem intellecto tenore, ob amorem Magnificentie Vestre sic instavi apud Regiam Maiestatem super facto pactorum et conventionum inter vestros fideles et Catarenos, quemadmodum in litteris Regiis pleniter continetur, quare non repeto. Vlterius Supereminentie Vestre facio fore notum, quod corda illustris domini mei Regis non modicum sunt turbata, eo quod totis viribus vos et vestra diligendo, spernitis vestra commoda et incommoda eidem vestris litteris intimare; pronus, promptus et efficax, scio vobis dicere, est, se et sua opponere pro vestre Reipublice commodo et honore. Et modo intellexi, Vestram Altipotentiam castra mentatam fuisse apud Jadriam infidam, per alios, per vos, et preparavit quingentos armigeros, et plures de suis castris et exercitu meliores veraciter elligendo, Theothonice iam armatos, usque ad guerrarum finitionem suo stipendio, risicho et fortuna, et de die in diem vestrarum prestolatur intimationem et seriem litterarum. Quare vobis, inclite domine Dux si hoc est — — — -

(A »Copia de Commermoriali« velenczei államkönyvből IV. köt. I. r. 266. lev.)

104.

A velenczei kormánytanácsnak a jádraiak elleni harczra vonatkozó rendeletei. 1345.

Anno MCCCXLV. die XV. Octubris. Capta: Quod in bona gratia eligatur Capitaneus Generalis Maris loco ser Petri de Canalis, qui vadat cum presenti armata secundorum, et intendat toto posse ad damnum et destructionem Jadratinorum inimicorum nostrorum, et suorum locorum et bonorum, et aliorum, qui damnificarent nostros, vel facerent ipsis, cum honore nostro et conservatione nostrarum terrarum et locorum et gentis sibi commisse, et aliorum nostrorum fidelium et navigiorum inde transeuntium cum suis mercacionibus et rebus etc.

Capta: Quod committatur nostris Capitaneis Terre et Maris et Gubernatoribus, quod crederemus esse bonum et utile pro negociis nostris, si eis videretur, quod posset fieri, quod explanaretur extra bastitam nostram circa portum Jadre taliter, quod nullus posset per terram vel per aquam exire vel intrare, quin videretur; et quod stipendiarii nostri possin, inde discurrere, non timentes imboscationes aliquas factas vel que possent fieri; et etiam si videretur eis de faciendo unam aliam bastiam ultra portum, et in quo loco, et de qua magnitudine; et similiter faciant examinare porporarias et altitudi, nem aque, et intus et foris, et omnes condiciones portus, et fortilicias factas per Jadratinos, et qualiter possemus damnificare inimicos nostros tam cum presenti armata, quam in alio tempore; et totum, quod invenient in omnibus et singulis supradictis, et suum consilium super ipsis nobis debeant velociter per suas litteras nuntiare, ut in ipsis valeamus utiliter pro honore nostro et bono facti melius providere.

Capta: Et cum per Ambaxatores de Tragurio nomine Communis et hominum dicte terre petatur, quod eis mutuetur unum lignum causa armandi ipsum in dictis nostris factis; capta fuit pars, quod ipsis gratiose complaceatur, et mutuetur unum lignum bene furnitum armis et remis et aliis oportunis.

Et cum dicant, velle ire Jadram pro liberatione procuranda suorum, libere quantum per nos vadant ad suum libitum: verum dicatur eis, quod habeant bonam custodiam et curam suarum personarum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

105.

VI. Kelemen pápa I. Lajos magyar királyhoz, a János cseh és III. Kazimir lengyel királyok közti egyenetlenségek tárgyában. 1345.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Sicut Regalis Excellentia non ignorat, dudum inter carissimos in Christo filios nostros Johannem Boemie et Kazimirum Polonie Reges illustres grauis dissensionis materia, per quam, hoste procurante humani generis, ad guerrarum et congressuum hostilium fremitus processerant hinc inde, seu intendebant procedere periculose nimium suscitata, tandem Reges ipsi mediantibus et tractantibus viris pacificis treugas inierunt invicem usque ad instans festum Beati Martini venturum proximo duraturas. Instante auten fine treugarum ipsarum nos timentes, quod ipsi post dictum terminum ad congressus huiusmodi, ex quibus lapsus rerum, excidia personarum, et animarum amarius deploranda pericula, nec non dispendium fidei Catholice, cuius hostes blasfemi et persecutores illis partibus sunt vicini, aliaque mala innumera, nisi obviaretur salubriter, possent sequi, prorumperent; et eis occurrere paterne solicitudinis studiis cupientes: dilectum filium Magistrum Guillelmum de Pusterla Prepositum Ecclesie Posoniensis Strigoniensis Diocesis, Capellanum nostrum, Apostolice Sedis Nuntium, virum utique litterarum scientia preditum, fidelitatis et discretionis maturitate conspicuum, pacis, veritatis, et iustitie zelatorem, ad eorumdem Regum presentiam et partes illas providimus propterea cum nostris oportunis litteris specialiter destinandum. Verentes quoque, quod infra instantem treugarum pre-

dictarum terminum, ad partes illas pervenire dicto Nuntio non valente, attemptarentur aliqua, hostis predicti malitia instigante, que negotium reformationis pacis inter Reges prefatos, circa quam laborare sedule intendimus, exasperarent forsitan, vel ipsius difficiliorem redderent viam pacis, Reges prefatos per nostras litteras exhortamur, ut premissis diligenter attentis sufferentiam super predictis usque ad aduentum predicti Nuntii, qui quantum potest commode festinat iter suum, recipiant, et ab omnibus commotionibus, novitatibus noxiis, et hostilibus congressibus medio tempore penitus abstinere procurent. Quocirca Excellentiam tuam Regiam attentius deprecamur, quatenus super hiis partes tue solicitudinis efficaciter pro Diuina et Apostolice Sedis reverentia interponas. Datum Avinione IIII. kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

106.

A velenczei kormánytanácsnak Jadra ostromlására vonatkozó rendeletei. 1345.

Anno MCCCXLV. die quinto Novembris. Capta: Quia facit multum pro factis nostris Jadre, ut prosperentur de stringendo, quod victualia vel arma non portentur Jadram, et quod illi, qui hoc faciunt, substineant penam notabilem: capta fuit pars, quod scribatur nostris Capitaneis et Gubernatoribus, quod omnes Jadratinos, quos hucusque captos habent, nobis debeant sub bona custodia destinare. Verum ad terendum omnes, faciat publice cridari in locis, sicut eis videbitur, quod nullus Jadratinus vel alia persona audeat portare vel conducere Jadram victualia vel arma sub pena perdendi ambos oculos, et sic debeant nostri facere observari in omnibus, quos invenirent portare, vel qui essent in actu portandi; omnes vero alios Jadratinos, quos invenirent, capi faciant, et nobis mittant sub bona custodia, ut est dictum, salvo quod si

commississent aliquod delictum, per quod essent digni alia pena, quam carceris, faciant, sicut eis videbitur; scilicet si isti portantes et contrafacientes esseut forenses, qui non exivissent de Jadra, et venissent cum navigio portando predicta prohibita, debeant eos capere, et Venecias captos destinare.

Capta: Quod scribatur Capitaneo et Gubernatoribus, quod intelleximus eorum litteras continentes de adventu Vngarorum ad illas partes; et licet credamus eos provisos in omnibus, tamen reducimus ad memoriam, quod habeant bonam custodiam et curam nostrorum locorum, et specialiter terre nostre None, que taliter sit furnita, quod nallum sinistrum de ipsa modo aliquo posset evenire. Et armentur isti duo userii dupli vel plus, si videbitur, et mittantur cum rebus necessariis velociter ad nostrum exercitum, super quibus accipiantur et mittantur ad custodiam terre None.

Anno MCCCXLV. die VI. Novembris. Capta: Cum Jadratini per tempora retroacta multas expensas, labores et brigas dederint nostro Communi propter eorum rebellationes factas contra Dominacionem istam a modo seties cum presenti, et hoc solum ex nequicia et malicia, quam hebent propter pinguedinem et bonum statum eorum, et non aliqua iusta et ralionabili causa, sicut est omnibus manifestum, et ad nostrum spectet honorem, eorum infidelitatem et prodiciones taliter providere, quod de tanta sua ingratitudine et superbia patiantur dignam penam, et in futuro ipsi et alii nostri subditi saltim terrore pene talia non presumant: capta fuit pars, quod committatur Capitaneis et Gubernatoribus, quatenus, quo cicius esse potest, semper cum honore nostro et securitate sua et gentium eis comissis, faciant dare et facere vastum tam in staria quam in insulis, olivarios et vineas extirpando vel incidendo, domos et habitaciones dirupando vel comburendo, et omnia alia faciant, que pertineant ad destructionem et desolacionem eorum et, locorum et bonorum, sicut eorum opera meruerunt. Et quia stipendiarii nolunt talia facere, accipiant de hominibus Pagi et Arbi et aliorum locorum, sicut eis videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

107.

A velenczei kormánytanácsban tárgyalások az I. Lajos magyar királyhoz küldendő követség ügyében. 1345.

Anno MCCCXLV. die VIII. Novembris. Cum credendum sit, quod mittere Ambaxatam per aliquos religiosos domino Regi Hungarie et domine Regine eius matri, non posset aliud, quam prodesse factis nostris, dicendo Sue Maiestati verba reverentie et honoris: vadit pars, quod mittantur ad eos duo religiosi ad condolendum de morte domini Regis Andreasii fratris sui, cum illis pulcris verbis, que videbuntur. Et subsequenter exponant de rebellione Jadratinorum, qui iam annis IV centum et ultra fuerunt nobis subiecti, sicut est notorium toti mundo, regendo eos in statu pacifico et quieto, et cum omni benivolentia et augmento eorum tanquam filios; sed ipsi, impinguati et incrassati, erexerunt se in superbiam et temeritatem, committendo rebellionem constra nostram Communitatem. Sed speramus in Deo altissimo, quod superbiam eorum in confusionem deducet, sicut est iustum. Et ut ad obedientiam nostram et fidelitatem eos reducere valeamus, misimus nostrum exercitum terre et maris contra eos. Vnde cum ad Suam Regiam Maiestatem et suorum predecessorum semper gesserimus reverentiam maximam et honorem, et etiam gerere intendamus; miramur, quod intelleximus, quod sua gens venit ad partes Sclauonie manu armata, pro dando favorem dictis Jadratinis rebellibus nostris. Et propterea rogamus Suam Serenitatem, quatenus ei placeat non credere falacibus et falsis verbis eorum, nec permittere, quod gens Regia in auxilium vel favorem dictorum inimicorum nostrorum vadat vel veniat, ut de Sua Maiestate confidimus et speramus, tenendo nos et Communitatem nostram, sicut vere potest, pro suis devotis et intimis amicis, sicut fuimus Serenissimi domini patris sui et predecessorum suorum; cum hiis et aliis pulcris verbis, que videbuntur. Et informentur dicti duo religiosi oretenus, quod, si dominus Rex tangeret eis aliquid de terris Sclauonie, respondeant, quod de hoc nichil fuit eis commissum, sed sunt certi, quod dominus Dux et Commune Venetia-

rum sunt sincere dispositi in omni devotione, honore et amore domini Regis, sicut fuerunt cum suis predecessoribus. Et quicquid fecerint et habuerint, et persentire poterunt, sollicite nobis scribant, expectando ibi nostram responsionem.

Capta: Quia ista negocia sunt magna et ardua, et reqnirunt bonam deliberationem: vadit pars, quod hec pars inducietur usque ad dies octo proximos. Et si ante haberentur nova, per que videretur Domino, Consiliariis et Capitibus vel Sapientibus, de veniendo ad Consilium ante, veniatur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. I.

108.

Egy magyarországi püspök Velenczében. 1345.

Anno MCCCXLV. die XII. Nouembris, indictione XIV. Capta: Quod cum isto domino Episcopo Hungarie, qui est hic, et alias fuit, et hostendit habere amorem et devotionem ad nostrum Dominium, possint loqui et ratiocinari verba amoris et reverentie erga Maiestatsm Regiam de Hungaria circa id, quod continetur in parte, que pridie hic ponebatur, informando eum, sicut videbitur utilius pro factis nostris.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. I.)

109.

Magyar sereg Vranánál. 1345.

Anno MCCCXLV. die XIX. Novembris. Capta: Scribatur ser Petro de Canali, Capitaneo Maris, quod cum habeamus, quod exercitus Hungarorum est ad Vranam, distantem a mari per duo miliaria, ponat mentem, cum securitate tamen armatorum et gentis nostre, de mittendo cum galeis ad obstandum et custodiendum, quod victualia non portetur nec vadat per mare ad exercitum Hungarorum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. I.)

110.

A magyar sereg visszavonúl. 1345.

Anno MCCCXLV. die XX. mensis Nouembris, XIV. indictionis. Intellectis litteris nuper receptis a nostris Capitaneis et Gubernatoribus exercitns terre contra Jadram, de compositione facta cum Hungaris, et de eorum recessu cum magno nostro honore et avantagio agendorum nostrorum, consulunt sapientes: rescribatur Capitaneis nostris Maris et Terre et Gubernatoribus, quod, intellectis litteris suis, quas nuper nobis miserunt, intellectis etiam compositione habita cum Hungaris eorumque recessu, gratias agimus Altissimo, que negocia nostra recte disponit; commendantes plurimum et merito eos de providentia et sollicitudine sua, et de abili modo, quem tenuerunt in predictis. Cernimus enim, quod predicta facta sunt cum magno nostro honore et avvantagio et comodo agendorum, et cum securitate nostra nostrorumque fidelium, nec non cum magna confusione inimicorum nostrorum stb.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« L. A. vol. I.)

111.

A velenczei kormánytanácsnak válasza Dusan István szerb király levelére. 1345.

Anno MCCCXLV. die XXII. Novembris. Capta: Quod respondeatur domino Regi Rascie ad suas litteras de honorabili et magnifica oblatione, quam nobis facit de gente sua mittenda ad nostrum servitium contra Jadram; regratiando Sue Maiestati cum illis pulcris verbis, que videbuntur, tantum plene, quantum poterit fieri pro honore suo et nostro, ostendendo, quod in casu predicto et aliis quibuslibet nostris honoribus recurreremus et intendimus recurrere, quoties opus erit, ad Suam Maiestatem' cum fiducia speciali tanquam ad

Serenissimum et Excellentem amicum et affinem nostrum charissimum, et magis plenus tenor litterarum suarum auxit fiduciam nostram, et efficacius obligavit nos et Communitatem nostram ad Sue Maiestatis honores pariter et augmentum. Et cum hiis et aliis verbis fiat responsio, ut videbitur convenire. Sed ad presens habemus exercitum nostrum potentem in mari et terra contra Jadrenses rebelles nostros, et speramus in Domino, quod de sua perfidia et rebellione cito sentient penam debitam, et obtinebimus velociter intentionem nostram ad honorem Dei, et sui et omnium amicorum. Item quod respondeatur sic ad litteras domini Nicole de Buchia, regraciando cum pulcris verbis, que videbuntur convenire. Item per alias litteras nostras respondeatur eidem domino Regi, quod desiderantes semper complacere Sue Maiestati de facto armorum contentorum in suis litteris, licentiam extrahendi de partibus nostris cencessimus liberaliter, dispositi cum affectione intima et sincera in hiis et aliis omnibus, que sunt sui beneplaciti et honoris. Item acceptetur prorogatio confirmationis pactorum, que habemus cum illis de Cataro usque ad duos annos proximos, et tantum plus, quantum fuerit de partium voluntate, sicut dominus Rex predictus per dictas suas litteras nobis scribit.

Nota quod arma contenta in litteris dicti domini Regis sunt hec: primo trecente curatie, trecenti schencheli, trecenta colaria, trecente barbate et trecenti clipei; et facta fuit cedula officialibus tabule, quod facerent bulletam ser Matheo de Grado de Ragusio, pro dicto domino Rege extrahendi dicta arma, solvendo datium consuetum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

112.

A jadraiak követeket küldenek I. Lajos magyar királyhoz. 1345.

Anno MCCCXLV. die V. Decembris, indictione XIV. Capta: Quod scribatur Capitaneo Maris et Terre, et Gubernatoribus in hac forma: stb.

Inteleximus inter alia, quod pridie L homines de Jadra exierunt, et iverunt usque super pontem None, et abstulerunt LXV animalia grossa nostrorum fidelium None, et ipsa in Jadram conduxerunt; quod nos turbat et gravat, sicut potest, maxime quia sumus et esse debemus in actu damnificandi rebelles et inimicos nostros, et ipsi e contra depredant nostros fideles, quod preter damnum redundat in minus honoris nostri Dominii atque vestri. Pervenit etiam ad nostram noticiam, quod Cerne de Fanfogna et Nicolaus Galletto exiverunt de Jadra, euntes in Ambaxatores Jadre in Hungariam. De quo miramur specialiter, quomodo exire potuerunt, quin caderent in manibus custodum nostrorum, aut saltem non sentiretis de recessu eorum; per que dici potest, quod in factis nostris non adhibetur illa custodia et diligentia, que foret expediens. Mandavimus etiam vobis per litteras replicatas, quod cum propter recessum Hungarorum habemus tempus acceptabile atque bonum ad faciendum facta nostra, debeatis statim facere fieri aliam bastitam, et examinare omnem viam et modum, quod vobis videretur pro habendo civitatem tam per terram quam per mare etc., de quibus adhuc nichil fecistis. Et vere predicta omnia, et modus quomodo tenetis in non significando nobis sepius, quecumque facitis et occurrunt, nobis displicent, sicut possunt, et gravitatem et admirationem non modicam inferunt animis nostris. Intelleximus insuper, quod in adventu domini Delphyni fecistis treuguam cum inimicis nostris per unam diem, qua die multi de Jadra exiverunt et venerunt ad nostrum exercitum, et de nostris intrarunt in Jadram, et quod nuncii domini Delphyni intraverunt in Jadram, et vos tres, Capitaneus et Gubernatores Terre, dimitten-

tes campum solum, accessistis ad dominum Delphynum. Que omnia nobis displicent ultra quam scribere valeremus. stb.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

113.

Szent Grizogon jadrai monostornak apátja engedélyt nyert, hogy küldöttje a városba bocsáttassék. 1345.

Anno MCCCXLV. die VI. Decembris. Capta: Quod concedatur licentia Abbati Sancti Grisogoni de Jadra, qui est de Francia et de novo creatus per dominum Papam, quod possit mittere in Jadram unum suum fratrem de sua lingua, et unum suum famulum cum suis personis solum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. I. vol. I.)

114.

A velenczei kormánytanácsnak Jadra bevételére vonatkozó tanácskozása. 1345.

Anno MCCCXLV. indictione XIV. die VIII. Decembris. Ser Marcus Lauredano. Quia facit pro nobis et honore nostro procurare per omnem modum de habendo intentionem et honorem nostrum in facto Jadre : vadit pars, quod scribatur Capitaneis nostris Maris et Terre, et Gubernatoribus, qui nos representant: Hoc negotium Jadre magnum esse, et quod honor et status noster multum perdit in illo, optamus plurimum ad finem optatum per omnem viam et modum pervenire cum honore nostro. Et ideo de providentia et fidelitate sua confidentes, committimus eis, quod habeant libertatem tractandi, inquirendi et investigandi per omnem abilem viam et modum secrete cum omnibus illis personis, que sibi viderentur, de habendo par tractatum Ciuitatem Jadre libere et sine condicione aliqua in fortia nostra, possendo promittere illi et

illis, et sicut et quando eis videbitur, usque ad quantitatem L mille ducatorum de denariis nostri Communis, et quod erunt securi in habendo et personis, et bona sua possidere poterunt tam in Jadra quam in aliis locis Communis Veneciarum. Et insuper quia esse debent de factis predictis plenius informati, possint, si videbitur eis, fieri facere proclamationes, ubi etquando eis videbitur, quod quicunque dabunt Ciuitatem Jadre in fortia nostri Dominii libere et sine condicione aliqua, habebunt a Communi Venetiarum certam pecunie quantitatem, habendo in hoc libertatem specifficandi et promittendi usque ad quantitatem predictam ducatorum L mille, ut est dictum; intelligendo, quod per istam libertatem non possint tractare modo aliquo cum Communitate Jadre nec cum aliquo alio nomine ipsius Communis, nec pacem vel treuguam facere, nec desistere a guerrizando suo posse inimicos nostros.

Ser Justinianus Justiniano. Capta: Quod mittatur Capitaneis nostris Maris et Terre et Gubernatoribus, quod possint occultetractare per illum modum et cum illis personis, per quem et cum quibus eis vel maiori parti eorum videbitur, de habendo per tractatum Civitatem Jadre libere in fortia nostra, possendo promittere illis, qui darent dictam Civitatem, ut est dictum, de pecunia nostri Communis usque ad quantitam ducatorum L mille, et quod erunt securi in habere et personis, et poterunt stare libere in Civitate Jadre et in aliis terris Communis Veneciarum, et gaudere omnibns bonis suis. Sed non possint dicti Capitanei et Gubernatores facere fieri aliquas proclamationes in dicto facto. Intelligendo, quod per istam libertatem non possint tractare modo aliquo cum Communitate Jadre, nec cum aliquo alio nomine ipsius, nec pacem vel treuguam facere, nec desistere a guerrizando suo posse inimicos nostros.

Ser Andreas Mauroceno miles. Quia in adventu ser Petri de Canali Capitanei poterimus de istis negociis plenius informari: vadit pars, quod ista inducientur usque ad reditum suum.

Ser Thomas Venerio. Quia per omnem modum exquirendum est de habendo honorem et intentionem nostram de facto Jadre, et ut communiter dicitur, magna pecunie quan-

titas sit in deposito Communis Jadre, et sicut manifesium est, quantum omnia huius mundi negocia fiunt per pecuniam: vadit pars, quod committatur Capitaneis nostris Maris et Terre et Gubernatoribus, quod faciat publice proclamari, ubi eis melius videbitur, ut hoc sciatur in Civitate Jadre, quod quicunque dabit vel dabunt Civitatem Jadre in fortia et manibus Communis Veneciarum usque ad duos menses proximos a die proclamationis facte; dictum Commune faciet eum vel eos securum et securos in personis et habere, et promittit, quod poterit et poterunt stare et gaudere et uti bonis suis in Civitate Jadre, vel in aliis terris et locis Communis Veneciarum, ubi magis voluerit: et ultra hoc habebunt omnes denarios, qui sunt in deposito Communis Jadre tali conditione, quod si in Communi Jadre non essent in deposito ad quantitam L mille ducatorum auri, Commune Venetiarum complebit et dabit eidem seu eispem id, quod defficeret ad quantitatem predictam.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

115.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedései a jadraiak elleni harcz ügyében. 1345.

Anno MCCCXLV die. XV. Decembris. Capta: Quod scribatur Capitaneo Terre et Gubernatoribus, quod ser Petrus de Canali notum fecit nobis, quod aliqui de gentibus nostris eques et pedes in bona quantitate, una cum Comite Maladino, iverunt ad Vranam, et burgum concremarunt, et occisis quampluribus de illis de Vrana, reportarunt inde predam magnam ad exercitum nostrum. Et multum miramur, quod id nobis non signifficarunt, maxime quia dicitur nobis, quod dictus locus Vrane tenetur per Hospitalarios, qui sunt intimi et devoti nostri Dominii. Et aliqui suspicantur, quod forte dicti Hospitalarii illum locum tenent in feudum a Regibus Hungarie. Et ideo volentes de hoc plenius irformari, mandamus eis,

quod nobis ordinate significent, quomodo hoc factum se habuit, et de cetero a damnificatione dicti loci se abstineant, nisi talis causa et culpa ipsorum de Vrana precessisset seu precederet, propter quam haberent procedere contra eos.

Capta: Quod scribatur Capitaneis Terre et Gubernatoribus in hac forma: Admirari non sufficimus considerantes quod iam tantum tempus est, quod ibi habemus machinas nostras magnas quamplures et diversarum manerierarum et magistros multos et bonos, et nunquam audivimus, quod cum aliquo eorum adhuc proiectum sit in civitatem Jadre; sed bene cernimus, quod rebelles nostri iamdiu proicierunt in exercitum nostrum, quod grave nobis et minus honorabile reputamus, et etiam non est absque diminutione nostri honoris dicere, quod inimici nostri et opera eorum, qui nichil sunt per respectum ad potentiam et magisterium nostrum, iam diu fecerint de dictis machinis contra nos, quod hucusque per nos contra eos minime est illatum. Quapropter mandamus vobis, sicut etiam multotiens fecimus, quod in hoc, et in aliis negociis nostris tam ferventer quam sollicite vos geratis, ut etiam machine nostre absque ulla mora in ciuitatem prohiciant toto vestro posse taliter, quod inimicos nostros, ut cupimus, continue ledant, et agenda guerre nostre valide et expedite procedant, ut exigit honor noster. Scitis etiam, quantum cupimus, quod altera bastita fiat, et quotiens super hoc vobis scripsimus. Et propterea misimus vobis et continue mittimus lignamen ad sufficientiam tam pro bastita quam pro mantellis et aliis necessariis, et guastatores etiam de Tervisana. Vnde omni occasione et mora postposita sollicitetis, quod omnino dicta bastita fiat, et visitetis personaliter et sepe laborerium, ut operarii animentur amplius ad laborandum per sollicitudinem vestram.

Capta: Quia dicitur, quod Jadratini diminuunt gentem suam expellendo personas debiles et inutiles de ciuitate, quod dannosum nobis est, qui conamur per obsidionem et per omnem aliam viam eos constringere; mittatur Capitaneo Maris et Terre et Gubernatoribus, quod in hoc adhibeant omne remedium et cautelam, quam possunt, ne exeant huiusmodi persone, imponendo in hoc penam et penas, prout expedire videbunt, et eas exequutioni mandando contra dictas personas,

proút eis expedire et convenire videbitur, considerata condicione et qualitate personarum, que exirent.

Quod mittatur Capitaneis Maris et Terre et Gubernatoribus, quod in hoc adhibeant omne remedium et cautelam quam possunt, ne exeant huiusmodi persone, terrendo eas cum minis et aliis modis, quibus expedire videbunt.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. I.)

116.

I. Lajos magyar király követet küld Siciliába. 1345.

Anno MCCCXLV. die XXVII. Decembris. C a p t a: Quod respondeatur Comiti Arbi, recommendando eum de omnibus, que fecit et procurat in honoribus nostris, et de sollicitudine et prudentia continua et commendabili, quam habet in omnibus, et in scribendo nobis omnia, secundum quod in suis litteris continetur de quodam Nuncio domini Regis, qui erat Segnie, et volebat ire in Apulia cum litteris et Ambaxata dicti Regis, quod libenter, si posset, vellet habere litteras, quas portat etc.; licet sciamus, quod hoc dicat ex tota bona fide, sicut semper consuevit: tamen quia hoc videretur inhonestum et fore preiudiciale pro facto dicti Regis, non videtur nobis, quod impediat in aliquo dietum Nuncium, vel suas litteras, sed si aliter potest inquirere et scire de omni intentione et conditione honesto modo, hoc nobis placebit. Et sit sollicitus in mittendo et inquirendo de habendo novam de partibus Hungarie et aliunde, sicut hactenus consuevit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« Lit. A. vol. I,)

117.

A velenczei kormánynak Ancona elleni vizsgálata, ha vajjon segítséget nyujt-e a jadraiaknak. 1345.

Anno MCCCXLV. die XXVII. Decembris. Capta: Cum illi de Anchona amodo duabus vicibus, in quibus ad eos misimus nuncium nostrum, fecerint nobis largissimas et amplas promissiones de abstinendo a quolibet favore inimicorum nostrorum, et sicut habetur per litteras Capitanei Maris et Comitis Arbi, continentes de navigiis victualium, que de Anchona ibant Jadram, et de facto catene, quam Jadratini fieri faciunt in Anchona; ipsi non videntur cessare, ut promiserunt, et istud non sit dissimulandum pro honore nostro: vadit pars, quod mittatur ad eos unus de Notariis Curie, qui postquam ibi erit, informet se de facto catene, et aliis omnibus, que ipsi de Anchona fecissent, vel promisissent fieri, aut facerent vel consentirent contra nostrum honorem seu in favorem inimicorum nostrorum, et tam de facto navigiorum, quam de aliis omnibus, que reperiret per eos facta et commissa contra nos, aggravet factum cum illis verbis, que Dominio et Sapientibus videbuntur committenda; et rescribat nobis quicquid invenerit et habuerit, et nostrum expectet mandatum.

(A »Secreta Consillii Rogatorum« Lit. A. vol. 1.)

118.

V. Kelemen pápa I. Lajos magyar királynak, Erzsébét magyar anyakirálynénak és István erdélyi herczegnek ájánjja Ferenczet triesti püspököt, kit apostoli nunciusnak küld Magyarországba. 1345.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri etc. Pridem non sine vehementi dolore cordis, audito illo flagitioso scelere, quod in personam clare memorie Andree Regis Sicilie, germani tui, a filiis Be-

lial extitit proditione horribilissima, proh dolor, perpetratum, litteras nostras Celsitudini Tue, ac carissime in Christo filie nostre Elisabeth Regine Vngarie illustri, genitrici tue, consolatorias modo, quo tristis et dolens potest similibus respersus dolorum amaritudinibus consolari, meminimus destinasse; in fine subiungentes earum, quod certam personam, per quam de nostra et fratrum nostrorum intentione circa hoc Excellentie Tue innotesceret, intendebamus ad tuam et eiusdem Regine presentiam breuiter destinare. Nunc autem, fili carissime, oportunitate captata, cum cicius variis, arduis et inevitabilibus prepediti negotijs nequiuerimus, venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Tergestinum, Apostolice Sedis Nuntium, virum utique profunditate scientie preditum, fidelitatis constantia et circumspectionis maturitate conspicuum, et in arduis expertum negotiis, ad Eandem Tuam et ipsius Regine Presentiam destinantes, Magnificentiam rogamus Regiam, et attentius in Domino exhortamur, quatenus eundem Episcopum recipiens favorabiliter et benigne, ac super hiis, que Tue Magnitudini pro parte nostra et fratrum ipsorum duxerit explicanda, patienter audiens, et sibi fidem adhibens credulam in hac parte, ipsius Episcopi, immo nostris pocius monitis et exhortationibus salubribus acquiescas, de nobis et Apostolica Sede certam fiduciam habiturus, quod super hiis, que tui et Regni tui honoris et commodi felicia respicient incrementa, Nos et Sedem eandem reperies, quantum in Deo fieri poterit, propitios et benignos. Datum Avinioue V. kalendas Januarij Pontificatus nostri anno quarto.

In eodem modo Regine Vngarie; ac Stephano clare memorie Caroli Regis Vngarie nato, Duci Transiluano.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

119.

VI. Kelemen pápa Ferenczet triesti püspököt apostoli nuncius nak küldi I. Lajos magyar királyhoz. 1345.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Francisco Episcopo Tergestino, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Cum te, de cuius fidelitate ac circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem et partes Regni sui pro certis negocijs destinemus: Nos attendentes, quod illa feliciorem sortiri consueverunt effectum, que maioribus et sanioribus consiliis fulciuntur, ut si quando et quociens tibi pro predictis utilius expendendis negotiis videbitur expedire, venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios Electos et alios Prelatos eiusdem Regni, de quibus expediens vel optimum cognoveris, pro consilio et assistentia tibi adhibendis circa predicta valeas convocare, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, plenam fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione V. kalendas Januarij Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

120.

VI. Kelemen pápa Ferenczet triesti püspököt, ki mint apostoli nuncius indult Magyarországba, ajánlja több fejedelemnek 1345.

Clemens Episcopos etc. carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie illustri salutem etc. Cum venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Tergestinum, Apostolice Sedis Nuncium, virum utique profunditate scientie preditum, fidelitatis constantia et circumspectionis maturitate conspicuum, ac in arduis expertum negotiis, ad carissimum

in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem et partes illas pro certis per nos eidem impositis negotiis destinemus, Magnificentiam tuam Regiam rogamus attente, quatenus eundem Episcopum, si ad te, fili carissime, recurrerit, habens pro nostra et eiusdem Sedis reverentia favorabiliter commendatum, eidem super hiis, de quibus pro parte nostra tuam requirendam duxerit Excellentiam, velis assistere consiliis et favoribus oportunis; ita quod nos devotionem Regiam exinde cum gratiarum actionibus possimus merito commendare. Datum Avinione V. kalendas Januarii Pontificatus nostri anno quarto.

In eodem modo Johanni Regi Boemie, ac Carolo eiusdem Regis primogenito Marchioni Moravie, Alberto Duci Austrie, Johanne Ducisse Austrie, Bertrando Patriarche Aquilegensi, Duci Venetorum, Gubernatori Januensi et Vbertino de Carraria. Datum ut supra.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

121.

VI. Kelemen ugyanazt ajánlja Magyarországi főrendeinek. 1345.

Clemens Episcopus et. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Cum nos venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Tergestinum stb.: fraternitatem tuam requirimimus et hortamur attente, quatenus eidem Episcopo adhibita fide credula superr hiis, que tibi pro parte nostra duxerit explicanda, eidem sic circa illa, de quibus te requiret, fideliter assistas et prompte, quod inde Diuinam et nostram, Sedisque Apostolice gratiam merearis uberius non indigne. Datum Avinione V. kalendas Januarij Pontificatus nostri anno quarta.

In eodem modo Archiepiscopo Colocensi, Episcopis Agriensi, Quinqueecclesiensi, Zagrabiensi, Cenadiensi, Waradiensi, Vaciensi, Nicolao Comiti Capelle Ludovici Regis Vn-

garie, Comiti Paulo Judici Curie Regis, Stephano Lasso Comiti, Nicolao Comiti Palatino, Comiti Doymo ac fratri suo, ac Thome Waivode.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

122.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete, hogy a tinini vár, melyet a magyar király bir, ne háborgattassék. 1346.

Anno MCCCXLV. die VII. Januarii. Capta: Quod respondeatur Capitaneo et Gubernatoribus nostris Terre ad litteras, quas nobis miserunt cum litteris inclusis Comitis Mladini, continentibus de quodam tractatu, quem dictus Comes asserit habere pre manibus in facto Tinini, quod sicut sciunt in compositione facta per eos cum Bano Bosne et Hungaris, promissum fuit pro parte nostra non invadere, tenere seu occupare de iuribus, nobilibus, gentibus, terris seu possesionibus domini Regis Hungarie et Regni sui. Vnde non videtur nobis honestum, nec facere pro factis nostris, intromittere nos de dicto castro Tinini, quod per dicti Regis gentem presentialiter custoditur; et ideo mandamus eis, quod respondeant dicto Comiti Mladino, rocommendando eum de sua bona dispositione, quam habet in honoribus nostri Communis, sed presentialiter inteudere non possunt ad dictum factum; et recedant a facto cum hiis et aliis pulcris verbis, que eis videbuntur convenire.

(A »Secerta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

123.

VI. Kelemen pápa az Endre siciliai királynak megöletése tekintetéből történendő intézkedések tárgyában Bertand aqilegiai patriarhát és Ferenczet Triesti püspököt apostoli nunciusoknak küldi Magyarországba. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus Bertando Patriarche Aquilegensi, et Francisco Episcopo Tergestino, Apostolice Sedis Nuntiis salutem etc. Cum vos, de quorum fidelitate et circumspectione plenam in Domino fiduciam gerimus, ad carissimum iu Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem et partes Regni sui pro certis negotiis destinemus: Nos attendentes, quod illa feliciorem sortiri consueverunt effectum, que maioribus et sanioribus consiliis fulciuntur; ut si quando et quociens vobis de predictis utilius expediendis negotiis videbitur expedire, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios Electos et alios Prelatos eiusdem Regni, de quibus expediens vel oportunum cognoveritis, pro consilio et assistentia vobis adhibendis circa predicta convocare valeatis, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compesendo, plenam fraternitati vestre concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione V. idus Januarii Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestaiból.)

124.

VI. Kelemen pápa az emlitett apostoli nunciusokat ajánlja I. Lajos magyar királynak, Erzsébet anya-királynénak és István erdélyi herczegnek. 1346.

Clemens Episcopus etc. carissimo iu Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Pridem non sine vehementi dolore cordis, audito illo flagitioso scelere, quod in per-

sonam clare memorie Andree Regis Sicilie, germani tui, a filiis Belial extitit proditione horribilissima prohdolor perpetratum, litteras nostras Celsitudini Tue, ac carissime in Christo filie nostre Elisabeth Regine Vngarie illustri, genitrici tue, consolatorias modo, quo tristis et dolens potest similibus respersus dolorum amaritudinibus consolari, meminimus destinasse, in fine subiungentes earum, quod certam personam, per quam de nostra et fratrum nostrorum intentione circa hoc Excellentie tue innotesceret, intendebamus ad tuam et eiusdem Regine presentiam breviter destinare. Nunc autem, fili carissime, oportunitate captata, stb. venerabiles fratres nostros Bertrandum Patriarcham Aquilegensem, et Franciscum Episcopum Tergestinum Apostolice Sedis Nuntios stb. ad eandem tuam et ipsius Repine presentiam destinantes stb. Datum Auinione V. idus Januarii Pontificatus nostri anno quarto.

In eodem modo Regine Vngarie, ac Stephano clare memorie Caroli Regis Vngarie nato, Duci Transiluano

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

125.

VI. Kelemen pápa ugyanazokat ajánlja a lengyel és a cseh királyoknak, a morva örgrófnak, s az ausztriai herczegnek és herczegnének. 1346.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie illustri salutem etc. Cum venerabiles fratres nostros Bertrandum Patriarcham Aquilegensem, et Franciscum Episcopum Tergestinum, Apostolice Sedis Nuntios, viros utique profunde scientie (igy) preditos, fidelitatis constantia et circumspectionis maturitate conspicuos, ac in arduis expertos negotiis, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem et Partes illas, pro certis per nos eisdem impositis negotiis destinemus: Magnificentiam Tuam Regiam rogamus attente, quatenus eosdem Patri-

archam et Episcopum, si ad te, fili carissime, recurrerint; habeas pro nostra et eiusdem Sedis reverentia favorabiliter commendatos, eisdem super hiis, de quibus pro parte nostra tuam requirendam duxerint Excellentiam, velis assistere consiliis et favoribus oportunis, ita quod nos devotionem Regiam exinde cum gratiarum actionibus possimus merito commendare. Datum Avinione V. idus Januarij Pontificatus nostri anno quarto.

In eodem modo Johanni Regi Boemie, Carolo eius primogenito, et Alberto Duci, et Johanne Ducisse Austrie.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

126.

VI. Kelemen pápa meghagyja Magyarország főpapjainak és főurainak, hogy az apostoli széknek oda küldött nunciusait támogassák. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Cum nos venerabiles fratres nostros Bertrandum Patriarcham Aquilegensem et Franciscum Episcopum Tergestinum, Apostolice Sedis Nuntios, viros utique litterarum scientia, probitatis et fidelitatis industria, et circumspectionis maturitate conspicuos, et in arduis expertos negotiis, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem et partes Regni sui pro certis negotiis destinemus: fraternitatem tuam requirimus et hortamur attente, quatenus eidem Patriarche et Episcopo adhibita fide credula super hiis, que tibi pro parte nostra duxerint explicanda; eisdem sic circa illia, de quibus te requirent, fideliter assistas et prompte, quod inde Divinam et nostram, Sedisque Apostolice gratiam merearis uberius non indigne. Datum Avinione. V. idus Januarii Pontificatus nostri anno quarto.

In eodem modo Archiepiscopo Colocens, Episcopis Agriensi Zagrabiensi, Cenadiensi, Waradiensi, Vaciensi, Nicolao

Comiti Capelle Regie; Comiti Palatino, Judici Curie Regie, Stephano Lasso Comiti Comitis Palatini, Comiti Duymo, et Bartholomeo fratri, et Thome Wayuode.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

127.

A dalmatiai városok a velenczei köztársaságot segítik Jadra ellen. 1346.

Anno MCCCXLVII. die XIX. Januarii. Capta: Quod scribatur nostris Communitatibus Ragusii, Tragurij, Spalati, Sibinici et Pagi, recommendando fidem et deuotionem eorum de lignis et gentibus suis, quas tenuerunt hactenus ad nostrum honorem et seruitium contra Jadram stb.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. I.)

128.

Lukács, siciliai szolgálatban álló magyar hadnagynak nyugtatványa, hogy zsoldja kifizettetett. 1346.

Die vigesimo tertio mensis Januarij quartedecime indictionis apud Neocastrum. Ego Lucasius Vngarus statutus loco Gregorij Vngari Comestabuli Vngarorum eo cum decem et octo eius computata persona, in absentia ipsius Gregorij nunc agentis de Reginali mandato in partibus Vngarie, militantes ad seruitia Reginalia in partibus Calabrie cum Vngaris armigeris de Comestabulia ipsius Gregorij ad consueta gagia eis per Curiam statuta et ordinata, prout infra describitur.

In presentia Guillelmi Longi Reginalis Judicis Ciuitatis Neocastri, Andree de Oliuerio de Cessano Reginali auctoritate Puplici per totum Regnum Sicilie Notarij, et testium

subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, tenore presentis puplice fateor apodixe, quod pro parte Reginalis Curie die sextodecimo mensis Nouembris presentis quartedecime indictionis apud Giratium manualiter et presentialiter recepisse et habuisse a Magnifico viro domino Angelo Prothojudice de Salerno, milite Magne Reginalis Curie, Magistro Rationali, Consiliario et familiari, ac Justitiario Calabrie, loco ac nomine et pro parte dicti Gregorij Vngari pro se ac alijs armigeris decem et septem de Comestabulia dicti Gregorij, eius vero computata persona, pro gagijs ipsorum, ad rationem videlicet de florenis vigintiquinque pro persona dicti Comestabuli, et de florenis de auro octo pro quolibet armigerorum ipsorum per mensem, pro duobus mensibus prossimo preterite indictionis, pro mense Septembris et pro mense Octobris presentis indictionis pro eorum gagijs supradictis ad rationem predictam de pecunia residuorum recollecta per eundem dominum Justitiarium, ut dixit, in carolensibus argenti liliatis sexaginta per vnciam, et duobus pro tareno quolibet computatis, ad rationem videlicet de tarenis quatuor et granis quindecim pro quolibet floreno de auro, dante et soluente, exibente et assignante mihi de pecunia dictorum residuorum pro gagiis antedictis auctoritate et vigore quarundam Reginalium licterarum magno pendenti Reginali sigillo roboratarum et communitarum eidem domino Justitiario de exibendis gagijs supradictis specialiter decretarum, quas penes se habet pro sue rationis cautela, vncias quinquaginta vnam de dicta pecunia residuorum. Vnde ad futuram memoriam, et tam Reginalis Curie certitudinem, quam prefati domini Justitiarij cautelam, presentem puplicam apodixam exinde fieri rogaui et feci per manus Notarij Puplici supradicti scriptam et subscriptam, suoque solito sigillo sigillatam, nec non dicti Judicis, et subscriptorum testium signis et subscriptionibus, et meo sigillo proprio communitam et roboratam. Fatemur insuper nos prefatus Judex, Notarius Puplicus et testes subscripti, ac nostro testimonio testamur, quod prefatus dominus Justitiarius in nostra presentia predictas vncias quinquaginta vnam de pecunia, vt dixit, ipsorum residuorum, manualiter eidem Lucasio, quas nomine confessus fuit, numerauisse, tradidisse,

soluisse et assignasse, in dicta terra Gerasii, vt superius est expressum. Scriptum et actum die, loco, mense et indictione premissis.

(Arche sciolte 42. szám, az olasz kir. Grande Archivioban Nápolyban.)

129.

A velenczei kormánytanács Albert ausztriai herczeg követe előtt a köztársaság barátságát tanusítja I. Lajos magyar király iránt 1346.

Anno MCCCXLV. die primo Februarii, indictione XIV. Dominus Dux, Consilierii, Capita, Sapientes. Capta: Quod respondeatur cum pulcris verbis Ambaxatori domini Ducis Austrie, regraciando ipsi domino Duci de bona voluntate, quam habere ostendit ad nostrum Dominium, et de motu et proposito laudabili sue Ambaxate; dicendo, quod cum domino Rege Hungarie non habemus ex parte nostra aliquam causam discensionis, imo ad dictum dominum Regem gessimus et gerimus specialem reverenciam et amorem, prout fecimus cum suis predecessoribus, quibus, et specialiter domino Regi patri suo, et domine Regine eius matri, fecimus per tempora elapsa honorem et placere nostro posse, sicut est manifestum. Et in dicto amore et devotione sumus, intendimus esse et vivere cum prefato domino Rege, et ipsum habere pro speciali et honorabili amico nostri Dominii. Sed si ipse Ambaxator sentiret, quod dominus Rex diceret, quod haberet aliquam turbationem erga nos, essemus et sumus contenti, quod ipse dominus Dux sit mediator, plus confidens de ipso domino Duce, quam de Principe aliquo mundi, sperans quod per eum fieret id, quod esset honor suus et bonum amoris. Et dominus Dux, Consiliarii, Capita et Sapientes habeant libertatem ratiocinandi cum dicto Ambaxatore, pro trahendo quantum plus poterunt ab eo. Et cum eo, quod habuerint, venietur huc et fiet sicut videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol. 1.)

130.

A velenczei kormánytanács követséget küld Albert ausztriai herczeghez. 1346.

Anno MCCCXLV. die III. Februarii. Capta: Quod occasione istius Ambaxate domini Ducis Austrie pro honore suo et nostro mittatur ad eum solemnis Ambaxata; et capto de mittendo, videbitur postmodum de uno vel pluribus, et commissis et aliis; et ista responsio nostra de mittendo Amxatam nostram fiat dicto Ambaxtori dicti domini Ducis.

(A Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol. 1.)

131.

Ezen követségnek utasitása. 1346.

Anno MCCCXLV. die IV. Februarii. Capta: Quod Ambaxata seu Ambaxatores ituri ad dominum Ducem Austrie, vadant cum commissione infrascripta, videlicet:

Nos Andreas Dandulo etc. committimus vobis nobilibus viris . . . fidelibus nostris dilectis, quod in nostros Ambaxatores ire debeatis ad Excelsum et Magnificum Principem dominum Albertum Dei gratia Ducem Austrie. Quo prius cum verbis honorabilibus et decentibus ex parte nostra affectuosius salutato, Sue Magnitudini exponere debeatis, quod ipse ad nos misit suum Ambaxatorem, dominum Ottonem Magistrum Curie sue, quem vidimus et recepimus alacriter et honorifice pro honore dicti domini Ducis, et diligenter intelleximus omnia, que exponere voluit ex parte sua. Et cum rogaverit nos ex parte dicti domini Ducis, quod complaceret nobis, quod ipse dominus Dux posset esse mediator de aconcio inter Serenissimum dominum Regem Hungarie et nostram Communitatem: providimus ad postulationem dicti sui Ambaxiatoris vos ad ipsum dominum Ducem in nostros Ambaxatores transmittere, ad regraciandum ei de sua bona voluntate, quam os-

tendit habere ad nostrum Dominium, et de sic laudabili proposito suo, et ad respondendum ipsi domino Duci, sicut oretenus diximus Ambaxatori suo, quod ex parte nostra non habemus cum ipso domino Rege Hungarie aliquod odium vel discensionem sed ad ipsum dominum Regem gesssimus et gerimus specialem reverentiam et honorem, prout fecimus cum Serenissimis dominls predecessoribus suis, et maxime cum domino Rege patre suo, et cum domina Regina matre sua, quibus honorem et servicium per tempora elapsa libenter inpendimus, sicut est publice manifestum; et in eadem reverentia et amore continuare et esse intendimus cum eodem domino Rege, et sic a latere nostro nescimus aliud, quam bonam causam habere cum sua Regia Maiestate. Verum cum Ambaxator suus diceret nobis, quod ipse dominus Dux sciebat, quod dominus Rex habebat in se aliquam turbationem erga nos, et quod propterea desiderabat in hoc se intromitterre, dicatis et respondeatis, quod sumus contenti pro honore dicti domini Ducis, quod ipse volet et operabitur id, quod erit honor suus et conservatio amoris et boni. Sed si acciderit, quod dictus dominus Dux diceret vel tangeret nobis aliquid de facto Jadre, respondeatis, quod manifestum est toti mundo, quod iam trecentis annis et ultra habuimus dominium Civitatis et Districtus Jadre, et in eius possessione pacifica et quieta fuimus et permansimus, regendo et conservando ipsam Civitatem, Districtum et homines in quieto et prospero statu, et in continuo augmento et favore plus quam aliquos alios nostros subiectos, sed ipsi ingrati in tanto bono et incrassati, erexerunt se in superbiam et rebellionem contra nostrum Commune. Et si forte diceret dictus dominus Dux, quod nobis placeret, exercitum nostrum ab obsidione Jadre facere removeri vel retrahi, respondeatis, quod sicut dictum superius, Civitas et Districtus Jadre est nostri Dominii, et a tanto et sic antiquo tempore, ut dictum est superius. Et exercitum nostrum tenemus et habemus in Districtu et territorio predicti nostri Dominii, nec potest dici, quod faciamus iniuriam aliquam tenendo in nostro Dominio et territorio nostrum exercitum. Sed omne ius Dei et mundi vellet et vult, quod res nostra, que impeditur per ipsos Jadratinos temerarie et inique contra iuramentum et fidelita-

tem per eos nobis prestitam, restituta foret. Et hec et alia dicant ipsi Ambaxatores, sustinendo iura nostra et honorem, sicut viderint cònvenire. Et omnia, que habuerint, rescribant, et suum consilium, et nostrum expectent mandatum.

Capta: Quod dicti Ambaxatores sint duo, qui habeant libras CC pro quolibet in duobus mensibus, et inde in antea libras L in mense, cum familia, somis, expensis et aliis, cum quibus Ambaxatores Curie vadunt, et ultra hec habeant unum interpretem, et fiant in Maiori Consilio per quatuor manus.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

132.

VI. Kelemen pápa utasítása az apostoli nunciusnak Magyarországba küldött aquilegiai patriarka Bertrand számára 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Bertrando Patriarche Aquilegensi, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Super quibusdam arduis venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Tergestinum ad carissimum iu Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem, et alios de Domo Vngarie Regia, concessa per diuersas litteras nostras eidem Episcopo credentia, nuper prouidimus destinandum. Post recessum autem ipsius Episcopi pro feliciori expeditione negotii, super quo ipsum mittimus, nobis et fratribus nostris utile visum fuit, quod tu, frater, qui Regi prefato acceptus esse multipliciter diceris, una cum prefato Episcopo, si commode absque persone proprie grauamine et tue damno Ecclesie poteris, illuc vadas; omnes litteras, quas Episcopus ipse secum detulerat, in tuam et ipsius personam reformari decenter fecimus, et eidem Episcopo destinari; ut si tu ire poteris, ut prefertur, eis utamini suppressis aliis, quas ipse, ut premittitur deferebat, alias autem si forsitan accedere nou valeres, ipse, hiis suppressis, utatur aliis et negotium prosequatur. Quocirca fraternitatem tuam requirimus et hortamur, quatenus stb. una cum ipso prefatum negotium iuxta concessam tibi ex alto prudentiam

prosequaris; alias autem ipsum Episcopum, quantum sciveris et poteris, dirigere studeas in premissis. Rursus processus generalis, quem nuper contra viros sceleratissimos, qui clare memorie Andree Regis Sicilie mortis patratores, consiliatores, et consentientes fuerunt, fecimus, nec non et collationis per nos premisse in publicatione processus eisdem, tibi destinamus transcripta. Processum autem specialem super predictis ex causis certis et necessariis usque ad satis breuis spatium temporis providimus differendum. Datum Avinione VII. idus Februarii Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

133.

VI. Kelemen pápa utasítása az apostoli nunciusnak Magyarországba küldött triesti püspök Ferencz számára. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Francisco Episcopo Tergestino, Apostolice Sedis Nuncio salutem. Pro feliciori expeditione negotii, quod tibi apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem, et alios de Domo Regia Vngarie imposuimus prosequendum, utile multipliciter extimantes, quod venerabilis frater noster Bertrandus Patriarcha Aquilegensis accedat ad Regem eundem et partes illas, si commode peterit, una tecum: volumus, quod ad iptum Patriarcham te tuum prosequendo iter conferens stb. Datum Avinione VII. idus Februarij Pontificatus nostri anno quarto.

(V. Kelemen pápa regestáiból.)

134.

A velenczei köztársaságnak bőkezűsége az ausztriai herczeg követe irányában. 1356.

Anno MCCCXLV. die VII. Februarii. Capta: Quod pro bono et favore nostrorum negotiorum Jadre, provideatur

Ambaxatori domini Ducis Austrie de ducatis centum auri pro suis expensis pro reditu; satisfaciendo etiam expensas, quas hic fecit in hospitio, que sunt circa ducati V.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

135.

A velenczei kormánytanács titkos érintkezésbe lép István bosz-niai bánnal. 1346.

Anno MCCCXLV. die XIII. Februarii. Capta: Quia multum conferre poterit negociis nostris facere Banum Bosine favorabilem nobis: vadit pars, quod mittantur ad eum pro parte nostra duo religiosi, qui videbuntur Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus, vel maiori parti eorum, et mittantur cum quam cautiori modo fieri poterit, ad regraciandum ei de sua bona voluntate, quam habuit et habet ad nostrum Dominium, et ad inducendum eum ad amicitiam et favorem nostrum et agendorum nostrorum, cum illis pulcris verbis et cum illa commissione circa predicta, et cum illa provisione, que videbuntur predicto Collegio vel maiori parti eorum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol 1.)

136.

A velenczei köztársaságnak az ausztriai herczeghez küldött követeire nézve rendeltetik, hogy útnak induljanak. 1346.

Anno MCCCXLV. die XIV. Februarii. Capta: Quod Ambaxatores, qui debent ire ad dominum Ducem Austrie, teneantur recedere usque ad diem dominicum proximum per diem.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol. 1.)

137.

A velenczei kormánytanácsnak utasitása az Ausztriába küldött követei számára. 1346.

Anno MCCCXLV. die XVIII. Februarii. Capta: Quod committatur nostris Ambaxatoribus, ituris ad dominum Ducem Austrie, quod si reperient se, ubi esset dominus Rex Hungarie, debeant salutare pro parte nostra cum illa reverentia et decentia, que conveniens erit pro honore suo et nostro, et postmodum dicere et exponere, quod de morte Serenissimi domini Regis Andree, fratris sui, Nos et Communitas nostra recepimus magnam turbationem et dolorem, propter sincerum amorem et devotionem, quam gerebamus ad Suam Maiestatem et honorem, et quam gerimus ad Serenitatem ipsius domini Regis Hungarie, sicut fecimus semper cum suis predecessoribus, et cum aliis bonis verbis, que eis videbuntur convenire. Et si dominus Rex Hungarie tangeret eis aliqua verba de facto Jadre, respondeant cum illis verbis contentis in sua commissione in ambaxata, quam debent facere domino Duci; excepto quod taceantur in commissione predicta illa verba que dicunt, quod ius vult, quod res nostra sit nobis restituta; que verba non dicantur nec domino Duci nec domino Regi, cum videatur melius et tutius ea tacere, quam dicere.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

138.

A velenczei kormánytanács válasza Dusan István szerb király követeinek. 1346.

Anno MCCCXLVI. die III. Marcii. Capta: Examinata ambaxata domini Regis Servie, consulunt sapientes responderi ambaxatori suo: Et primo ad primum capitulum, continens in effectu de coronatione sua in Imperio Constantinopolitano, quam nobis ad gaudium significat; respondeatur, quod ob specialem devotionem, quam semper gessimus et gerimus

ad Suam Maiestatem, nos et nostra Communitas, de quibuscunque honoribus et gloria Sue Maiestatis plurimum congaudemus tamquam Serenissimi et honorandi amici et affinis nostri, affectantes augmentum et conservationem status Excellentie Sue velut proprium, cum sciamus, Maiestatem Suam diligere e contrario nostrum honorem et statum, et sic cognovimus per effectum in magnifica oblatione per eum nobis facta, non est diu, de gente sua ad nostrum servicium contra Jadram. Et ideo regratiamur Sue Maiestati de eo, quod nobis nota facit eius gaudia et honores, que grata multipliciter sunt animis nostris, qui suplicamus altissimo, quod honores et Excellentiam Suam conservet et augeat iuxta votum.

Ad factum vero unionis, quam inter ipsum et nos fieri petit pro aquisitione Imperii Constantinopolis; respondeatur, quod animus noster semper unitus et conformis est ad quelibet Sue Maiestatis beneplacita et honores; verum propter guerram nostram, quam presentialiter habemus contra Jadram, et propter multa agenda ad presens incumbentia nostro Dominio, et etiam consideratione treuguarum existentium inter Imperium Romanie et Nos, firmatarum cum iuramento, quas non esset fas violare absque derogatione honoris et fidei nostre apud Deum et mundum, ad factum dicte unionis intendere non possemus; recedendo a facto cum illis et aliis pulcris verbis, que videbuntur.

Ad id, quod petitur, quod Ambaxator Regis predicti possit intrare Civitatem Jadre pro tractando bonum concordie inter nos et Jadratinos, respondeatur: quod regratiamur multum de huiusmodi suo bono proposito, cognoscentes illud procedere ex omni bona causa et affectione, quam gerit ad nostrum Dominium. Verum tamen considerantes, quod dominus ... Delphynus Viennensis, accedens pridie ad sanctum servicium contra Turchos, zelo etiam virtutis motus, misit nobis insciis nuncios suos in Jadram, movendo Jadratinis nostris rebellibus verba reconciliationis; qui Jadratini in sua malignitate et nequicia perseverantes responderunt, se ad hoc intendere non valere absque expresso mandato domini Regis Hungarie. Et licet hec verba portata fuerint preter scientiam nostram, suspicati fuerunt, illa procedere ad nostram instan-

tiam et inductum; non habemus, quod hoc esset honor Sue Maiestati nec nobis; quia nunc amplius ymaginarentur, quod a nobis procederet, quod plurimum inconveniens esset, cum ipsorum intersit, nostram, qui antiquitus fuimus et esse intendimus eorum domini, misericordiam implorare. Quare Maiestas Sua in hac parte nos habere potest merito excusatos; faciendo responsiones predictas cum hiis et aliis pulcris verbis, que videbuntur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. I.)

139.

I. Johanna siciliai királynénak közhirdetménye, melylyel háborúra szóllitja fel híveit. 1346.

Johanna Dei gracia etc. vniuersis presentis edicti seriem inspecturis. Ante tempus sunt prouidenda consilia, ne mendicentur in tempore; et gubernaculis preparanda sunt bella, vt prouideatur eorum prosecucionibus oportune. Sane multorum testatur assercio, et fidedigna pariter informacione didicimus, quod occupationem et invasionem Regni nostri Sicilie hostilis aspirat improbitas, et ad nostram nostrorumque fidelium apparatibus bellicis maritimis et terrestribus pariter offensionem et conculcacionem ipsi hostes se parant instancius etc. Datum Neapoli per manus venerabiiis patris Rogerij Archiepiscopi Barensis, Logothete et Prothonotarij Regni Sicilie anno Domini MCCCXLVI. die VII. Martij XIV. indictionis.

(A »Registri Angioini« A. 349. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 308. lev., az olasz kir. Grande Archivioban Nápolyban.)

140.

A velenczei kormánytanács tudositja VI. Kelemen pápát, hogy I. Lajos magyar király Sicilia ellen háborut indít. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IX. Marcii. Capta: stb. Respondeatur domino Pape per hunc modum stb.

Hoc etiam communiter fertur, quod Rex Hungarie disposuit potenter cum aliquorum aliorum brachio invadere Regnum Apulie, sed per quas partes transiturus sit, ignoramus hucusque. Dicitur tamen, quod requisivit transitum a domino Patriarcha Aquilegensi, qui dominus Patriarcha, si voluerit, plurimum impedire possit transitum et intentionem dicti Regis. Et scimus, quod quidam Marchio eiusdem domini Patriarche, commorans in Istria, et quidam alius filius domini Frederici de Sourignano, subditi ipsius domini Patriarche, nuper iverunt ad dominum Regem predictum.

(A »Sacreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

141.

I. Johanna siciliai királyné több híveit és alattvolóit férje Endre király meggyilkolásában ártatlanoknak ngilatkoztatja 1346.

Johanna etc. vniuersis presens indultum inspecturis etc. Robertus Dei gratia Despotus Romanie, Achaye et Tarenti Princeps; Carolus Dux Duratij, Regni Albanie ac Honoris Montis Sancti Angeli Dominus; Ludovicus et Robertus fratres sui, carissimi fratres nostri. Dum pervenisset ad notitiam eorundem, quod de nece clare memorie domini Andree de Hungaria, Jerusalem et Sicilie Regis Illustris, viri nostri carissimi et domini reverendi, alique persone erant puplice diffamate et suspecte, ex aviditate vindicte, quam cupiebant et cupiunt de nece predicta vinculo sanguinis, quo eidem domino viro nostro et nobis iungebantur, preter juris ordinem in Raymundum de Cathania militem, nostri hospitii Senescallum, qui certis conjecturis precedendibus, sicut asseritur, contra eum suspectus exinde per eos credebatur, manus injecere, ipsumque tormentis et questionibus exponere curaverunt, dictoque Raymundo confensante se prescium necis eiusdem, ad idque dedisse opem et operam vna cum certis alijs; prefati fratres nostri Neapolitanum populum convocari fecerunt, ipsumque Raymundum statuerunt puplice coram eo, et prefatam confessionem suam coram dicto Neapolitano populo iterante, et

nominante inter alios ipsius necis prescios seu suspectos virum nobilem Sassum de Dinisiaco Terlitij Comitem ac Regni Sicilie Marescallum, Robertum de Cabannis Comitem Eboli Magnum Regni Sicilie Senescallum, Illos de Lagonissa, Nicolaum de Milaczano hostiarium, Philippam de Cathania magistram, et mulierem nobilem Sanctiam de Cabannis Comitissam Mureoni, sociam et familiarem nostram, qui nobiscum in Castro Novo morabantur, quive processum inquisitionis faciende de nece Regis supradicti dicebantur apud nos multipliciter impedire; fuit adeo graviter ex hoc dictus Neapolitanus populus, nec inmerito, concitatus, quod manu armata cum seditione et tumultu, vna cum certis alijs familiaribus et armigeris dictorum fratrum nostrorum usque ad hostium dicti Castri nostri Novi iteratis vicibus venientes, et petentes nominatos eosdem sibi dari veluti proditores. Dum illos sic facile dare nequiremus eisdem, in dictum castrum acerbissime insultarunt, prohicientes contra castrum ipsum, et homines existentes ibidem, lapides, lanceas, et quadrellas cum diversis generibus balistrarum, ac hostium primum pontis castri eiusdem ignis incendio concremantes, et tamdiu predictis insultibus institerunt, quousque prefati Comites etc. fuerunt dictis fratribus nostris, seu statutis eorum, dictoque Neapolitano populo assignati captivi etc. etc. Nos autem etc. etc. memoratos fratres nostros, eorumque Ministros, Comites, Barones etc. etc. sequaces, complices, nec non dictos nobiles Neapolitanos, et Salernitanos cives, ac prefatum Neapolitanum populum etc. ab omni culpa, pena vel nota, qua forsitan exinde tenerentur vel forent exinde maculati, accusandi, denunciandi, vexandi, molestandi vel etiam impetendi, aut forsitan puniendi ordinarie, vel ex officio, aut alias quoquomodo de certa nostra scientia et speciali gratia liberamus, absolvimus et perpetuo quietamus. etc. etc. etc. In cuius rei testimonium etc. etc. Datum Neapoli MCCCXLVI. die XIV Martij.

(A »Registri Angioini« B. 348. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből. 89. lev.)

142.

I. Johanna siciliai királyné a háborura felszóllító közkiáltványát egész országában teszi közzé. 1346.

Johanna ete. Justiciario Terre Laboris et Comitatus Molisij etc. Scire te volumus, quod nuper edictum fecimus subscripte per omnia serici:

Johanna stb. (következik I. Johanna siciliai királynénak közhirdetménye, mint fentebb 139. sz. a.)

Vt autem prefati edicti series in notitiam deueniat singulorum, volumus et tue fidelitati presencium tenore de certa nostra sciencia precipimus, quatenus edicti memorati seriem et tenorem per singulas terras et loca Jurisdiccionis tue, etiamsi Capitaneos habeant, divulges, et per competencia facias Officia divulgari. Datum Neapoli per eundem venerabilem patrem etc. anno Domini MCCCXLVI. die XVIII. Marcij XIIII. indictionis.

Eodem die eiusdem ibidem similes facte sunt Justiciarijs citra et vltra, Terre Bari, Capitaneatus, Terre Ydrunti, Calabrie, Vallis Gracie et Terre Yordane, Basilicate, Aprutii vltra et citra flumen Piscarum.

(A »Registri Angioini« A. 349. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből, 208. lev.)

143.

A. velenczei kormánytanácsnak utasitása Austriába küldött követei számára I. Lajos magyar király tekintetében. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXIV Marcii, indictione XIV. Capta: Intellectis et examinatis litterris nostrorum Ambaxatorum missorum ad dominum Ducem Austrie, requirentium sibi celeriter responderi: vadit pars, quod respondeatur eis, commendando providenciam suam, cum in omnibus prudenter fecerint, et sustinuerint iura nostra. Et quia scripserunt nobis se credere, quod dominus Rex se removebit a molestando nos

in dominio Jadre, sed credunt, quod de duobus alterum petet, videlicet auxilium ad vindicandam mortem fratris, vel pecuniam; respondere debeant ad primum, si nuper inde fuerint interrogati, quod satis manifesta est toti mundo magna devotio, quam semper gessimus et gerimus ad Suam Maiestatem suorumque precessorum, propter quam omne servicium, quod potuimus honeste et cum honore nostro, fecimus precessoribus suis, et sic parati sumus et essemus in casu quolibet nostro posse facere eidem domino Regi. Verum sicut Sua Maiestas et omnes scire possunt, mercatores et cives nostri cum havere et bonis suis utuntur et sunt in Regno Apulie, sicut et faciunt in diversis partibus mundi, propter quod oportet nos, in quantum cum honore nostro possumus, vivere in pace cum omnibus, dummodo non deficiat pro eis. Vnde nescimus, quomodo cum honestate et absque nostro nostrorumque mercatorum evidenti sinistro atque damno intromittere nos possemus in facto predicto; sed in quolibet alio casu nobis possibili, novit Deus, sumus et essemus dispositi Sue Maiestati complacere. Quare predictis consideratis nos habere potest in hac parte merito excusatos; recedendo ab isto primo cum hiis et aliis pulcris verbis et modis, que videbitur eis. Ad secundum autem, de facto pecunie sic dicimus: quod habito respectu ad magnum avantagium et securitatem, quod habemus, quando habemus Jadram et alias contractas Dalmatie maritimas in quiete, et quod dominus Rex Hungarie nobis daret omnia sua iura, nos de eorum fidelitate et providentia confidentes, damus libertatem eis, quod possint promittere dicto Regi et aliis, sicut eis videbitur, usque ad quantitatem XL millia ducatorum auri, haberdo a dicto Rege omnia iura, que ipse habet in facto Jadre, et recipiendo renuntiationem a dicto Rege omnium iurium et iurisdictionum eius, ac promittente ipso Rege per se et suos successores et subditos, quod ipse per se vel alium nunquam se intromittet de dicto facto Jadre. Et insuper si, non impediendo propterea in aliquo hoc negocium Jadre, moverentur sibi verba, et eis videretur locus et tempus possendi obtinere, quod dictus Rex generaliter renuntiaret et nobis daret per se et suos successores et subditos omnia iura et iurisdiciones, que haberet in omnibus terris nostris Dalma-

tie, quas tenemus; habeant libertatem promittendi prefato Regi, et hiis, qui eis videbuntur, usque ad quantitatem aliorum XL mille ducatorum, procurando, quod predicta fieret cum illa plena securitate et solennitate, quam poterunt pro firmitate et cautella nostra et honore nostro; et quod inde fiant privilegia et instrumenta tantum ad plenum, quantum fieri poterit cum consilio sapientum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

144.

I. Johanna siciliai királyné az országában lévő német és más idegen zsoldosokat (u. n. condottieriket) hívja egybe. 1346.

Johanna etc. omnibus et singulis Theotonicis ac alijs exteris secum se misentibus (így) ad cuiuscunque seu quorumcunque seruicia militantibus in Regnum nouiter introductis, sub pena corporis et aueris (avere = vagyon), ita quod si secus fecerint impune possint offendi, et ipsorum res a quibuslibet nostris fidelibus occupari: quod de ciuitatibus Neapolis, Capue et Auerse, et circumstantibus partibus infra duos dies, et de toto Regno infra dies octo, ad tardius a die date presencium in antea numerandos, debeant cum eorum equis et armis penitus et infallibiliter remota excusatione qualibet exire etc. Datum Neapoli anno MCCCXLVI. die XXV. Marcij.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 53. lev.)

145.

I. Johanna siciliai királyné országának főurait és fegyveres hűbérnökeit hadi szemlére hívja össze. 1346.

Johanna etc. Comitibus, Baronibus et feudatariis Regni. sui etc. (parancs) quod statim equis et armis decenter se muniant ita, quod infra mensem primo futurum parati sint in

ciuitate Neapolis coram Magno Regni Sicilie Comestabulo monstram facere et militare servicium prestare etc. Datum Neapoli anno MCCCXLVI. die XXVII. Marcij.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg. Johannae I. kötet. 53. lev.)

146.

I. Johanna siciliai királyné eltiltja híveit Tarentoi Lajos parancsainak teljesítésétől. 1346.

Johanna etc. (revocat jussiones factas per diversas suas litteras Comitibus, Baronibus etc. quod obediant, intendant et pareant Ludouico de Tarento) consilia nostra et iussiones, quantum possumus, sano consilio in melius reformante, suadentibus rationabilibus certis causis postmodum subsecutis, que ad nostrum referuntur honorem, et ad statum pariter Regni nostri, omnibus et singulis predictis Comitibus etc. expresse precipimus, vt vigore siue pretextu dictarum licterarum et iussionum, quas iam reuocauimus, et iterato nunc de certa nostra scientia reuocamus et annullamus, ac nullas et vacuas declaramus, in nullo obediant, pareant et intendant dicto Ludouico eisque Officialibus etc. Datum Neapoli per Adenulfum Cumanum anno Domini MCCCXLVI. die IV. Aprilis.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg. Jnhannae I. köt. 52. l.)

147.

I. Johanna siciliai királyné országának várait megvizsgáltatja. 1346.

Johanna etc. Johanni de Ligorio militi de Neapoli etc. quod se conferat ad singula castra demanialia posita per fronterias, et diligenter inspiciat et provideat, si et quibus reparationibus, munitionibus aut personarum modificationibus aut reformationibus aliis indegeant castra ipsa etc. Datum Neapoli anno MCCCXLVI. die VI. Aprilis.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 31. lev.)

148.

A velenczei köztársaságnak bőkezűsége a boszniai bán irányában. 1346.

Anno MCCCXLVI. die VIII. Aprilis. Capta: Quod pro favore nostrorum negociorum et pro presenti et pro futuro possint fieri dona pro nostro Communi domino Bano Bossine in rebus, que videbuntur usque ad valorem ducatorum mille, et de centum suo Ambaxatori, qui est hic, loquendo prius cum fratre Peregrino et aliis, qui videbuntur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

149.

István boszniai bánnak követsége Velenczében. 1346.

Anno MCCCXLVI. XVIII. die Aprilis. Capta: Quod pro laudabili et bono portamento, quod habuit frater Peregrinus in nostris servitiis, fiant ei dona, quando videbitur Dominio, usque ad summam ducatorum centum. Et quia ipse volebat remanere hic ad Capitulum, procuretur per Dominium, quod ipse revertatur cum Ambaxiatoribus Bani, quia poterit esse multum utilis factis nostris.

Capta: Quod respondeatur Ambaxiatoribus Bani Bossine cum illis pulcris verbis, que videbuntur Dominio, regraciando ei de hiis, que fecit in honorem et commodum huius Dominii, et de notificatione amicabili nobis facta eius, quod sentiebat de intentione Regis Hungarie, et subsequenter de consilio nobis dato per eum de mittendo Ambaxatam ad dictum Regem secundum expositionem dictorum suorum Ambaxatorum; pro quibus omnibus plene cognovimus magnum et sincerum amorem, quem ad nos gerit, et pro eo reputamus nos ad cunctos eius honores et beneplacita strictius obligatos. Et firmiter credimus, quod consilium suum ex pura mente et intima caritate procedit erga nos tamquam fratres et amicos

cordiales ipsius. Sed sicut scire potuit, dominus Dnx Austrie per suam ambaxatam requiri nos fecit, quod cum sensisset, Regem Hungarie gravatum esse contra nos, libenter inter nos et ipsum viam reconciliacionis inveniret; et quod placeret nobis mittere nostros Ambaxatores ad eum. Propter quod, licet nesciremus ullam rationabilem causam turbationis Regis predicti contra nos, cui et progenitoribus suis ex parte nostra semper gessimus reverenciam et amorem, ut notum est; tamen misimus nostros Ambaxatores ad dictum Ducem, volentes, quantum ex parte nostra erat, esse in omni pace et amore cum dicto Rege, sicut amicus facit cum amico. Sed videtur, quod ipse Rex per suos Ambaxatores missos ad dictum Ducem petat ante omnia removeri exercitum nostrum ab obsidione Jadre, quod non esset rationabile, nec est de intentione nostra; cum Civitas Jadre fuerit nostra, et per nos possessa iam trecentis annis et ultra sine contradictione cuiusquam, et exercitum, quem habemus, habeamus super territorio nostro, nec iniuriam alicui faciamus, si quod nostrum est et fuit per longitudinem tanti temporis, aquirere procuramus.

Et postmodum dicatur: quod licet per hec, que habemus, mittere ambaxatam nostram illuc non esset expediens, si Rex firmaretur super hoc: tamen sperantes, quod predictus Rex, attenta iusticia nostra, conformabit animum suum ad id, quod erit iustum et decens; postquam consilium dicti Bani est, quod mittamus ambaxatam nostram illuc, providebimus de mittendo secundum consilium suum nostros Ambaxatores ad dictum Regem, rogantes dictum Banum, quatenus cum in eo spem et fiduciam maximam habeamus, velut in fratre et amico carissimo, ei placeat nos et nostra negocia, que potest sua propria reputare, habere in casu quolibet fovorabiliter commendata, et per suos Ambaxatores etiam aliter, ut ei melius videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

150.

A velenczei kormánytanács uj biztosokat küld Dalmatiába. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XIX. Aprilis. Quod pro confortando et visitando nostras terras Sclavonie, pro novis, que habentur de adventu Hungarorum; eligantur in nomine Domini tres Provisores stb.

Electi Provisores: ser Andreas Michael Comes Arbensis, plezius ser Jacobelus de Lege; ser Andreasius Mauroceno, plezius ser Andreas Mauroceno; ser Philippus Orio, plezius ser Franciscus Delfino.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1)

151.

I. Johanna siciliai királyné Tarentoi Lajost országa főkapitányának és helytartójának nevezi ki. 1346.

Johanna etc. Ludovicus de Tarento consobrinus noster etc. (statuitur) Capitaneus Generalis ad guerram, nec non ad recuperandum et reintegrandum signanter nostra demania, honorem nostrum manutenendum et defendendum etc. (Requiruntur etiam Praelati Ecclesiarum, et districte iniungitur) omnibus et singulis Comitibus, Baronibus, Officialibus, Vniuersitatibus, ac personis quibuscumque, vt eidem Principi, et statuendis per eum, debeant tamquam gerenti vices nostras, cum omni promptitudine intendere pariter et parere etc. Datum Neapoli per manus Rogerii Barensis Archiepiscopi Logothete etc. anno Domini MCCCXLVI. die XXVII. Aprilis.

(A »Registri Aongioini« A. 351. tz. a. Reg. Johannae I. köretéből 50-ik levél.

152.

I. Johanna siciliai királynénak ugyanazon ügyben kiadott rendelete. 1346.

Johanna etc. Justitiario Terre Laboris etc. Significamus tibi; quod noviter plena cum deliberatione Consilij ordinationem fecimus infrascriptam.

Johanna Dei gratia etc. tenore presentium notum facimus etc. quod pro qualitate temporum consulta negotiis exquirentes consilia et remedia propensius cogitantes, provisionem nuper cum matura deliberatione fecimus exigentia presentis temporis provida consideratione pensata in serie subsequenti:

Johanna etc. Spectabili Tarentino Principi, carissimo fratri nostro salutem et fraterne dilectionis affectum. Advertentes ex defectu Presidis, qui vices nostras habeat presentare, ad quas personaliter circa debitum regiminus nequimus oportune sufficere propter sexum imparem, sicut expedit curis ipsis Regnum nostrum in pluribus ejus partibus discriminosis exponi periculis et subici gravibus lapsibus insolentum, qui nostram vilipendentes reverentiam et potestatem nullatenus deferentes etc. vsque ad movendum publice guerram in Regno predicto etc. prout tota forma scripta est in alio quaternorum vsque Datum Neapoli per venerabilem etc., anno Domini MCCCXLVI. die XXII. Aprilis XIX. indictionis etc.

Quocirca volumus et fidelitati tue precipiendo mandamus expresse, quatenus ordinationem eandem per singulas terras ete. divulges etc. Datum Neapolis per eundem patrem etc. MCCCXLVI. die XXVIII. Aprilis.

(A »Registri Angioini« C. 350. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 19-ik levél.)

153.

Magyar eredetű Erzsébet, I. Johanna siciliai királyné és Martell Károly calabriai herczeg szolgálatában. 1346.

Johanna etc. Ysabella Vngara cambellana, et Nicolaus eius filius familiares nostri dilecti etc. pro vtilibus, gratis et acceptis seruicijs clare memorie illustri domino viro nostro laudabiliter prestitis, queue Ysabella ipsa presencialiter prestat in educacione presertim Spectabilis Ducis Calabrie primogeniti nostri, et speramus etc. habeat annuum redditum vnciarum auri triginta etc. Datum Neapoli MCCCXLVI. die I. Maij.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 155. l.)

154.

Gergely corbaviai gróf, Jadra ellen a velenczei köztársaságnak szövetségese. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IX. Maii. Capta: Respondeatur ad capitula ambaxate Comitis Gregorii in hunc modum: Et primo ad primum capitulum de IV centum equitibus et CC peditibus etc.; respondeatur: quod simus contenti dare ei CC equites et C pedites, secundum quod alias requisivit et contentus fuit, cum quibus debeat facere et procurare honorem nostrum et suum, cum condictione, quod possimus de ipsis gentibus et parte ipsarum ordinare et disponere et precipere, sicut quando et ubi nobis videbitur pro bono unionis.

Ad secundum capitulum, per quod petit provisionem etc. respondeatur: quod si eveniret, quod Comes Gregorius amitteret suum taliter, quod non haberet unde vivere, Dominatio nostra providebit, ut sibi conveniens apparebit. Et si ullo tempore contracta perderetur, et postmodum recuperaretur per nos, erimus sibi favorabiles et gratiosi, ut ipse et sui recuperare valeant, quod est suum.

Ad tertium capitulum, si castra per desertacionem contracte vel deffectu victualium aut hominum teneri non possent etc. respondeatur: quod cum dictus casus occurreret, providebimus nostro posse, quod victualia habeant pro pecunia, et omnem favorem et consilium libentissime impendemus, ut ipsa castra conservari possint.

Ad quartum, si inimici obsiderent castra sua etc., respondeatur: quod in hoc providebtur per nos, sicut pro honore et bono nostro et suo erit conveniens.

Ad quintum, si Dominatio acquireret contractam Chroacie, de possendo habere suum etc. respondeatur: quod si hoc eveniret, Dominatio nostra providebit de tractando et habendo ipsum recommendatum benigne in suis iuribus, sicut semper facere consuevit servientibus ei.

Ad sextum, per quod petit observari sibi privilegia sua etc. respondeatur: quod semper inveniet nos dispositos ad omnia, que honeste et decenter fieri poterunt ad conservationem iurium suorum.

Ad septimum, si Civitas Jadre habebitur per nos etc. respondeatur, quod totum, quod invenietur esse suum, dabitur ei, et tractabitur per nos in iure et iustitia, prout quilibet civis noster.

Ad octavum de villis derobatis etc. respondeatur; quod per nos superinde providebitur sicut conveniet.

Ad nonum de ducatis V mille deponendis apud alios X mille etc. respondeatur: quod sumus contenti, quod ipsos deponat apud alios, sicut petit.

C a p t a: Et pro predictis volumus et petimus:

Primo, quod Comes Gregorius habeat pro inimicis omnes inimicos Communis Venetiarum, et pro amicis omnes amicos; intelligendo amicos et inimicos illos, qui declarabuntur per litteras vel nuncios domini Ducis Venetiarum.

Item quod teneatur totis viribus et posse damnificare Jadratinos in havere et personis, et quoslibet eis adherentes, vel prestantes eis auxilium vel favorem.

Item si necessaria essent aliqua sua castra Communi Venetiarum, quod dictum Commune Venetiarum in ipsis castris possit ponere equites et pedites ad suum boneplacitum,

remanente nichilominus dominio et iurisdictione ipsorum castrorum dicto Comiti.

Et pro observatione omnium premissorum acceptetur obligatio X mille ducatorum, qui sunt hic, quam offert facere eius Ambaxator, mittendo adhuc alios V mille ducatos huc, sicut dicit. Et cum dicat, quod intendit mittere Venetias vel Arbum uxorem cum bonis suis, et propterea petat per nos sibi concedi unam galeam pro levandis hiis; respondeatur, quod de hoc sibi complacebimus, et mittemus galeam, ut possit mittere uxorem et bona sua Arbum seu Venetias, sicut petit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

155.

A velencziei kormánytanácsnak határozatai a magyar-dalmatiai ügyben, vonatkozással a scardonai és osztrovicziai grófokra. 1346

Anno MCCCXLVI. die XIV. Maii. Capta: Quod ad litteras domini Ducis Austrie respondeatur cum bonis et amicabilibus verbis, que videbuntur Domino, Consiliariis et Capitibus, vel maiori parti eorum, iustificando factum nostrum quam melius fieri poterit.

Item quod scribantur littere Comiti Maladino, regratiando ei de suo bono portamento in omnibus factis, et de adventu suo ad nostrum exercitum et honorem, dicendo de confidentia speciali, quam habemus de ipso in honores nostros; et quod nunquam credimus de ipso aliquid, quod nobis dictum esset in minus honoris nostri, quia scimus firmiter, quod honorem nostrum semper possetenus procuravit. De facto tractatus, quem videtur habere Comes Paulus, de dando castrum suum Ostrovize Regi Vngarie iuxta tenorem litterarum Comitis Sibenici, scribatur nostris Provisoribus, quod inquirant de hoc et provideant et turbent, ne dictus tractatus procedat, loquendo cum Comitibus Paulo et Maladino et aliis, et ut videbitur; et superinde scribatur etiam Capitaneo et Guberna-

toribus, ut videbitur. Et quia videtur, quod Comes Doymus sit tractator huius facti, mittatur ad eum unus de Notariis Curie, agravando factum, sicut videbitur convenire.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

156.

A velenczei kormánytanácsnak az I. Lajos magyar király és az aquileiai patriarka közti viszonyról. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XX. Maii. Capta: Quod scribatur Amadeo Notario nostro in Curia, quod intelleximus, quod Patriarcha Aquilegiensis iturus est ad Regem Vngarie, et quod publica vox et fama est, quod ipse procuravit et non cessat procurare sinistrum et damnum agendorum nostrorum. Et propterea mandamus ei, quatenus habita collatione cum domino Turcelensi et cum eius consilio debeat ire ad presentiam domini nostri Pape, et exponere pro parte nostra, quod licet semper ob reverentiam Dei et fidei habuerimus in speciali reverentia et amore personas ecclesiasticas, et maxime dominum Patriarcham Aquilegiensem nostrum circavicinum; tamen pridie receptis litteris Apostolicis suadentibus, ut cum ipso domino Patriarcha in caritate et pace vivere deberemus, disposuimus adhuc fervertius mentem nostram ad complacendum et serviendum dicto domino Patriarche in omni bono et honore suo, et servare cum eo omnem benivolentiam et amorem, sperantes, quod simile fieri deberet per ipsum ob reverentiam mandati Papalis. Set salva reverentia sua, non videtur sic servare erga nos, ymo pocius totum oppositum; nam sicut eius Sanctitas scire potest, diu est, quod Civitatem nostram Jadre, nobis rebellem, obsessam tenuimus per terram et mare, ut eam reduceremus ad obedienciam et fidelitatem nostram. Cives auten ipsius non videntes se posse aliter adiuvare, nequicia ducti, falso informarunt et informant dominum Regem Vngarie, quod veniat vel mittat ad occupandum nostram Civitatem premissam, dantes ei intellegi, quod, habendo

ipsam, cum sit sita super mari, habebit navigia et alia omnia opportuna pro transfretatione eius ad acquisitionam Regni Apulee; et pro ista informatione videtur, quod dominus Rex venire disponat. Et sperantes nos, quod in istis factis nostris, que tantum tangunt Ecclesiam, dominus Patriarcha predictus operari et procurare deberet ob reverentiam Apostolice Sedis omne bonum et commodum nostrum, publica fama est, quod ipse tam penes Regem Vngarie quam alios procuravit et procurat totum contrarium, videlicet sinistrum et damnum nostrum et agendorum nostrorum; ymo, quod plus est, dicitur publice, quod de conscia et consensu ipsius domini Patriarche gentes de Hungaria et auliunde sunt descensure per eius Districtum ad damnum nostre contrate Istrie et subditorum nostrorum ibidem. Que itaque non sunt causa dilectionis et amoris, secundum mandatum Sue Sanctitatis, ymo sunt causa omnis erroris, et ea displicere firmiter credimus Apostolice Sanctitati. Et propterea supplicamus eidem, quatenus, consideratis premissis, dignetur sic celeriter de opportuno remedio providere in corrigendo et amonendo dictum dominum Patriarcham adhuc efficatius, ut expediens viderit, quod abstineat a novitate et sinistro quolibet contra nos, quod non habeamus causam querelandi ipsum; quia quantum pro parte nostra, nunquam dabitur ei causa procurandi aliud, quam bonum et honorem nostrum. Et mittatur ipsi Amadeo tenor ambaxate, quam mittimus domino Patriarche, ut informare et iustificare possit facta nostra apud dominum Papam et alios, ut expediens cognoverit. Et mittatur ei littera credulitatis pro predictis exponendis ad dominum Papam; et quecumque habuerit et fecerit in premissis, rescribat nobis, et expectet nostrum mandatum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

157.

Endre néhai siciliai királynak sírja Nápolyban. 1346.

Johanna etc. Presbiter Sergius Gaytus de Amalfia habet vncias auri sex annuas pro celebrando cotidie Diuina Officia in cabella majoris Neapolitane Ecclesie, in qua corpus clare memorie incliti Regis Andree Jerusalem et Sicilie, carissimi et reuerendi domini viri nostri, in Domo requiescit, pro anima videlicet ipsius viri nostri etc. MCCCXLVI. die IX. Maij.

(A »Reg. Angioini« A. 351. sz. a. Reg Johannae I. köt. 154. l.)

158.

VI. Kelemen pápa I. Lajos királyt felszóllítja, hogy a János cseh és III. Kazimir lenyyel királyok közti egyenetlenségben közbenjárjon. 1346.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Serenitatis Tue litteris responsalibus ad nostras, quas tibi, fili carissime, super concordia inter carissimos in Christo filios nostros Johannem Boemie et Kazimirum Polonie Reges illustres, ac eiusdem Regis Boemie natos, dissidentes invicem, reformanda dudum destinavimus, animo leto receptis, et contentis in eis diligentius intellectis, responsionem tuam piam et benivolam, nec non et affectionem sinceram, quam te habere circa eandem concordiam describunt dicte littere, cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus. Cum autem eidem Regi Polonie scribamus, qualiter prefatus Rex Boemie, et dilectus filius nobilis vir Carolus primogenitus suus, nuper in nostra presentia constituti, et per nos super reformatione huiusmodi concordie requisiti, nobis benivole respondentes, se voluntati et ordinationi nostre super hoc, adiecta pena decem milium marcharum auri, et iuramento prestito summise-

runt, ipsum Regem Polonie attentius exhortando, ut procareatores suos ad faciendam similem summissionem idonea potestate suffultos studeat destinare, interim recipiendo cum prefatis Rege ac Marchione sufferentiam vel treugas usque ad alicuius competentis temporis spatium, infra quod negotium predictum per nos perfici valeat gratia suffragante Diuina: Serenitatem Tuam rogamus et hortamur Regiam, quatenus Regem prefatum Polonie ad premissa velit efficaciter inducere Tua Regia Celsitudo. Datum Avinione XI. kalendas Junii Pontificatus nostri anno quinto.

(V. Kelemen pápa regestáiból.)

159.

A velenczei kormánytanács üzenete Bertand aquilegiai patriarkához. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXIII. Maii. Capta: Quod respondeatur nuncio domini Patriarche cum pulcris et bonis verbis de sua notificatione amicabili nobis facta, de sua via, quam intendit facere de mandato domini Pape; et de sua bona voluntate, quam ostendit erga nos et in nostris honoribus; et quod sic speramus reperire in effectu, et quod sui amoris intuitu intendimus habere recommendata negocia sua, sicut nos rogavit. Et super facto oblationis sue, quam offert in nostris honoribus, similiter referimus sibi gratias, informando eum de nostro directo in facto Jadre per modum alias commissum nostris ambaxatoribus, qui iverunt ad Ducem Austrie, et rogando suam paternitatem, quod omnem honorem nostrum habeat in omni casu in dicendo et operando favorabiliter commendatum. stb.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

160.

A velenczei köztársaságnak a horvát-dalmatiai tengerpartot látogato genuai hajokra vonatkozo határozata. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXVI. Maii. Capta: Quia ad declarationem, quam petunt Provisores nostri de facto galearum Janue, respondeatur eis, quod quando casus occurreret quod dicte galee irent Segnam, vel alio, pro levando Regem, non faciendo aliam novitatem contra nos, videretur nobis et placeret, quod ipsi cum galeis et armatis nostris starent ad obsidionem civitatis Jadre, et vitarent brigam et scandalum cum eis, in quantum poterunt cum honore nostro. Nichilominus tamen propter diversos casus, qui possent occurrere, confidentes plene de sapientia et industria eorum et aliorum nobilium de Collegio, qnum ipsi, qui erunt super factis, melius et plenius erunt informati de omnibus, relinquimus in libertate dicti Collegii in hoc casu et aliis omnibus negociorum nostrorum faciendi secundum casus, qui occurrerent, sicut eis vel maiori parti pro honore, conservatione et bono nostro videbitur, habendo respectum in omnem partem.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

161.

VI. Kelemen pápa testörét, Albinioi Gamotot küldi megbizottnak Lajos magyar és III. Kasimir lengyel királyokhoz. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi salutem etc. Cum dilectum filium nobilem virum Gamotum de Albinio servientem nostrum armorum ad carissimos in Christo filios nostros Ludovicum Vngarie et Kazimirum Polonie Reges illustres pro quibusdam causis arduis, prefatum Polonie ac carissimum in Christo filium Johannem Regem Boemie illustrem, et dilectum filium nobilem virum Carolum, dicti Regis Boemie primogenitum, Marchionem Mo-

ravie tangentibus destinemus: Nos volentes eidem Gamoto de suis necessariis prouideri decenter, fraternitatem tuam requirimus, rogamus et hortamur attentius, tibique per Apostolica scripta districtius iniungendo mandamus, quatenus eidem Gamoto centum quinquaginta florenos mox, cum te requirendum duxerit, de tua pecunia pro huiusmodi suis necessitatibus facias assignari, ac deinde illos a Prelatis et aliis personis ac locis ecclesiasticis tuarum Civitatis, Diocesis et Provincie, distribuendo eos rationabiliter, sicut tibi expedire videbitur, exigere, tibiqua pro satisfactione illorum quos prefato Gamoto tradideris et assignaveris, applicare procures. Nos enim tibi contradictores super hiis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam concedimus tenore presentium facultatem; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. nonas Junij Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

162.

VI. Kelemen pápa De Baucio Bertrandot, Monte- Caviosoi gráfot, nevezi ki főbirónak azon perben, mely Endre siciliai királynak gyilkosai ellen indíttatik. 1346.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio nobili uiro Bertrando de Baucio Comiti Montis Caueosi salutem, et Apostolicam benedictionem. Etsi iustitia, que subditorum corda letificat, et sublimem tronum format, magisque accepta de eo reddit, quam immolatio hostiarum, quamque diligere, et pro ea certare debeant, quibus ex officii debito expedit iudicare; Nos precipue, qui licet immeriti vices illius in terris gerimus, cuius in iustitia, que in eternum permanet, plena est dextera, quique ponit mihi pondus iudicium

et iustitiam, in mensura huiusmodi iustitiam diligendo debemus extollere, dilectam exquirere, et exquisitam prosequi, ac brachijs fortitudinis amplexari, vt secundum illius rectum seruitium per nos et alios, iuxta negotiorum exigentiam, et status nostri decentiam singulis meritorum et demeritorum stipendia tribuamus. Sane pridem ad Apostolatus Nostri notitiam flebili et infausto rumore perlato, quod quidam viri sanguinum et dolose nequitie filii, et perditionis alumpni in clare memorie Andream Regem Sicilie manus inicientes impias, ipsum innocentem, et tamquam inter suos securum se existere reputantem, crudeli et turpissima morte tam immaniter, quam proditorie perhemerunt. Nos nolentes, sicut nec uelle debemus, tam horribile, et detestabile, ac Deo et hominibus odiosum facinus, cuius cognitio et punitio ad Nos et Romanam Ecclesiam in hoc casu pertinere dignoscitur, relinquere suadente iustitia impunitum; primo certos processus contra quoscunque predicti sceleris patratores, complices, conscios, et qui dederunt ad id auxilium, consilium, et fauorem, de fratrum nostrorum consilio fecimus, generales, diuersas, spirituales et temporales penas, et sententias continentes, et subsequenter recepta informatione, quod aliqui tam mares, quam femine, de nece predicta suspecti omnimode existebant, ipsos per edictum publicum presente fidelium multititudine copiosa, de eorundem fratrum consilio citare curauimus, ut infra trium mensium spatium ad hoc peremptorie assignatum, coram nobis personaliter comparerent beneplacitis Apostolicis parituri, et facturi, et recepturi, quod iustitia suaderet. Et licet ipsi citati virtute citationis predicte infra predictum terminum nondum elapsum arctati existerent Apostolico conspectui presentare: Nos tamen considerantes, quod in partibus illis, in quibus est flagitium perpetratum, magis sufficiens instructio fieri, et melius facti et circumstantiarum eiusdem ueritas, quam detegi in uotis gerimus, poterit reperiri, quodque occasione sumpta veniendi ad Romanam Curiam, uia dari posset multiplex criminosis, penas debitas euitandi, deliberanimus, quod ne iustitia nimium retardaretur, et ex huiusmodi retardatione, secum contrahente periculum, contingat ipsum diuersis quesitis occasionibus aliquatenus forsitan impediri de

predictis citatis, et omnibus alijs qui de predicto scelere culpabiles poterunt reperiri per aliquem, de quo possumus confidere in illis partibus, vbi iustitia ministretur. Et quia de laudabili prudentie tue virtute, sepius in multornm arduorum negotiorum executione probata fidelitate, magnanimitate, et alijs gratiarum donis, quibus te Altissimus insigniuit, firmam in Domino obtinemus fiduciam, quod iniuncte et commisse tibi per Nos ad honorem Dei, iustitie cultum, et commendabilem nobilitatis tue titulum, non declinando ad dexteram uel sinistram, diligenter, constanter, et fideliter exequeris; Nobilitati tue duximus tenore presentium committendum, quatenus uocatis, et tibi adsistentibus duobus ex ciuibus Neapolitanis, quos ipsi ciues Neapolitani duxerint nominendos, auctoritate Apostolica de predicto scelere et ipsius patratoribus, conscijs et quomodolibet culpabilibùs inquiras cum omni diligentia, qua poteris, et vt expedire iuxta qualitatem negotij uideris, adhibito peritorum consilio, plenius ueritatem, et de omnibus, et singulis, quos de predicto scelere culpabiles possis reperire, licet aliqui ex eisdem per nos citati fuerint, non obstante citatione predicta, facias plenum iustitie complementum. Nos enim in premissis, et ea tangentibus, plenam tibi tenore presentium usque ad Apostolice Sedis beneplacitum concedimus potestatem. Datum Auinione tertio nonas Junij Pontificatus nostri anno quinto.

(A »Registri Angioini B. 348. sz. a. Reg Johannae I. kötetéből 200. lev.)

163.

A velenczei kormánytanács I. Lajos magyar király siciliai tervei ellen intézkedik. 1346

Anno CCCXLVI. die XII. Junii. Quod ocoasione istius fratris Comitis Palatini, qui est in Anchona pro Ambaxatore Regis Hungarie, et pro aliis novis, que sentimus; deinde mittatur in Anchonam unus ex Notariis Curie ad procurandum pro parte nostra cum Anchonitatis, quod non consenciant vel

faciant aliquid contra nostrum honorem, cum illa commissione, que videbitur Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus.

Quod scribatur per duas manus Consuli nostro Neapolis, notificando ei nova, que habemus, de Rege Vngarie, et de ambaxata missa per ipsum Anchonam, nominando ambaxatorem, ut informet de hiis Reginam et Curiam Reginalem, ut provideat, quod victualia non habeat de partibus Apulee et aliter, ut ei videbitur expedire. Et mittantur dicto Consuli pro exponendis premissis littere credulitatis Regine et Regalibus, quibus videbitur; et scribatur ei, quod litteras Regine omnino presentet, et exponat premissa. De aliis vero litteris Regalium remaneat in discretione ipsius presentandi eas et exponendi, sicut ei utilius apparebis.

Item scribatur Marchioni Marchie, notificando ei de istis motibus Regis Vngarie, et quod placeat ei pro reverencia Ecclesie et amore nostro ordinare et mandare, quod de partibus Marchie dictus Rex vel eius gentes non possint habere favorem aliquem de victualibus, navigiis vel aliter, cum illis pulcris verbis, que videbuntur Domino, Consiliariis, et Capitibus, et Sapientibus, vel maiori parti.

Preterea scribatur Amadeo Notario nostro in Curia Romana, informando eum de ista ambaxata Anchonam missa per dictum Regem, et de aliis, que videbuntur, ut ea exponere debeat domino Pape, et supplicare, quod dignetur providere celeriter de remedio opportuno, sicut viderit expedire.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«ból Lit. A. vol. I.)

164.

A velenczei kormánytanács bizonyos feltételek alatt I. Lajos magyar királylyal barátságos egyességet kiván kötni. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XIX. Junii. Capta: Ad factum vero tractatus (t. i. I. Lajos magyar királylyal), respondeatur, quod habendo libere et quiete dominium Civitates Jadre et aliarum terrarum Dalmacie, quas tenemus, cum re-

missionibus et renunciacionibus opportunis tam pro isto Rege quam pro heredibus et successoribus suis, contentamur quod possint (a velenczei biztosok) expendere et promittere, sicut quibus eis videbitur, usque ad summam C mille ducatorum auri, firmando contractum si compleretur cum bono consilio sapientum ad plenum, ut fuerit opportunum. Et possint etiam tractare, expendere et promittere tam Bano, quam aliis Baronibus Regis, tam pro effectu dicti tractatus, quam pro faciendo recedere exercitum Regis et pro omni nostro honore usque ad quantitatem XX mille ducatorum ultra predictos C mille, sicut et quibus eis videbitur. Intelligendo etiam, quod in omni casu concordii Comes Maladinus et Paulus includi et esse debeant in pace cum locis et bonis, que tenent secundum formam pactorum, que habemus cum eis; faciendo et procurando hoc, quando dictis de Collegio melius et commodius apparebit.

Capta: Et si concordium non posset fieri per modum predictum, et pro parte Regis pocius eligeretur et peteretur sibi dari aliquid annuatim, possint nostri tandem ad pactum et transactionem devenire in forma, qua non possit preiudicare nobis, nec in forma census nec subiectionis nec aliter, ordinando et dando formam contractus de hinc cum bono consilio sapientum, videlicet de dando ei aunnatim a V mille ducatis infra, quam melius poterunt, habentibus nobis dominium liberum Civitatis Jadre et aliarum terrarum nostrarum predictarum absque ulla inquietacione inperpetuum tam pro ipso Rege, quam pro heredibus et successoribus suis. Intelligendo, quod remaneat libertas Collegio expendendi pro Baronibus, et intelligendo etiam de facto Comitum Maladini et Pauli, ita in isto capitulo, sicut in alio proximo precedenti plenius continetur.

Capta: Si vero pro parte Regis peteretur a nobis transitus in Apuleam; respondeatur per nostros, quod condicio nostra et gentis nostre requirit habere in omnibus partibus mundi amorem et concordiam cum omnibus propter mercatores nostros in diversis mundi partibus conversantes cum suis personis, mercationibus et havere, et specialiter in partibus Apulee copiosius ntuntur, quibus posset imminere gravissimum

periculum atque damnum; et cum hiis et aliis pulcris verbis, que sue discretioni videbuntur, excusent et elongent se a facto transitus antedicti.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol. 1.)

165.

I. Johanna siciliai királyné országának védelmezéséről gondoskodik. 1346.

Johanna etc. Super reparatione Castrorum Manfredonie, Baroli, Trani, Bari atque Brundusii. MCCCXLVI. die XXV. Junii.

(A »Reg. Angioini« B. 351. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 58. lev.)

166.

VI. Kelemen pápának utasitása a Magyarországba küldött apostoli nunciusok számára. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus Bertrando Patriarche Aquilegensi et Francisco Episcopo Tergestino salutem etc. Si forsitan carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem videritis dispositum ad Regnum Sicilie, de nostro, ut nostis, consistens directo dominio, et quod a nobis et Ecclesia Romana tenetur in feudum, velle ire; vos vel alter vestrum, specialirer tu, frater Patriarcha predicte, si quomodo poteris, apud Regem eundem instare ac laborare, solerti et fideli adhibita diligentia, viis et modis, quibus valebit melius fieri, ut illa que continentur in cedula interclusa presentibus, mandentur realiter effectui, studeatis. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis III. kalendas Julii Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

167.

A magyar sereg Dalmatiában visszaveretvén, a velenczei kormánytanácsnak dalmatiai üggeit tárgyazó utasítása biztosai számára. 1346.

MCCCXLVI. indictione XIV. die quarto Julii, quo die venerunt nova felicia de magnifica et gloriosa victoria obtenta per gentes nostras contra dominum Regem Vngarie, in die sabati primo mensis eiusdem, quo celebratum fuit festum Bati Marcialis Apostoli.

Capta: Quod rescribatur Collegio, quod recepimus per nobilem virum Nicolaum Cornario Supracomitem litteras suas, nunciantes nobis celebrem et optatam victoriam per nostras gentes obtentam contra inimícos, pro qua gratias, quas possimus, refferimus Domino Deo nostro, qui supra nos tantam gratiam et misericordiam clementer fuit dignatus ostendere; recommendantes magnam probitatem et valorem suum, et gentium nostrarum, quam in hiis et aliis nostris honoribus et serviciis habuerunt. Et nolentes esse ingrati de tanto beneficio et dono, sed pocius volentes mentes nostras conformare ad bonum concordii et pacis, intellectis litteris suis ad plenum continentibus de tractatibus habitis cum domino Bano Bossine, sic respondemus eis; Quod opinio trium magis solida, et plus secundum terminaciones nostras, nobis visa est et libenter vellemus, quando foret possibile, et sic instetur per eos toto posse, ad componendum factum Jadre cum aliis terris insimul, possendo expendere pro hoc centum mille florenorum, et viginti mille pro Baronibus, secundum formam determinationum factarum per nos. Sed quando hoc non posset fieri, quia altera pars vellet tantum componere de facto Jadre, sumus contenti, quod habentibus nobis statim et ante omnia Ciuitatem Jadre libere cum omnibus fortiliciis, insulis, districtibus, et cetera, et renunciante Rege pro se, heredibus et successoribus suis, omnibus iuribus, que quomodocumque diceret vel posset habere in eis, ac remittentibus nobis iniurias preteritas Jadratinis, possint expedire ducatos sexaginta mil-

lia, sicut obtulerunt, et decem mille pro Baronibus; cum condicione, quod Rex cum toto suo exercitu debeat recedere de contracta sine dampnificando aliquas nostras terras, fideles, subditos vel amicos; intelligendo, ut alias eis scripsimus, quod iu omni casu concorditer includere debeant Comites Maladinum et Paulum secundum formam alias eis missam.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«ból Lit. A. vol. 1.)

168.

I. Johanna siciliai királyné foganatositja VI. Kelemen pápának néhai Endre siciliai király gyilkosai büntetését tárgyazó rendeletét 1346.

Johanna etc. Nobili et Magnifico viro Bertrando de Baucio Montis Caueosi et Andrie Comiti, Magistro Justitiario Regni Sicilie, dilecto affini, Consiliario et fideli nostro etc. Vidimus nouiter et coram nouis lectas audiuimus presentatas per te nostro conspectui quasdam Apostolicas licteras tibi directas, per quas de horrendo necis crimine patrato dudum in persona clare memorie domini Andree Jerusalem et Sicilie Regis illustris, viri nostri carissimi, habenda inquisitio diligens, et facienda justitia tibi specialiter et expresse committitur; et licterarum tenor huiusmodi per omnia talis erat:

Clemens Episcopus stb. (következik VI. Kelemen pápának 1346-ki rendelete, mint fentebb 162. sz. a.).

Cum igitur ad executionem realem et debitam premisse commissionis Apostolice procedere uelle te asseras, ut teneris, nosque ad assistendum fauendumque tibi super ipso negotio per alias speciales Apostolicas licteras missas nobis propterea moneamur; quamquam id in hac parte zelemus, quod idem dominus noster Summus Pontificex ex caritate dominica zelare perpendimus; quinnimo tanto ausu tantoque feruentius sitiamus exinde uindicem executricemque justitie, quanto ex offensa ipsius domini viri nostri censemur offense pergrauius, et iniuria sic atroci enormius — — — — — veluti parte nostri corporis — — — — — — ad tue requisitionis et deuote supplicationis instantiam tibi harum serie tam su-

per inquisitionem predicti sceleris, quam ceteris dependentibus seu emerigentibus cognessis in habundantioris cautele presidium, prout et quantum in fauoris ac assistentie amminiculum, et juuamen Apostolice Commissionis eiusdem et executionis ipsius expedire dignoscitur; committendas de certa nostra scientia duximus totaliter vices nostras, ea qua in hijs generaliter et specialiter perfrui potestate ac auctoritate te volumus, quas circa faciendam in eodem Regno nostro justitiam ex Regali preminentia et vigore fastigii nostri obtines, et vt processus eo fiat in eiusdem sceleris disquisitione rigidior, eoque durior ex pena delinquentibus inferenda; quo facinus ipsum constat esse pergrandius, et eius in manis (inmanis) acerbitas atrocitatem excedit criminum ceterorum; addicimus tibi expresius iniungentes, vt si et pcout uideris expedire aduersus reos eiusdem criminis notabiles, et suspectos omnes et singulos cuiuscunque status et dignitatis aut conditionis existant, procedere studeas tam efficaciter quam instanter, absque personarum exceptione aliqua, iuxta sanum sensum et seriem litterarum arbitralium et aliarum tibi per nos nostramque Curiam tam circa ipsius inquisicionum et punitionum terminos, quam in ipso quo fungeris Magistri Jnstitia riatus officio concessarum procedendo, tam ad captionem ac punitionem rigidam et vindictam contra delinquentes eosdem, quam ad banitionem et foriudicationem nec minus et bonorum confiscationem, vbi vocatus infra constituenda per te tempora a tuo conspectu se contumaciter subtraxerit absentando, et super ipsa foriudicationis ferenda sententia tam communi Jure siue Regni constitutione statuta, quam alias, prout negotij qualitas et ipsa expedientia casus exigerent, tenore circa id ipsius Apostolice commissionis attento, non obstantibus legibus, constitutionibus, ordinationibus, capitulis, ritibus, priuilegijs quibuscunque in contrarium forsitan conditis aut seruatis: cum nos eas earumque vigorem, tanti sceleris enormitate poscente, ac ob reuerentiam ipsius committentis Dominice Sanctitatis, tollamus omnino earundem auctoritate presentium, ac viribus et efficacia euacuemus, non deferens cuiquam prece, precio, et amore, gratia odio uel timore, quo magis zelus tuus ab indaganda exinde veritatis certitudine cedat, vigorque justitie in

sui debita executione lentescat. Ceterum quia supplicasti nobis expressius, vt eo consultius eoque calcius valeas ad premissa procedere, quo plurium et peritorum virorum consilio fueris et assistentia quoadiutus, vt tibi in hijs fauoribus nostri presidio assistentes concedere dignaremur, quod Adenulfum Cumanum de Neapoli Viceprothonotarium Regni nostri Sicilie, ac Matheum de Porta de Salerno, et Johannem de Laudo de Capua Magistros Rationales Magne Nostre Curie Juris Ciuilis Professores, nec non Johannem de Ciuitate Theatina Judicem, Johannem Acoczaiocum de Ravello, et Petrum de Monteforti eiusdem Juris Ciuilis Professores Judices Magne Curie Nostre, cui prees, viros quidem clare scientie noteque fidei, et legalitatis expertos, ac in diuersis puplicis priuatisque negotijs comprobatos, et alios quos ydoneos, ad hoc oportunos, et habiles fore cognoueris, convocare ac assumere, tibique ualeas adhibere, vt vna cum eis uel eorum alijs possis maturius atque consultius procedere ad premissa, ac eis et eorum cuilibet, qui ad assistendum tibi et consulendum conueniant, prout et quando eos requirendos et uocandos duxeris, sub pena personarum et bonorum ipsorum omnium mandare ualeas, daremus specialiter potestatem; Nos igitur presupponentes zelum tue deuotionis et fidei constantisque justitie in tua persona aperta claritate pollere, et presupponentes predicta per te petita in meliorem partem cedere, teque omnia rite acturum cum salubri consilio predictorum; concedimus tenore presentium de certa nostra scientia tibi liberam potestatem, quod possis predictos, et alios quos duxeris in Consiliarios assumere ac adhibere, si et prout tibi videbitur expedire, eisque mandare sub penis eisdem, vt tibi aduocationem seu requisitionem tuam super hijs consulere ac assistere debeant, prout per te fuerint requisiti. Datum Neapoli per Adinulfum Cumanum de Neapoli etc. anno Domini M° CCC° XLVI° die IIII° Julij XIIII° indicione, Regnorum nostrorum anno IIII°.

(A »Reg. Angioiai« B. 348. sz. Reg. Johannae I. kötetéből. 200 lev.)

169.

A velenczei kormánytanács tudósítja apuliai consulját I. Lajos magyar király állásáról. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IX. Julii. Capta: Quod scribatur Consuli Apulee in hac forma: Intellectis noviter litteris vestris continentibus terminationem factam per Curiam Reginalem, de mittendo octo galeas ad partes Marchie pro impediendo transitum Regis Hungarie etc., vestre fidelitati sic duximus rescribendum: Quod considerantes statum presentem agendornm nostrorum, et quod satis verisimiliter conjici potest ex indiciis circumstantibus, quod de transitu Regis non est pro moderno tempore dubitandum, libenter vellemus, quod dicte galee a veniendo retineantur, habito respectu in omnem partem. Et propterea fidelitati vestre mandamus, quatenus informantes Curiam Regninalem de felici victoria per nos obtenta pridie contra Regem Hungarie, sicut vobis per nostras litteras scripsimus, quas iterum inferius replicamus, et de hiis que postmodum successerunt, videlicet quod Rex cum toto suo exercitu se removit de campo, et ivit ad quemdam locum longe a bastita per XII milliaria, unde intencio sua, ut dicitur, est eundi directe in Hungariam, per que potest satis clare comprehendi, quod de transeundo in Apuleam pro presenti tempore nullam imaginationem protinus habere videtur, debeatis instanter et solicite procurare per illam pulcriorem et abiliorem viam, qua poteritis, quod dicte galee non mittantur, quia frustra venirent; et si iam forsitan recessissent quod per Curiam Reginalem ad propria revocentur quamcicius esse potest, apponentes in hoc illam diligentiam et studium, quod poteritis, ut hec nostra intencio sequi possit, ac rescribentes quecunque feceritis in premissis. Datum ut supra.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit A. vol. 1.)

170.

I. Lajos magyar királynak követei Velenczében. 1346.

Anno MCCCXLVI. die V. Julii. Capta: Quod fiant expense de pecunia nostri Communis istis Ambaxatoribus Regis Hungarie, sicut convenit pro honore nostro.

Die XI Julii. Capta: Quod nostri Sapientes et duo Provisores, qui venerunt de exercitu, conveniant et sint cum Ambaxatoribus domini Regis Hungarie, et auditant et raciocinentur cum eis, dicendo et respondendo, sicut viderint convenire pro honore nostro secundum intencionem eorum, que firmata sunt; et cum eo, quod habuerint, veniemus huc, et fiet, sicut videbitur melius, et solicitent expeditionem facti quantum possunt.

Die XIV. Julii. Capta: Quod nostri Sapientes redeant ad Ambaxatores domini Regis Hungarie, et dicant, quod visa scriptura sua, fuimus multipliciter admirati, et quod non erat opus, quod propterea venirent Venecias, sicut fuit eis dictum per nostros ibi; et quod si volunt aliud dicere, parati sunt eos audire. Si vero aliud dicere noluerint, dicant, quod ipsi possunt ire et stare sicut eis placet. Verum si aliud dixerint, quod videretur attendere ad bonum facti nostri, venient ad nos, et cum eo, quod habuerint, erimus hic, et fiet, sicut videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

171.

A velenczei köztársaság követeket küld I. Lajos magyar királyhoz. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XVI. Julii. Capta: Si per ea, que audistis, videtur vobis de mittendo ambaxatam ad dominum Regem Hungarie; et si capietur de mittendo, postmodum providebitur de numero ambaxatorum, et de hiis, que committenda videbuntur, sicut isti Consilio apparabit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

172.

VI. Kelemen pápa meghagyja Bertrand aquilegiai patriarkának, hogy I. Lajos magyar királyt tervezett siciliai hadjáratától visszatartóztassa. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Bertrando Patriarche Aquilegensi salutem etc. Expectauimus diucius, quod super hiis, de quibus factum carissimi in Christo filii nostri Ludouici Regis Vngarie illustris tangentibus tibi scribendum et imponendum duximus, rationem aliquam per tuas litteras audiremus; et quia tot elapsis temporibus nondum factum extitit, cum anxietate quadam non sufficimus admirari. Verum quia vlterior expectatio secum trahere periculum formidatur; credentiam, qnam per te dicto Regi, si ad eum commode possis accedere; alias autem per aliquem virum discretum fidelen, secretum et providum ad Regem eundem per te, si non valeres, ut prefertur, accedere, destinandum, exponi prudenter, mature ac modeste volumus; tibi vna cum serie litterarum, quas Regi prefato super hoc dirigimus, nec non tenore processus felicis recordationis Johannis Pape XXII. predecessoris nostri, de quo in eadem credentia fit mentio, mittimus interclusam. Volentes, tuamque fraternitatem requirentes, et rogantes attente, quatenus, si certus existeres, quod Rex predictus hoc anno non sit ad invasionem vel offensionem Regni Sicilie processurus, predicta omnia subticeas et remittas; vbi autem dubius super hiis existeres, vel scires forsitan ipsum intendere ad premissa omnino, si posses commode, ad ipsius presentiam studeas te conferre, sibi expositurus dictam credentiam, et eum ad hoc, quod concludit seu intendit, eadem credentia secundum datam tibi a Domino prudentiam inducturus. Et si prepeditus adeo existeres, quod accedere ad ipsius Regis presentiam non valeres; virum aliquem idoneum, discretum et fiedelem, de quo plene possis super talibus confidere, destinare ad eum propterea non postponas; nobis, quid per Regem predictum responsum, el circa premissa quomodolibet actum fuerit, quantocius rescripturus. Ceterum fraternitatem tuam

volumus non latere, quod pridem dilectus filius Johannes Prepositus Ecclesie Sancti Johannis de Castro Quinqueecclesiensi, eiusdem Regis clericus et Consiliarius, per ipsum Regem ad nostram presentiam destinatus, habitis per nos super predictis colloquio et tractatu cum ipso, promisit, et quasi spem indubitatam nobis dedit, quod Rex predictus ad aggressionem dicti Regni Sicilie hinc ad festum Beati Georgii proximo futurum nullatenus prosiliret; hoc tamen Regi prefato vel Consiliariis suis dicendum est nullatenus, sed potius sub secreto tenendum. Verumtamen eodem presente Preposito, si cum dicto Rege tunc fuerit; et etiam eo absente, si forsan non extiterit, est ipsa credentia explicanda. Datum Avinione XVII. kalendas Augusti Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

173.

VI. Kelemen pápának intézkedései I. Johanna siciliai királynénak tervezett második házassága tárgyában. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus Ildebrandino Paduano, et Guilielmo Casinensi Episcopis salutem etc. Licet per alias nostras patentes litteras, quas vobis cum presentibus mittimus, potestatem concedendi nomine nostro carissime in Christo filie nostre Johanne Regine Sicilie illustri super contrahendo matrimonio licentiam, sine qua secundum conventiones et pacta inita et posita in concessione Regni Sicilie olim clare memorie Carolo Regi Sicilie per Sedem Apostolicam facta, id facere Regina non potest, nec non dispensandi, quod cum quocunque viro Catholico, nobis et Ecclesie Romane fideli et deuoto, in quibuscunque et quotcunque gradibus consanguineitatis seu affinitatis iure Diuino non prohibitis, possit matrimonium contrahere, vobis super certa forma in eisdem contenta litteris concedamus: nostre tamen intentionis existit et volumus, quod cum nos simus in tractatu cum carissimo filio nostro Ludovico Rege Vngarie

illustri, quod ipse hoc anno ad Regnum Sicilie predictum quomodolibet non accedat; si iuxta tractatum huiusmodi ab accessu et aggresione Regni predicti vos ad ea, que in predictis continentur litteris, nullatenus procedatis. Si vero Rex idem ad Regnum ipsum accedere, vel illud aggredi forsitan procuraret, ne hoc casu Regnum ipsum careret idoneo defensore, ad prestandum licentiam et consensum ac dispensationem predictam iuxta tenorem litterarum predictarum, prout prudentie vestre videbitur faciendum, cum requisiti fueritis, procedatis. Primitus tamen proviso diligenter, ordinato at cauto, quod puer inclitus Carolus. eiusdem Regine, et clare memorie Andree Regis Sicilie viri sui primogenitus, sic sub tuta, felici et provida custodia et cura fideli ac sollicita nutriatur et teneatur decenter iuxta tenorem articulorum, quos tu, frater Episcope Paduane, de nostris manibus recepisti; quod nullius sinistre suspicionis materia locum habeat vel habere valeat quomodolibet in hac parte; ac nichilominus inter Reginam predictam, et illos de domo et progenie Regia, presertim dilectos filios nobiles viros . . . Principem Tarentinum, et . . . Ducem Duratii, ipsorumque fratres, et inter ipsos etiam invicem plena concordia reformetur. Sic igitur mature, consulte ac provide iuxta intentionem nostram huiusmodi super predictis omnibus et eorum singulis vos geratis, quod vestra possit et debeat exinde discretio merito commendari. Datum Avinione XVI. kalendas Augusti Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

174.

Dusan István szerb királynak követei Velenczében. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXIX. Julii. Capta: Quod respondeatur Ambassatoribus domini Regis Raxie, regratiando ei de bona voluntate et magna affectione, quam ostendit ad nostrum honorem, cum illis pulcris verbis, que videbuntur;

dicendo, quod credimus super factis pendentibus inter dominum Regem Vngarie et nos mittere Ambaxatam ad dictum dominum Regem Hungarie, quam Ambaxatam et facta nostra, in casu quo ipse dominus Rex se reperiat cum Rege Vngarie, intime et cum magna fiducia commendamus; cum intencio nostra sit, si ipsam Ambaxatam mittemus, committere Ambaxatoribus nostris, quod si se repererint cum ipso domino Imperatore, recurrant ad eum pro auxilio, consilio et favore tanquam ad amicum nostrum honorabilem et prccipium, in quo plenam spem et fidem gerimus, quod facta nostra propria reputet, sicut etiam reputaremus omnem eius exaltationem pariter et honorem.

C a p t a : Quod pro honore nostro provideatur istis Ambaxatoribus domini Regis Raxie in rebus, que videbuntur, usque ad summam ducatorum centum pro expensis, quas fecerunt pro nostro servicio.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. I.)

— —

175.

I. Lajos magyar király egyetértésben bajor Lajos császárral. 1346.

Anno MCCCXLVI. mense Julio Ludovicus Princeps (bajor Lajos császár) cum Ludovico et Stephano filiis suis Comitatum Tyrolis ingressus, in Tridento cum Vngaro (I. Lajos magyar királylyal) et Mastino Veronensi habere colloquium nitebatur; Episcopus autem Tridentinus ad preces Regis Bohemiae Sedis provisus, assumpta sibi gente Mediolanensi stb. custoditis montibus, ne illi convenire possent, impediuit stb.

— — — — — — — — — — —

Anno Domini MCCCXLVII. ipse Carolus Electus (értetik a későbbi IV. Károly császár) cum Carolo (helyesebben Ludovico) Rege Hungarie genero suo, et cum Alberto Ausrtali colloquium habuerunt in Vienna. Quibus simul euntibus

in Presburg eiusdem Vngarie, Ludovicus Princeps (bajor Lajos) statim in Vienna colloquium secretissimum habuit cum Australi predicto stb.

(Strassburgi Albert krónikájából.)

176.

I. Johanna siciliai királynénak De Cabannis Robert Eboli grófnak összes javait De Baucio Bertrand Montecaveosei grófnak adományozza. 1346.

Vir nobilis Bertrandus de Baucio Comes Montiscaveosi, Regni Sicilie Magister Iustitiarius habet omnia bona Roberti de Cabannis Comitis Ebuli dampnati ad mortem ob crimen proditionis per eundem Justitiarium. Datum Neapoli anno Domini MCCCXLVI. die II. Augusti.

(A »Reg. Angioini«B, 348. sz. a. Reg. Johannae I. köt. 128. lev.)

177.

A velenczei kormánytanács meghagyja az arbei grófnak, hogy a magyar dolgokról jelentést tegyen. 1346.

Anno MCCCXXLVI. die IX. Augusti. Capta: Quod scribatur Comiti nostro Arbensi, quod desiderantes scire nova continue de motibus et processibus Regis Hungarie, mandamus ei, quod studeat invenire unam vel duas discretas et aptas personas, que vadant et sequantnr dictum dominum Regem, et persenciant de omnibus novis, et si dominus Rex, ve aliqua gens eius faceret aliquem motum, et rescribant nobis et Capitaneis nostris exercitus solicite per aliquem cautum modum omnia, que senserint.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«ból Lit. A vol. I.)

178.

Á velenczei kormánynak egyetértése a bosznini bánnal. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IX. Augusti. Capta: Quod fratri Caterino, Provinciali, qui fuit missus ad Banum Bossine, et fideliter et laudabiliter se gessit, provideatur de denariis nostri Communis de ducatis L, ut habeat bonam causam in nostris serviciis, et sic est consultum per dominos Consiliarios et Capita.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. I.)

179.

I. Johanna siciliai királynénak követsége Velenczében. 1346.

Anno MCCCXLVI. die X. Augusti. Capta: Cum huc venerint ad nos duo solempnes Ambaxatores domine Johanne Regine Apulee, scilicet unus Episcopus et unus nobilis de Neapoli, et verba dicte Ambaxate se faciant cum factis nostris Sclavonie: vadit pars, quod committatur sapientibus Sclavonie, quod super dicta Ambaxata examinent et consulant, sicut eis videbitur pro honore nostro.

Die XII. Augusti. Capta: Quod respondeatur Ambaxatoribus Regine Apulee cum illis pulcris et curialibus verbis, que videbuntur Dominio, dicendo, quomodo habemus pro certo, Regem Hungarie rediisse in Hungariam, et quod quantum ad presens, non videmus, quod condicio negociorum requirat facere unionem, cum hiis et aliis verbis excusando et elongando nos a facto lige et unionis, quam petunt nobiscum.

Die XV. Augusti. Capta: Quod stemus firmi responsioni ordinate pridie fieri per istud Consilium Ambaxatoribus Regine Apulee, et continuetur et detur eis pro finali responsione, replicando sicut pridie captum fuit, quomodo considerantes, quod Rex Vngarie rediit in Hungariam, non videmus quantum pro tempore presenti, quod condicio agendorum re-

quirat fieri unionem, que petitur; set in processu temporis, si aliqua de novo emergerent, provideri posset secundum ea, que occurerent, sicut pro bono utriusque partis melius videretur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit A. vol. 1.)

180.

A velenczei köztársaságnak utasitása I. Lajos magyar királyhoz küldött követei számára. 1346.

Anno MCCCXLV. die XVII. Augusti. Capta: Cum commissio Ambaxatorum iturorum ad Regem Vngarie per Sapientes notata sit sufficienter et ad plenum, et pro intencione nostra faciat non differre ulterius factum commissionis;

Capta: Quod in nomine Domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri committatur Ambaxatoribus nostris ituris ad dominum Regem Vngarie, quod premissa salutacione decenti, exponant, quod mundo notoria esse potest magna benivolentia et devotio, quam Commune Veneciarum habuit ad progenitores suos, ipsos in magna reverentia semper gerendo, et impendendo servicia sibi grata, et hoc idem desideravimus et desideramus servare cum domino Rege presenti. Set multum habuimus causam admirationis de novitate, ad quam motus extitit contra nos occasione Civitatis nostre Jadre, quam, si ut rem nostram recuperare studebamus, nec ei, nec alterii molestum debeat occurrere, maxime cum nunquam in casu simili eius predecessores se in hiis intromittere voluerunt, tamquam qui aperte nostram iusticiam cognoverunt. Nichilominus tamen volentes vivere in omni pace et amore cum eo, Ambaxatores suos pridie ad nos missos super premissis gratanter recepimus et vidimus ac honoravimus, sicut pro honore Maiestatis Sue et modo conveniens fuit, et intelleximus diligenter ea, que dicere volueruut, disponentes mentes nostras ad omnia, que honeste et decenter fieri possent pro bono quietis et pacis. Sed non valentes cum eis esse concordes, maxime

cum dicerent, se non habere mandatum ad plenum, et nolentes, quod pro parte nostra deficiat, quando reperiatur modus et via conservandi benivolenciam et amorem antiquum cum ipso domino Rege; disposuimus mittere ad eius presentiam nostros Ambaxatores ad rogandum Maiestatem Suam, quod dignetur habere et tenere nos et nostrum Commune pro eius devotis et amicis, sicut fecerunt predecessores sui, cum semper dispositi fuerimus et sumus ad omnia, que in honorem Excellentie Sue decenter et honeste fieri possent, dicendo hec et alia circa hec, que dictis Ambaxatoribus pro honore nostro utilia videbuntur.

Capta: Et quia differentie orte inter dominum Regem et nos, principaliter esse videntur pro Jadra et aliis terris, quas tenemus in Sclavonia, habeant dicti Ambaxatores, si venerint supra tractatibus, libertatem tractandi et componendi cum domino Rege premissa per modos, qui inferius distinguentur.

In primis si dominus Rex dabit in manibus nostris statim dominium et possessionem pacificam Civitatis Jadre et districtus ac pertinenciarum ipsius, libere, quiete et expedite absque ulla condicione in perpetuum, remittentibus nobis Jadratinis omnes offensas preteritas, et assecurando eos in personis et havere, et dimittet nobis alias Civitatis Sclavonie, quas tenemns, libere, quiete et absque ulla condicione in perpetuum renunciante ipso pro se, heredibus et successoribus suis omnibus iuribus, que quomodocunque diceret vel posset habere in Jadra et Civitatibus supradictis, possint nostri Ambaxatores ei promittere usque ad summam C mille ducatorum, et pro Baronibus expedire usque ad XX mille ducatos, vel abinde infra prout melius poterunt.

Capta: Et si hoc obtinere non possent de Jadra cum aliis terris simul, possint, dante ipso nobis Jadram cum pertinentiis, ut est dictum supra, expendere usque ad LX mille ducatos, et X mille pro Baronibus, vel abinde infra prout melius poterunt.

Capta: Sed si Rex non vellet se intromittere de dando nobis Jadram per modos dictos superius, et nostri obtinere possent, quod ipse cederet et transferret ac renunciaret nobis

pro se, heredibus et successoribus suis omnia iura, que quomodocunque diceret vel posset habere in Jadra vel aliis Civitatibus, quas tenemus in Sclavonia, cum earum pertinentiis et districtibus, possint expedire pro hoc usque ad LXXX mille ducatos inter Regem et Barones, sicut et quibus eis videbitur, vel ab inde infra quam melius poterunt.

Et quando non possent obtinere cessionem et translationem ac renunciationem iurium de Civitate Jadre cum aliis terris simul, ut est dictum, et ipsi possent hoc obtinere de Civitate Jadre, Districtu et pertinenciis eius, non faciendo mentionem de aliis terris, possint expendere pro hoc usque ad summam XL mille ducatorum inter Regem et Barones, sicut eis videbitur, vel ab inde infra, quam melius poterunt.

Capta: Et si per aliquem predictorum modorum concordium sequi non posset, et Rex contentaretur dare nobis Jadram, et nos ponere in pacificam possessionem ipsius per modum et pro quantitate pecunie dicta superius, scilicet de LX mille ducatorum et X mille pro Baronibus, et vellet, ut alias per aliquos de suis missos Venecias raciocinatum extitit, quod alie terre Sclavonie remanerent quiete in statu presenti usque ad X annos; possunt nostri promittere, quod ex nunc erimus contenti, quod eligantur unus pro parte, qui procurent concordare partes. Et si non poterunt eas concordare, eligant tercium intra aliquem terminum. Et ipsi tres, elapso termino prefato decem annorum, super facto ipsarum terrarum determinent postmodum, sicut eis iustius apparebit.

Die XIX. Augusti. Capta Si vero Rex non posset vel non vellet se intromittere de dando nobis Jadram, promittentibus nobis stare compromisso, ut captum est, et ipse saltem contentaretur nobis cedere et renunciare iura omnia, que diceret vel posset habere in Jadra et pertinentiis, et contentaretur, ut alias ratiocinatum fuit, per aliquos de suis missos Venecias, quod alie terre, quas tenemus in Sclavonia, remanerent quiete usque ad decennium in statu presenti, possint nostri pro hoc expendere inter Regem et Barones usque ad XL ducatos vel abinde infra, quam melius poterunt, et promittere de stando compromisso per modum in proxime precedenti capitulo annotatum.

Capta: Et si pro parte domini Regis tangeretur aliquid nostris Ambaxatoribus de transitu suo in Apuleam; respondeant, sicut alias responsum fuit, quod habemus magnum numerum nostrorum cum quantitate maxima haveris in partibus Apulee, in quibus omni tempore copiosius conversantur; et quod periculosum esset nobis et mercatoribus nostris nos intromittere de hoc. Et cum hiis et aliis verbis, que sibi utilia viderentur, excusent et elongent se a facto transitus supradicti.

Verum si Rex dubitaret, ne prestaremus impedimentum, et nos opponeremus eius transitui antedicto, possint nostri Ambaxatores sibi dicere oretenus, non tamen quod inde fiat scriptura, quod Commune Veneciarum pro sua condicione non est solitum se intromittere in negociis alienis, dummodo possit conservare suum honorem et bonum; et quod postquam erimus secum in bona pace et concordio, intencionis nostre erit servare cum eo benivolentiam et amorem tamquam cum honorabili et carissimo amico nostri Dominii.

Capta: Et si pro parte dicti Regis tangeretur eis aliud ultra predicta, vel supra predictis; audiant et trahant totum, quod poterunt, et scribant omnia, que habuerint, et eorum consilium, et nostrum expectent mandatum.

Et fiant littere credulitatis pro Ambaxatoribus nostris Regine veteri, et aliis, quibus videbitur, ut possint substinere et informationem dare de iuribus nostris, ubi et sicut fuerit opportunum.

Et committatur exprese dictis Ambaxatoribus, quod in quolibet casu concordii debeant includere in pace et concordio Comites Maladinum et heredes Comitis Pauli, secundum formam nunc ultimo commissam Collegio.

Et fiant contractus concordii, si concordium perficietur, in forma transactionis, sicut alias consultum et notatum fuit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. A. vol. 1.)

181.

I. Lajos magyar király és VI. Kelemen pápa. 1346.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri Bertrando Patriarche Aquilegensi salutem etc. Presentate nobis tue fraternitatis littere, quas benigne et leta manu recepimus, continebant, qualiter te, frater, secundum ordinationem et voluntatem nostram ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem personaliter contuleras, et receptus reuerenter et honorifice fueras ab eodem, nec non que sibi ex parte nostra explicaueras, ipseque tibi ad ea duxerat respondendum. Contentis igitur in eisdem litteris intellectu pleno collectis, et nichilominus visa cedula in vna ex tuis litteris predictis inclusa, responsionem dicti Regis seriosius describente, que per te circa premissa non sine multis laboribus et solicitudinibus gesta sunt, grata nostris accedunt affectibus admodum et accepta; estque nobis placibilis responsio dicti Regis, tuam super predictis diligentiam multipliciter in Domino commendantes. Sane cum Rex prefatus in responsione predicta inter alia dixerit, sicut ex tenore dicte cedule colligitur evidenter, quod ipse, qui fuit et est ac esse intendit Apostolice Sedis obedientie filius, ab huiusmodi obedientia deviare quomodolibet non intendit, si Sedes ipsa sibi complaceat in licitis et honestis : nos eiusdem tue fraternitatis voluimus prudentiam non latere, quod Regem ipsum tamquam nostrum et Ecclesie carissimum et specialissimum filium, et intra nostra et dicte Sedis precordia recumbentem, paterne caritatis affectu prosequimur, et gerimus in visceribus caritatis, nec aliqua facere intendimus, per que ipse a devotione predicta retrahi debeat, immo prompti sumus et esse proponimus, petitiones suas iustas et honestas fauorabiliter exaudire. Porro super eo, quod adiciebatur in predicta cedula, Regem prefatum tibi dixisse, quod vnus malus homo vocatus Gregorius nobis suggesserat, Regem prefatum esse stultum, impotentem, pauperem et suis gentibus odiosum : tam te, frater, quam Regem eundem per te pro certo tenere volumus, quod nunquam aliquis de Rege ipso predicta vel similia alia dixit; nec scimus,

quis sit ille Gregorius. Sed si forsan de venerabili fratre nostro Gregorio Episcopo Cenadiensi intellexit Rex predictus: in veritatc dicimus, quod dum esset dudum in Curia Nuncius dicti Regis, nec illa nec alia queuis sinistra de aliquo nobis dixit; immo quantum potuimus percipere, prudenter et fideliter prosecutus fuit negotia, pro quibus tunc temporis erat missus. Datum Avinione XVI. kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

182.

A velenczei kormánytanács tudosítja a boszniai bánt I. Lajos magyar királylyal kezdett alkudozásairól. 1346.

Anno MCCCXVI. die XXVI. Augusti. Capta: Quod dominus Banus Bossine perfectam dilectionem et amorem ostendit ad nostrum Dominium: vadit pars, quod pro honore suo et nostro scribatur et notificetur ei: quomodo, sicut novit, Ambaxatores domini Regis Hungarie fuerunt ad nos, cum quibus non valentes esse concordes, tandem ad instantiam et suasionem ipsorum Ambaxatorum nostram Ambaxatam domino Regi Hungarie mittere decrevimus; quod ei notum esse volumus, tamquam honorabili et precipuo amico nostro, rogantes, ut facta nostra recommendata habeat; et si cerneret vel videret, quod per nos fieri posset vel deberet aliquid, illud omni tempore libenti animo faciemus. Et circa ista verba scribatur etiam fratri Peregrino.

A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

183.

A velenczei kormánytanácsnak határozata a magyar királyhoz küldendő követek tárgyában. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXVI. Augusti. Capta: Quod Ambaxatores ituri ad Regem Hungarie sint tres, et

cum salario et familia, quibus fuerunt et iverunt Ambaxatores ad dominum Ducem Austrie, et postea de via eorum providebitur melius.

Capta : Quod dicti Ambaxatores respondeant per se vel per commissionem infra tercium diem postquam erunt electi, et non possint refutare sub pena librarum centum; et ad similem penam subiaceant etiam absentes, qui reliquissent commissionem, qui non acceptarent ad terminum vel refutarent. Et etiam subiaceant isti pene illi, qui ab ista hora terciarum in antea de Veneciis reccederent ista causa.

Capta : quod pro dando expedicionem isti ambaxate electio Ambaxatorum iturorum ad Regem Hungarie fiat die crastina post nonam in bona gratia.

Quod occasione cride, que est facta de Jadratinis, electio dictorum Ambaxatorum differatur usque ad diem Martis, quia postmodum bene poterit tantum plus anticipari de tempore.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

184.

István boszniai bánnak követe Velenczében. 1346.

Anno MCCCXLVI. die quarto Septembris, Capta: Examinatis capitulis Ambaxate nobis exposite per dompnum Helyam pro parte domini Bani Bossine, consulunt sapientes: Et primo ad primum capitulum continens de unione et liga facienda cum eo etc.; respondeatur cum illis verbis, que Dominio videbuntur, quod tanta est fidei et dilectionis sinceritas, quam in ipso Bano cognovimus ad nostros honores, quod fidissime sibi audemus pandere in totum conditionem agendorum nostrorum, que potest propria reputare, ut ipsorum habita plena notitia, possit circa ea considerare, que veniunt rationabiliter attendenda. Equidem verum est, sicut per nostras speciales litteras sibi scripsimus ante adventum dicti dompni Helye, quod Rex Hungarie, prout notum est ipsi Bano, misit suos Ambaxatores Venetias pro tractatu concor-

dii, qui inter alia volebant nobis dare libere Civitatem Jadre, prout petebatur per nos, set volebant, quod alie terre nostre Sclavonie remanerent Regi; quod, scilicet de relaxando ei aliquam dictarum terrarum, protinus erat et est contra intentionem nostram. Verum ex parte nostra volebamus secundum tractatum per dictum dominum Banum habitum in exercitu, dare usque ad quantitatem pecunie promissam per eum, ut daret nobis Jadram libere, ut est dictum, nolentes ad aliud condescendere, et sic finaliter non valentes esse concordes cum eis, maxime quia dicebant, non habere mandatum ad plenum, ad requisitionem et instantiam ipsorum Ambaxatorum promisimus mittere nostram ambaxatam ad ipsum Regem; quam, nolentes pro honore nostro deficere in promissis, iam paravimus et in brevi missuri sumus, non ad alium finem, nec cum alia intentione, nisi ad videndum, si id, quod per suos fieri nan potuit deffectu mandati, videlicet de dando nobis Jadram pro illa quantitate pecunie, fieri vellet per dominum Regem, ne ostendatur pro parte nostra recusari concordium, et quod velimus nos retrahere ab hiis, que iam promisimus alias. Et licet mens nostra foret contenta omni tempore esse in unitate et confederatione cum ipso domino Bano pro fortificatione et conservatione utriusque partis; tamen certi reddimur, quod sapientia ipsius est tanta, quod aperte videre et cognoscere potest, quod firmatio et publicatio ipsius lige, quantum ad presens, fieri non posset absque infamia et detractione honoris nostri; quia ex una parte mittere ambaxatam Regi pro concordio, prout publica fama sonat, et ex alia parte firmare et publicare unionem contra eum, in se contradiceret, et honori nostro in toto orbe non mediocriter repugnaret. Et quia illud, quod presentialiter fieri non potest per nos absque nostro onere et infamia rationibus supradictis, verosimiliter forsam fieri poterit in processu temporis cum conservatione honoris nostri, quem scimus, ipsum dominum Banum diligere: si presentialiter deliberate non respondemus ad factum unionis predicte, potest eius providentia nos habere rationabiliter excusatos, cum propositi nostri sit, pendentibus sic negotiis isto medio tempore, licet expressam unionem non habemus cum ipso, ipsum et eius auxilium in

casu quolibet, velut amicum precipuum requirere confidenter. Et sic versa vice de nobis facere posset, quia suum intime diligimus honorem et statum. Que omnia ex grandi cordis affectione ipsi domino Bano nota esse voluimus, sperantes, quod penes eum habebuntur, sicut eorum conditio et natura exiget et requirit.

Ad secundum capitulum, per quod recommendat nobis Comitem Gregorium etc.; respondeatur, quod satis credimus esse notam domino Bano gravem offensam nobis factam per ipsum Comitem, quia existens noster civis, contra debitum et iuramentum fidelitatis, temerarie presumpsit et armata manu venire et hostiliter contra nos, propter quod si contra eum gravati et turbati sumus, non est mirandum. Set nihilominus attendentes instantes preces ipsius domini Bani, pro quo omnia nobis decenter possibilia faceremus; ipsum Comitem Gregorium, si viderimus, quod recognoscat fallum suum, et quod intentio et opera sua sint ad bonum et honorem nostrum, recommendatum habebimus intuitu ipsius domini Bani apud nostram gratiam et amorem.

Ad tertium capitulum de iniuriis et damnis sibi illatis per Comitem Maladinum etc.; respondeatur, quod novit Deus, iniurias ipsas non minus graves habemus, quam si nobis vel nostris gentibus facte forent; et pervento de ipsis ad nostram notitiam, antea pluries scripseramus, et nunc de novo misimus unum nostrum Notarium et Nuntium Specialem pro reformatione predictorum, et speramus, quod fiet taliter, quod ipsi dominus Banus poterit rationabiliter contentari. Et nichilominus adhuc omnibus modis et viis intendimus efficaciter procurare, quod ipse Comes Maladinus a qualibet novitate se abstineat contra ipsum Banum vel gentes suas; et sumus certi, quod sic fiet. Quem Comitem Maladinum, cum sit intimus et fidelis nostri Dominii, ipsi domino Bano amicabiliter commendamus, rogantes, ut a perturbatione status eius placeat abstinere nostris precibus et amore.

Ad quartum capitulum, per quod nobis recommendat Comitem Johannem condam Comitis Nelipcii, et Comitem Budisclavum Vrognich etc.; respondeatur, quod si cognoverimus, quod dispositio eorum tendat ad bonum et honorem

nostrum, ipsos intuitu ipsius domini Bani habebimus apud nostram gratiam recommissos.

Ad quintum capitulum, per quod petit mitti ad Regem Servie in eius favorem; respondeatur, quod optantes omne bonum et statum ipsius domini Bani, libenter ei complacebimus super hoc; et mittatur ad Regem Raxie per illam pulcram viam, que videbitur Dominio, ad rogandum eum super hoc cum illis verbis, que utilia videbuntur.

Ad sextum capitulum de requisitione ei facta per Jadrenses, per quod petit, si nobis placeret, ut se interponat de concordio inter partes etc.; respondeatur, quod in omnibus factis nostris sic plene confideremus in eo, sicut in nobis, et quod scit, que fuit intentio nostra, videlicet recipiendi Jadratinos ad gratiam nostram, dantibus eis nobis liberum dominium Civitatis Jadre salvis personis et habere; et noviter videntes eorum duritiem, fecimus fieri unam cridam, quod si infras octo dies vellent dare nobis Civitatem libere, ut est dictum, reciperemus eos ad gratiam salvis personis et havere; alioquin elapso termino, nullam remissionem vel gratiam invenirent a nobis, set de eorum personis et bonis fieret secundum culpas eorum.

Ad ultimum capitulum de facto Tenini, cum ipsum capitulum ab unione dependeat, non expedit prensentialiter respondere.

Capta: Super peticione porrecta per dompnum Helyam, supplicantem, ut dignemur concedere, quod de bonis Jadratinorum positorum in Traguriensi Districtu satisfiat cuidam Damiano fratri suo pro aliquibus rebus ei asportatis in principio guerre per Jadratinos ad valorem ducatorum centum; respondeatur ei, quod attendentes bonum portamentum et dispositionem suam, libenter ei et suis faceremus omnem gratiam, quam decenter possemus; set sunt multi cives et fideles nostri ad istam conditionem, de quorum satisfactione nondum provisum est; et cum intentionis nostre sit superinde suo loco et tempore providere, cum tractabitur super hiis, ipsum fratrem suum et factum eius habebimus amore dicti dompni Helye favorabiliter commendatum. Et ut detur omnis bona causa tam dicto dompno Helye quam aliis operandi fideliter

facta nostra, pro suo labore, quem habuit in factis nostris, provideatur ei de bonis nostri Communis usque ad valorem ducatorum LX.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

185.

Churiach Gergely gróf, ki a velenczei köztársaság ellen harczolt, a velenczei kormánytól kegyelmeztetik. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IV. Septembris. Capta : Cum Comes Gregorius Churiachi per suum Ambaxatorem nobis fecereit suplicari, ut eum ad gratiam nostram recipere dignaremur: vadit pars, quod respondeatur ei, quod satis est mundo notoria gravis offensa nobis facta per ipsum Comitem, quod, existens civis noster, contra debitum fidelitatis et iuramentum suum temerarie presumpsit venire et hostiliter contra nos, ex quo, si gravitatem et turbationem contra ipsum concepimus, non est mirabile apud quemquam. Set attendentes, quod querit veniam de commissis, et quod Ducale Dominium nunquam est solitum querentibus misericordiam denegare; si viderimus, quod ipse Comes recognoscat fallum suum, et quod sua dispositio et opera tendant ad honorem nostrum, sicut promittit, ipsum intuitu maxime domini Bani Bossine, qui de hoc nos instanter rogavit, apud nostram gratiam recipiemus et habebimus commendatum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

186.

VI. Kelemen pápa mint a békesség közvetitöje I. Lajos magyar király és a velenczei köztársaság közt. 1346.

Anno MCCCXLVI. die IV. Septembris. Capta : Cum Amadeus pluries scripserit nobis de verbis per dominum Papam tactis, videlicet, quod quando nobis placeret, se, et suos

Legatos et Nuncios mitteret pro tractatu concordie inter dominum Regem Hungarie et nos, et quod super hoc dominus Papa expectat responsionem nostram : vadit pars, quod rescribatur Amadeo, quod si tangeretur ei aliquid ulterius superinde, respondeat regratiando domino Pape humiliter et devote de charitate et affectione, quam ostendit ad nostrum Commune, et narrando ei, quomodo Rex Hungarie, pridie existens in partibus Sclavonie, in reccessu suo misit ad nos suos Ambaxatores, cum quibus non valentes esse concordes, tandem ad requisitionem eorum promisimus mittere nostros Ambaxatorés ad dictum Regem Hungarie, quos iam elegimus et missuri sumus in brevi solum pro factis Sclavonie pendentibus inter ipsum et nos, qui Ambaxatores cotidie recessuri sunt; nescimus adhuc, quam intentionem invenient in ipso Rege, et propterea non possumus eidem Amadeo respondere aliud super hoc, donec responsionem dicti Regis sciverimus super iis.

Capta : Quod super litteris missis ad Curiam per Patriarcham Aquileienssm in diffamationem nostram et reprobationem eorum, que scripsimus; respondeatur Amadeo Notario nostro, quod multum habuimus ad bonum de notificatione predictorum eidem facta per dominum T., et proinde multum nos reputamus obligatos eidem, cognoscentes, quod perfecte amat et cupit honorem nostri Communis, sicut semper speravimus et speramus de ipso. Et volumus quod pro parte nostra sibi refferat multas grates, magnificando et gratificando servitium quantum poterit, et dando ei verbum, quod sumus certi satis, quod per dominum Papam et Ecclesiam Dei aperte cognita fuit prava et malevola disposito domini Patriarche erga nos, qui conatus est tali modo contra verum nos diffamare, nam per nos scripta fuit pura et simplex veritas secundum quod veridica relatione habuimus; et si quis vellet bene subtiliter indagare, adhuc reperiretur multo maius damnum Regis Hungarie quam scripserimus. Et quia verba scripta per ipsum Patriarcham, que nedum verisimilia, sed impossibilia prorsus sonant, clarissime monstrant, quod deviat a tramite veritatis; non dubitamus, quod per Ecclesiam hoc notatum et cognitum fuerit, et quod ei displicebit, sicut potest merito displicere. Et rogamus eum, quod tam apud dominum Pa-

pam quam alios, ubi expedierit, secure det informationem de predictis, et recommendatum habeat nostrum honorem in omni casu, sicut speramus de eo.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

187.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete, hogy Kont Miklós magyarországi nádor, ki a velencziektől elfogatott, és mint fogoly Arbe szigetén le volt tartóztatva, szabaddá bocsáttassék 1346.

Anno MCCCXLVI. die octavo Septembris. Capta: Attento tenore litterarum Collegii, per quas dicunt habere, quod ipse Comes Palatinus ibat de conscia Regine Apulee et Principis etc. Consideratis etiam omnibus, que consideranda veniunt circa hoc, consulunt concorditer Sapientes, quod ipse Comes cum suis equis, comitiva et arnesiis omnibus debeant libere relaxari; et sic scribatur in Arbum, et ad exercitum, quod cum illis pulcris et curialibus verbis, que videbuntur, eos licencient et permittant prosequi viam suam, et insuper pro maiori contentacione eorum faciat eos conduci cum una ex nostris galeis vel lignis usque Segnam. Et si propter retencionem predictam aliquid de rebus suis deffecissent, quia eis subtractum fuisset, faciant ea cum integritate restitui.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

188.

Kont Miklós magyarországi nádor Arbéből szökés által menekül. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXII. Septembris. Capta: Cum pertineat ad honorem nostrum scire, qualiter processit factum fuge istius Comitis Palatini : vadit pars, quod mittatur unus de Notariis Curie ad Vicecomitem et Commune Arbi

ad aggravandum, ut convenit, factum predictum; dicendo, quod licet intencionis nostre foret, et sic iam erat determinatum et scriptum per nos Capitaneis nostris, quod ipse Comes cum eius comitiva et rebus deberet libere relaxari et hononifice tractari: tamen nos turbat modus, qui esse non potuit abque magna negligencia et culpa eorum; et non dubitamus, quod per eos omnis sollicitudo adhibita fuerit ad recuperationem ipsius, et credimus, quod ipsum recuperaverint et relaxaverint iuxta nostrum mandatum. Et propterea si sic factum esset, bene quidem; si autem eum recuperassent, et nondum relaxassent, dicat ipse noster Nuncius dicto Comiti Palatino, quomodo scito per litteras nostrorum de retentione ipsius, habentes ipsum pro intimo amico nostri Dominii, statim deliberationem eius ordinavimus, dicendo etiam de honore, quem hordinaveramus ei fieri per nostros, et offerendo nos ad omne bonum suum. Et deinde procuret ipse noster Notarius, quod dictus Comes cum eius comitiva et rebus libere relaxetur et honoretur secundum intencionem nostram; quo facto Venecias revertatur. Si vero dictus noster Notarius inveniret, quod ipse Comes non foret repertus, et totaliter aufugisset, aggravet adhuc magis negocium, et dicat predictis de Arbo, quod intentio nostra est, et sic eis mandamus, quod illi, qui erant deputati ad custodiam dicti Comitis, et alii, qui culpabiles reperirentur de hoc, detineantur; et quod veritas inquiratur, ut fieri possit exinde, quod honor noster requirit, et procuret, quod dicta retencio et inquisitio fiat. Et rescribat, quicquid invenerit, et expectet nostrum mandatum, faciendo nichilominus gentes et res dicti Comitis, si que remansissent, libere relaxari.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

189.

A velenczei kormánytanácsnak válasza a boszniai bán követségére. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXVI. Septembris. Capta: Cum in responsione facta domino Helie, Ambaxatori domini Bani Bossine, inter alia caveatur, quod nostri firmi propositi est, pendentibus sic factis nostris, isto medio tempore, licet expressam unionem non habeamus cum ipso domino Bano, ipsum et eius auxilium in casu quolibet, velut amicum precipuum, requirere confidenter; et versa vice de nobis facere posset etc.; consulunt Sapientes, quod committatur ser Nicolino, accessuro ad Banum prefatum, quod, dum erit in partibus illis, si de firmo senciet, quod Banus Sclavonie vel alii descendere velint ad damnum nostre bastie, vel ad succurrendum de victualibus inimicos nostros Jadrenses, prout sonant nova habita, quod tunc requirat auxilium et favorem ipsius Bani Bossine ad resistendum dicto Bano Sclavonie et aliis descendentibus antedictis, promittendo ei auxilium nostrum in casibus ei necessariis secundum formam antedicte responsionis, facte dicto domino Helie.

(A »Secreto Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

190.

A velenczei kormánytanácsnak határozata az I. Lajos magyar királyhoz küldendő követség tárgyában. 1346.

Anno MCCCXLVI. die V. Octobris. Capta: Cum iam pluribus diebus misse fuerint due manus litterarum nostrarum, una per viam Alemanie, et alia per viam Segnie domino Voyvode, de requirendo litteras securitatis pro Ambaxatoribus nostris ituris ad Regem Vngarie, et responsio nimis tardet: vadit pars, quod ad maiorem cautelam mittantur ad dominum Regem Vngarie, et ad Voyvodam littere nostre in forma, que videbitur, per duas manus, scilicet per viam Segnie

et per viam Alemanie, ad notificandum eis de creatione Ambaxatorum nostrorum iamdudum facta, et requirendum litteras securitatis, ut tute possint ire ad presentiam dicti Regis. Et mittatur una manus istarum litterarum illis de Bebeh in Segnia, scribendo eis, quod si littere securitatis venissent, non mittant istas nostras litteras magis ante, set eas remittant, et mittant nobis dictas litteras securitatis quamcitius possunt, si eas non misissent. Si autem littere securitatis non venissent, mittant ipsas litteras per fidum nuncium quamcicius esse potest.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

191.

I. Johanna siciliai királynénak hirdetvénye Endre király gyilkosai ellen. 1346.

Edictum contra proditores.

Johanna Dei gratia Regina Hierusalem et Sicilie, Ducatus Apulie etc. vniuersis presentis edicti seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Diuine legis testatur elogium »Non sinas maleficum uïuere super terram« ; et iuris censura illos facinorosos grauius persequuntur, qui non vererentur offendere, quos in terra pre ceteris post cultum Maiestatis Diuine profecto reuereri deberent, atque diligere reuerentia debita, et fidei sincero uinculo, costringuntur. In quo dum magis exceditur, uiolata charitas et fides debita amplius leditur, seuerius iudicatur. Ad quorum proteruiam conculcandam frequenter Ministri Justitie exercent eorum officii debitum, et quomodocunque ad perfectam fortitudinem eorumdem Regalis potestatis presidium impartitur etiam non petitum; presertim vbi in suo capite ipsa potestas leditur, et Respuplica conculcatur. Sane uir nobilis Bertrandus de Baucio, Montis Caueosi et Andrie Comes, Berre Dominus, et Magister Justitiarius Regni Sicilie, dilectus affinis, Consiliarius, familiaris et fidelis noster, ex zelo, quem ad honorem nostrum, Reipuplice commodum et justitie, cui preest, habere dignosci-

tur in Nostre Majestatis presentia constitutus proximo diebus preteritis, quandam protestationem coram nobis, et requisifionem fecit in scriptis subscripte per omnia seriei.

Sicut decet verbum Beati Fulgentij: »Rerum omnium fundamentum fides est«, nam inter tot mundi procellas unde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus fides, et firmitas non adesset? Hec inter socios amicitias seruat, hec dominis pura integritate famulatur, et breuiter, inconmutabilis fidei est omne, quod recte uiuitur. Et propterea, Serenissima et Illustrissima Domina mea, accesus ipsius fidei zelum, quo uobis teneor, et Illustrissimo domino Carolo primogenito uestro Duci Calabrie, ac Domui uestre Regie, Ego Bertrandus de Baucio, Montis Caueosi et Andrie Comes, Berre Dominus, et Regni Sicilie Magister Justitiarius, et circa puniendos maleficos occisores, opem dantes, conscios, culpabiles, et ministros, qui proditionaliter recolende memorie dominum Andream Regem Illustrem, coniugem vestrum, ad immanissimam mortem deduxerunt, a Sede Apostolica Judex specialiter et Commissarius deputatus, Vestre Excellentie sic immaniter offense, sic crudeliter relicte, et vindictam debitam summe scitienti, prout per diuersas iussiones vestras factas ad persecutionem maleficorum ipsorum apertius connoui, presentibus intimo ex ipsius preclare fidelitatis debito costringor, quod prout Apostolici apices commissionis facte mihi super ipsa per me fienda inquisitione presentati fuere reuerenter commissionem ipsam, recepta processi fideliter ad inquisitionem eandem de consilio adhibitorum mihi proborum virorum, Legum Doctorum, et duorum ciuium Neapolitanorum ad id specialiter iuxta Apostolicas iussiones per me debite assumptorum, et facta per me inquisitione diligenti, et solemni processu per confessionem Gassi de Dinissiaco, olim Comitis Terlitii, Roberti de Cabanis, olim Comitis Ebuli et Magni Regni Sicilie Senescalli, Raymundi de Cathania militis Hospitii Senescalli, et Nicolai de Milaczano Hostiarii, de predicto scelere dampnatorum, ac Sanctie de Cabanis, olim Comitisse Murconis, et ex nonnullis aliis probationibus, presumptionibus, indicijs manifeste liquide constat, inter alios predicti sceleris patratores fuisse Carolum Artus, Bertandum ejus filium, Conradum de Cathencza-

rio, et Conradum de Umfredo de Montefusculo, quos predicto modo fuisse culpabiles, et nefandissimos patratores sceleris memorati, videlicet Carolum ipsum actorem, conspiratorem et tractatorem mortis, et dictum Conradum de Cathanczario, cum eo dictus vero Bertrandus Artus, et Conradum de Umfredo, una cum certis aliis executores nefandissime mortis Regie, et principales, nequissimos homicidas, seu regicidas, tam predicte probationes, et confessiones, quam fama publica, et notariá attestantur. Talesque declaravi eos esse predictorum commissores, ac declarare de consilio eorundem sapientium, mihi, vt premittitur, adhibitorum et adsistentium presentibus ad cautelam; eo presertim, quod ipsi per me tamquam Magistrum Justitiarium Regni vestri, ex officio Magne Curie, de speciali commissione et mandato vestris ob causam ipsius nefandissimi criminis tamquam conscii, patratores, et participes, et publice ac notorie diffamati, ex mandato legitime citati fuerunt, una cum certis aliis, de nece predicta similiter diffamatis, antequam esset super hoc Commissarius Apostolice Sanctitatis, et ob eorum contumaciam, rebellionem, et proteruiam, rite fuerunt banno suppositi, et postmodum debite foriudicationis sententia innodati, bonis omnibus, eorum dignitatibus, et honeribus priuati, ex cuius sententie foriudicationis vigore, satis ipsi confessi fuisse intelliguntur, et esse tales facinorosi, vt prefertur. Verum predicti Carolus, Bertrandus, Conradus de Cathanczaro, et Conradus de Umfredo in eorum durantes hostinata malitia, et profundo iniquitatis spiritu, in vestro Regno Sicilie publice ad presens morantur, cuius rempublicam tam grauissime offenderunt, et cui macule infamiam non modicam ascripserunt, cum morantes sub quadam rebellionis specie, in derogatione honoris Sancte Matris Vniuersalis Ecclesie, domini Summi Pontificis, sub cuius nomine iustitia agitur, et Vestre Excellentie Reginalis, sic crudeliter offense, ac predicti Illustris domini Caroli Ducis Calabrie, eiusdem domini Regis Andree et uestri filii, quod est cunctis fidelibus subditis abominabile, iniuriosum Reipuplice, et prouocatiuum scandali inter Regias Domus Sicilie atque Vngarie, vt patenter per omnes conspicitur, et recti iudicii consideratione habetur. Insinuo etiam Vestre Excellentie Re-

ginali, quod secundum quod notorium est, Dominus noster, dominus Summus Pontifex, considerans immanitatem tam detestandi nimium et horrendi, infandi, nefandique criminis, per uiros sanguinum et dolosos innoscium sanguinem sitientes commissi, ac proditionaliter perpetrati, in persona predicti domini Regis Andree per eos nequiter interempti, contra ipsos occisores, et dicti sceleris patratores, complices, consocios, et qui dederunt ad id auxilium, consilium et fauorem, per edictum publice propositum, nonnullas spirituales, ac temporales penas intulit, ac etiam irrogauit. In quo edicto, inter alias subscripte continentie et tenoris clausula continentur :

»Considerantes quoque, quod cum dicti sceleris enormitati vix, attentis omnibus circumstantijs, pena condecens ualeat respondere; non indignum existit, vt ultionis seueritas amplius extendatur, et propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec penis solitis contentemur, ad infligendas penas infrascriptas, quas ob maleficia solui magna ratio suadet, contra malefactores predictos, in uirtute Altissimi exurgentes deliberatione cum fratribus nostris prehabita diligenti, ex ipsorum consilio, auctoritate Apostolica, et de plenitudine potestatis, omnes et siugulos, cuiuscunque status, dignitatis, preminentie, sexus, uel conditionis, ecclesiastice uel secularis existant, qui interfecerunt uel interfici mandauerunt Regem Andream predictum, uel interficientibus ipsum ad hoc dederunt scienter auxilium, uel fauorem, aut interfectionem huiusmodi eorum nomine factam, ratam habuerunt, uel interfectorum eorumdem in ipsa interfectione socii et complices extiterunt, tanquam fame sue perditos infamie perpetue nota dampnamus, omnibus legitimis actibus priuantes eosdem, ac decernentes, quod sint prorsus intestabiles, et nec testandi liberam habeant factionem, nec ex testamento seu intestatu succedere, uel aliquid ex cuiuspiam successione percipere ualeant, nec ad reddendum testimonium admittantur; sed dentur cuncta eorum edificia in ruynam, nec sit qui habitet ea, et vt perpetue infamie notitiam perpetua ruyna testetur, nullo vnquam tempore reparentur; nulla eis debita reddere uel respondere teneatur; bona quoque omnia mobilia et immobilia, iurisdictiones et iura ipsorum vbilibet constituta, publicamus

eis, sub quorum consistunt dominio, sine iuris alieni preiudicio applicanda; omnibus dignitatibus et beneficijs ecclesiasticis, quantacunque et qualiacunque existant, que obtinent, omni spe restitutionis adempta, ac etiam honoribus, et dignitatibus, et publicis officijs, et administrationibus, et eorum exercitijs secularibus priuamus eosdem, ipsos reddentes inhabiles ad similia imposterum obtinenda; vassallos insuper et subditos eorum, si quos habent, a fidelitate qua tenentur eisdem absoluimus, iuramenta super hoc prestita de Apostolice Potestatis plenitudine relaxantes. Decernimus quoque, vt omnia loca, ad que dicti rei, postquam per istos uol alios, quibus commiserimus, rei et culpabiles tanti sceleris fuerint declarati, peruenerint, quamdiu inibi scientibus dictorum locorum dominis siue rectoribus, aut Vniuersitatibus eorum presentes fuerint, nisi quam priorum fuerint, capientur, et capti ad nos fideliter deducantur, ecclesiastico eo ipso sint supposita interdicto. Ad hoc vniuersis et singulis Vniuersitatibus et Ciuitatibus quibuslibet, et personis singulis ecclesiasticis et mundanis, cuiuscumque dignitatis, preminentie, status, conditionis aut sexus existant, hoc generali mandamus edicto, vt nullus ex supradictis modis reos, vt premittitur, declaratos, receptet, uel defendat, uel quantum in eo fuerit, receptari aut defendi permittat, nulla eos Vniversitas imposterum, uel Consules, aut Rectores, recipiant, uel ad quodlibet aliud officium quocunque nomine censeatur admittat, nullus commercium aliquod, aut communionem quamlibet, nisi forsan in illis, que salutem animarum ipsorum respiciant, habeat cum eisdem; nullus prestet eis auxilium uel fauorem, publicum uel occultum, nullus cum eis sub quouis pretextu seu colore societatem, ligam seu confederationem aliquam inire presumat; nulla Vniuersitas, nullaue singularis persona, eis uel eorum alteri quouis iure subiecta, post declarationem predictam pareat aliqualiter uel intendat; alioquin omnes et singulares personas scienter contrarium facientes, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos inferimus, incurrere uolumus ipso facto.«

Cumque, Serenissima Domina, vniuersus Regni populus clamet et uehementius acclamet contra proditores supradictos, qui sic morantur publice offendentes principaliter personam

vestram, que iustitiam super hoc fieri mandastis diuersis iussionibus reginalibus; et quia sititis vindictam, et extirpationem proditorum ipsorum, tamquam offensa principaliter in vestre corone dyademate maritalis: propterea supplico cum omni qua possum reuerentia, fidelitate et subiectione debitis; quatenus velitis, secundum quod ipse dominus Summus Pontifex per alias suas licteras speciales Vestre Excellentie scripsit, mihi potentie Reginalis brachium assistentie cum effectu prebere, vt dictos proditores possim capere, iustitie et iudicio submittendos; et dignemini mandare per vestras speciales litteras transmittendas, per solemnes Nuncios, cum forma presentis protestationis et requisitionis, ac sub pena obtentus gratie vestre, domine Imperatrici Constantinopolitane, et Spectabili domino Ludouico de Tarento nato eius, quod ipsos Carolum et Bertrandum, ac Conradum de Umfredo ad me transmittant sub debita et fida custodia. Similiter placeat ipsi Excellentie Vestre, domino Principi Tarenti, domino Duci Duratii et fratribus, Comitibus et Baronibus, et specialiter Vniuersitati, et ciuibus Vniuersitatis Neapolitane cum effectu dare expressius in mandatis, quod vbi per dictam dominam Imperatricem dicti proditores non fuerint mihi transmissi, in prachio potenti et forti dicti Regales et Comites personaliter et predicti alij tum cum eorum exfortio conferant se ad terras et loca, vbi dicti proditores existunt, cum quibus offero personaliter me iturum, vt capiantur et de eis debita fiat vendicta. Preterea supplico reuerenter, quod dignemini effective scribere Diocesanis, Vicarijs seu Officialibus eorumdem locorum, vbi proditores ipsi existunt, quod iuxta tenorem papalis edicti declarent terras ipsas esse suppositas Ecclesiastico Interdicto, et quod eorum vassalli, nullaue singularis persona eis seu eorum alicui quouis iure subiecta, de cetero pareat uel intendat eisdem, et quod omnes et singulares persone scienter contrarium facientes, sint ipso facto excommunicationis sententia innodati, et quod interdictum ipsum ibi tenaciter obseruetur, protestans publice, et in hijs scriptis, quod per me non stat, nec stetit, nec stabit, quin debita persecutio, captio et iustitia fiat de sceleritatis proditoribus me-

moratis. Tenor uero commissionis facte mihi super hoc per Apostolicam Sanctitatem, sequitur et est talis:

Clemens etc. (következik VI. Kelemen pápának 1346-ki rendelete, mint fentebb 162. sz. a.).

Nos autem dicti Comitis, tamquam honoris nostri et iustitie zelatoris laudabile propositum commendantes, sui requisitioni iam dicte respondemus in hec verba : Quod nos parate eramus et sumus omnia predicta exaudire, predictisque omnibus petitis cum maxima uoluntate annuimus; dicentes ore proprio, quod etiamsi conditionem nostram deceret, nos personaliter ad exequendum predicta accederemus pro honore Sancte Matris Ecclesie, eiusdem domini Summi Pontificis, atque Justitie, et deinde per venerabilem patrem Rogerium Barensem Archiepiscopum, Logethetam et Prothonotarium Regni Sicilie, dilectum Consiliarium, et fidelem nostrum, super ijs clarius mandauimus, et fecimus exprimi uotum nostrum; nunc uero predicte requisitionis et protestationis instantiam in debita consideratione ducentes, et finem nefandi iam dicti imponere cupientes, nec sub dissimulationis neglectu transire; saltem vt ignis accensus estinguatur in alijs, peccata suos teneant actores, et non inuoluant alios paratos ad sequelam. Insurgimus ad vindictam tam nefandissimi criminis, cum Reginalis gladij potestate; cum tam horrendum crimen iudicium dire ultionis exposcat in premissis, et alijs rationabilibus motiuis attentis, ad scedandum scandalum in Regno nostro. Propterea iam exortum pro cultu Justitie, et honore nostro, qui iudicium diligit in subditis iudicandis, et fortius, vbi pars nostri corporis, uerius imo caput existit, sic proditorie nobis abscisum, et lesit globa nostri Culminis, et Corona; et propterea ante omnia prefatos Carolum, Bertrandum, Conradum de Cathanzario et Conradum de Vmfredo reos dicti criminis, hostes publicos, nostrosque proditores atque rebelles hoc edicto de certa nostra scientia declarantes, et pro talibus reputari ab omnibus decernentes; in excidium et exterminium eorundem, ipso presenti edicto nostro firmiter ualituro, de certa nostra scientia, incommutabiliter ordinamus, ac omnibus et singulis Comitibus, Baronibus, et Feudatarijs nostri Regni Sicilie, cuiuscunque status,

et conditionis existant, feudalia bona, et terras a Curia nostra tenentibus, necnon Neapolitanis et alijs prouisiones habentibus, sub pena priuationis et ammissionis terrarum, et bonorum feudalium, ac prouisionum omnium eorumdem; et Officialibus nostris vbilibet per Regnum Sicilie constitutis, quocunque nomine censeantur, cuiuscunque similiter status et conditionis existant, sub pena personarum et bonorum eorum peremptorie et expresse precipimus, quod dicto Magistro Justitiario, suisque statutis et ministris circa prosequendum, capiendum et puniendum dictos proditores, et alios quoscunque declarandos reos dicti criminis, complices, et fautores eorum, et quemlibet eorundem, assistant, et foueant consilijs, auxilijs et fauoribus opportunis, et vna cum eodem Magistro Justitiario, uel statuendis ab ipso ad terras et loca, vbi dicti malefici, et rei criminis Maiestatis in Regno nostro Sicilie, non sine contemptu nostri Dominij morari dicuntur, ipsi Comites, Barones, et feudatarij, et prouisionee habentes cum feudali seruitio per eos nostre Curie debito pro terris et bonis feudalibus, et prouisionibus, que a Curia nostra tenent et habent; dictique Officiales cum eorum gente, ac maiori exfortio, quo poterunt, se personaliter conferant in persecutione, captione, et punitione dictorum maleficorum, iuxta ordinationem et mandatum dicti Comitis, prout et quando, vbi et sicut ipsi Comiti videbitur expedire, et sicut ipse Comes per edictum, requisitionem, uel alias duxerit ordinandum, ipsa seruitia et dictum exfortium prestituri. Ita quod in testimonio statuendo per eundem Magistrum Justitiarium, ipsi Comites, Barones, Feudatarij, et prouisiones habentes, ac Officiales coram eo infallibiliter se presentent cum dictis seruitijs, gente, et exfortio illo iuxta ipsius Comitis dispositionem, vt premittitur, prestituri, et alias in Comitatu dicti Magistri Justitiarij moraturi predicentes eisdem ex nunc, quod si forsan in dicto termino comparere contempserint, dicti Comites et Barones, et Feudatarij et prouisiones habentes, Comitatibus Baronijs et feudis et prouisionibus, que tenent a dicta nostra Curia, dictique Officiales bonis eorum ipso iure et sine sententia sint priuati. Cuius priuationis edictum ex nunc prout ex tunc specialiter promulgamus, vt idem Magister Justitiarius ex iis maiore suf-

fultus presidio, liberius suum in hac parte debitum exequatur, et remoto pestilenti de medio, et qualibet turbatione sublata, probis salus adueniat, et Regnum nostrum remaneat in quiete. Vt autem presens edictum nostrum in communem deueniat notitiam singulorum, et de eius serie a nemine ignorantia pretendatur, diuersas cartas, seu membranas illius seriem continentes fieri, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo iussimus communiri. Quas tam in porticibus castri nostri noui Neapolis et dicte Magne Curie appendi, quam in diuersis Ciuitatibus, alijs locis legendas ab omnibus, ac etiam in diuersis Prouinciis publicari fecimus, que eiusdem edicti seriem suo quasi sonoro preconio, et patulo inditio publicabunt; non sic uerisimile uniuersalem latere notitiam, quod tam patenter omnibus perscribitur, et publice diuulgatur. In cuius rei testimonium presens edictum scriptum fieri, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo iussimus communiri. Datum Neapoli, per manus Adenulphi Cumani de Neapoli Juris Civilis Professorem, Vicemque Prothonotarium Regni Sicilie, anno Domini M.CCC.XLVI. die VII. Octobris, XV. indictionis, Regnorum nostrorum anno quarto.

(A »Registri Angioini« C. 353. sz. Reg. Johannae I. kötetéből 235. l.)

192.

A velenczei kormánytanács és Genuának a magyar királyhoz küldött követe. 1346.

Anno MCCCXLVI. die X. Octobris. Capta: Quod respondeatur domino Brucio Preposito Janue, qui vadit ad partss Ytalie pro ambaxata domini Regis Vngarie, quod cupientes ei in omnibus, que per nos commode fieri possunt, plenarie complacere, ordinavimus fieri nostras patentes litteras Rectoribus nostris, mandantes eis, quod per omnes nostros Districtus libere et secure et sine impedimento aperitionis litterarum, quas secum habet, iri et redire permittant cum eius familia et comitiva. stb.

Capta: Quod mandetur ser Marino Faletro Potestati Tarvisii, quod si prefatus dominus Prepositus transitum faciet per Tarvisium, eum debeat honorare, et caute, per illum habilem modum, qui sibi videbitur, studeat raciocinare cum eo, quomodo iam diebus pluribus misimus ad dominum Regem Hungarie, postulantes litteras securitatis pro nostra Ambaxata mittenda ad eius presentiam, quam iam diu fecimus preparari, et preparata existit, nichil aliud expectando, quam prefatas securitatis litteras, de quorum tarditate aliqualiter admiramur, cum Voyvoda et alii Ambaxatores domini Regis, qui fuerunt Venetias, obtulerunt eas mittere; et totum quicquid ab eo tam in hoc, quam etiam in aliis, que ab eo sentire posset, nobis studeat denotare. stb.

(A »Secreto Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

193.

I. Lajos magyar király nem fogadja a velenczei követséget. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XI. Octobris, III. indictione. Capta: Cum dominus Rex Hungarie nobis per suas litteras significaverit, quod non expedit nostram Ambaxatam ire ad presentiam suam, non removendo exercitum nostrum ab obsidione Jadre; et modo incumbat nobis factis nostris cautelam habere et invenire, quod omni tempore fortes existamus contra quoscumque, et habeamus intentum in facto Jadre, quod cum Dei auxilio est sperandum: vadit pars, quod Ambaxata nostra in totum et per totum revoceter, nec vadat, sed provideatur factis nostris, ut videditur melius.

Capta: Quod notificetur Nicolino Notario nostro misso ad dominum Banum Bossine, quod nostram Ambaxatam rovocavimus pro meliori nostrorum agendorum, nec volumus, quod ullo modo vadat. Et quod hoc dicat et sentire faciat domino Bano; et si idem dominus Banus tangeret ei verba, que nobis alias tangere fecit de facto lige, quod trahat et senciat ab ipso quicquid poterit, et totum, quod sen-

serit et habuerit, scribat nobis, et nostrum prestoletur mandatum. Et quod si eveniret, quod dictus dominus Banus non tangeret aliqua verba lige Nicolino, quod Nicolinus caute et provide per modum, qui sibi habilior apparebit; tangat verba lige dicto domino Bano secundum formam capitulorum, que alias ipse Banus per suum Ambaxatorem nobis tangere fecit, et trahat ab ipso totum, quod poterit, et quicquid habuerit et extraserit a dicto Bano, nobis solicite scribat, et nostrum expectet mandatum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

194.

A velenczei kormánynak panasza a pápához az aquilegiai patriarka ellen. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XIV. Octobris. Capta: Mandetur Amadeo, Notario nostro, qui est in Curia, quod per illum modum, qui sibi videbitur pro honore nostro, dicat domino Pape et domino Tutelle fratri suo, videlicet utrique eorum per se, quod sicut Sanctitati Sue notorium esse potest, dominus Patriarcha Aquileiensis semper procuravit, et incessanter procurare non desinit damnum et detrimentum nostrum et Ecclesie Santce Dei, specialiter in factis domini Regis Hungarie; et hoc sentimus a quampluribus partibus, quod putamus displicere Sanctitati Sue; et propterea supplicamus eidem, quatenus per Nuncium suum et de facto, prout videbitur Clementie Sue, dignetur ipsi domino Patriarche taliter precipere, quod ab sic continuis tractatibus contra nos et Ecclesiam Dei, ut dictum est supra, se debeat abstinere. Et scribatur Amadeo prefato, quod quando et sicut ei videbitur, dicat et notum faciat prefatis domino Tutelle fratri suo, quod nostram Ambaxatam, quam mittere volebamus domino Regis Hungarie, in totum duximus revocandam.

Capta: Et scribatur nostro Consuli Apulie, quod per habilem modum, qui ei videbitur, dicat Reginali Maies-

tati, quod nostram Ambaxatam, quam mittere volebamus domino Regi Hungarie, in totum duximus revocandam; et quod totum, quod diceretur inde, nobis sollicite scribat.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ből Lit. A. vol. 1.)

195.

A velenczei kormánytanácsnak a dalmatiai ügyeket tárgyazó intézkedései. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXVIII. Octobris. Capta: quod respondeatur ser Nicolino ad litteras, quas nuper misit, et specialiter super eo, quod scribit de domino Bano Bossine, qui se offert ad interponendum se, quod Jadratini declinent ad gratiam nostram; quod super hoc respondeat domino Bano parte nostra, quod licet obstinatio Jadratinorum nobis causam dederit non recipiendi amodo eos ad misericordiam nostram, sed contra eos procedendi, prout eorum culpe et durities demeruerunt, maxime cum pluries eisdem gratiam nostram facere voluerimus, et ipsam hucusque recipere neglexerunt: tamen ob sinceritatem perfecti amoris, quem ad Magnificentiam Suam merito gerimus, habentes pro constante, quod statum et honorem nostrum velut proprium diligit, et in casu quolibet procuraret, quia vere similem fiduciam gerere potest in nobis, sumus contenti, quod volentibus Jadratinis declinare libere ad gratiam nostram, et dare nobis dominium Civitatis Jadre liberum et expeditum, tunc dictus dominus Banus se inteponat in dicto facto. Et scripsimus Capitaneis nostris, quod si dictus dominus Banus ob causam predictam mittere vellet aliquos suos Nuncios, permittant eos intrare et exire civitatem Jadre. Et scribatur dictis Capitaneis, notificando sibi premissa, et quod in dicto casu permittant nuntios domini Bani intrare er exire civitatem Jadre. Insuper scribatur diclo ser Nicolino, quod quicquid fecerit et sequetur tam de premissis, quam de facto Comitis Maladini aliisque omnibus sibi commissis, nobis rescribat particulariter et distincte. Et quia recolimus, eidem commisisse, quod si de firmo sentiet, quod Banus Sclavonie

vel alii descenderent ad damnum nostre bastie vel ad succurrendum de victualibus inimicos, quod tunc requirat auxilium et favorem ipsius domini Bani ad resistendum predictis, promittendo ei auxilium nostrum in casibus sibi oportunis, et nunc ipse ser Nicolinus scripserit de Bano Sclavonie, qui multum attendit ad furniendum de victualibus Jadram; debeat dictus ser Nicolinus nobis scribere, si favorem et auxilium predictum requisivit a domino Bano, et quicquid superinde habet; et si non requisivit, illud requirere debeat in casibus supradictis, secundum quod extitit sibi supra commissum, et nobis rescribat. Ceterum cum dictus ser Nicolinus scribat, quod quando nostre intentionis esset, quod dominus Banus se interponeret, hoc tentari faceret per Comitem Budislavum Vgrignich; scribatur dicto ser Nicolino, quod in casu, quo sentiret, quod dominus Banus hoc factum ponere vellet in manibus dicti Budislavi, debeat per illum aptum et bonum modum, qui sibi videbitur, procurare suo posse apud dominum Banum, quod dictum factum tentari non faciat per dictum Budislavum, sed quod ipse dominus Banus tractet per aliquos alios suos bonos et fidos nuncios; et nichilominus si dominus Banus crederet esse bonum hoc tentare per dictum Comitem Budislavum, sit contentus, quod dictus dominus Banus super hoc faciat, sicut crediderit esse bonum.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

196.

Konth Miklós nádornak arbei fogságából történt menekülésére vonatkozó vizsgálat. 1346.

Anno MCCCXLVI. die penultimo Octobris. Quod ille familiaris Comitis Palatini, retenti in carcere Communis Arbi posita subtus turrim, pro quibusdam verbis, que dixisse dicitur de Vicecomite et Judicibus Arbi, quod habuerint, videlicet V centum florenos pro quolibet pro relaxatione Comitis antedicti, sicut colligi potest ex dictis testium contentorum in inquisitione super informata: vadit pars, quod dictus familiaris, qui est detentus, relaxetur de carcere, sed mittatur Vene-

tias, curialiter tamen, ut per ipsum et alios infrascriptos haberi possit veritas dicti facti. Et insuper detineatur personaliter dictus Vicecomes; nec non veniant Venetias Lucas et Johannes filii condam Paulini de Venetiis, et habitant pro maiori parte Segnie; et Magister Johannes de Cremona, qui sunt de testibus contentis in inquisitione, et magis videntur facere ad factum, ut per eos sciri possit veritas in facto predicto; et ne sumerent in veniendo terrorem, dicatur eis, quod volumus eos causa testificandi. Et committatur advocatoribus Communis, quod inquirere et examinare debeant, si dictus Vicecomes vel alii fuerint culpabiles de recessu Comitis Palatini predicti.

Capta: Quod illi boni homines Arbi detenti, quia erant ad custodiam dicti Comitis, libere de carceribus debeant relaxari.

Capta: Preterea scribatur Rectori Arbi, et committatur ser Johanni Gradonico, ituro Comiti Arbensi, quod faciat apponi mentem, si quidam Chirinus de Lablana, qui utitur in Arbo, posset haberi, cum sit suspectus, quod levaverit dictum Comitem cum sua barca, pro eo quod ipse tempore fuge dicti Comitis dixit Vicecomiti, quod venerat illuc pro levando cum sua barca unum de hominibus ipsius Comitis, qui debeat dare sibi unum ducatum; et si haberi poterit, illum ad nos sub bona custodia mittat. Et similiter debeat dare omnem operam, quam poterit, de habendo Antonium de Civitate Nova, Castellanum Malvicini, qui fuit causa fuge dicti Comitis; et si eum habebit, illum ad nos transmittat cum custodia bona; et pro iis duobus habendis in forcia nostra possint scribi et mitti, ubi erit necesse.

Capta: Quod scribatur Stephano Notario nostro, quod faciat, quod equi et alie res Comitis Palatini libere dentur et dessignentur nuncio dicti Comitis, cui legitime, valeant dessignari. Et si persona non esset ibi, cui predicta consignari possent, reccommendet ea Rectori et Communi Arbi, qui illa similiter dessignent, quandocumque personam habuerint, qui illa recipere valeat; et ipse Stephanus Venetias revertatur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

197.

István boszniai bán néhány dalmatiai főurat ajánl a velenczei kormánynak. 1346.

Anno MCCCXLVI. die X. Novembris. Capta: Quod scribatur domino Bano Bossine cum illis pulcris verbis, que videbuntur, inter alia sibi denotando, quod per ipsius Ambaxatorem dominum Eliam nos rogari fecit, quod Curiachum et Comitem Budislavum Vgrignich et eorum bona nobis placeret habere commendata; et nos ob amorem Sue Excellentie eos hucusque reccommendatos habueramus et habere intendebamus, dummodo facerent, quod deberent. Set nuper intelleximus relacione veridica, quod dicti Curiach et Budislavus Vgrignich adhunant et cumulant victualiam toto eorum posse pro ponendo eam in Jadra, simul cum illa Bani Sclavonie; que quidem non sunt causa, quod debeamus ipsos habere commendatos, set contrarium. Et ideo rogamus ipsius Magnitudinem, quatenus sibi placeat mandare et ordinare per illam viam, que sibi videbitur, prefatis Curiacho et Budislavo Vgrignich, quod a talibus adhunationibus victualium debeat se in totum abstinere; et ut bene commodata facere scient, negocium caute perturbare debeant; nam nolentibus ipsis se abstinere ab inceptis per eos, oportebit nos contra ipsos operari, sicut pro honore et bono agendorum nostrorum videbimus fore oportunum.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

198.

A velenczei kormánytanács szorosabb szövetségre akar lépni István boszniai bánnal. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XVII. Novembris. Capta: Cum per nostras litteras pridie scriptum foret Nicolino Notario, quod caute et provide, et per illum modum, qui sibi habilior apparebit, tangeret verba lige domino Bano Bosine etc.,

et ab ipso Nicolino nullam receperimus responsionem; et pro factis nostris faciat scire de intencione ipsius Bani superinde vadit pars, quod scribatur dicto Nicolino, quomodo recepimus suas litteras continentes, quod dictus Banus valde conquerebatur de Jadratinis, qui eum in Curia Regis Hungarie diffamaverant et non cessabant diffamare, de quo valde condolemus et displicenciam maximam recepimus in animis nostris, cognoscentes, quod contra Deum et omnem veritatem diffamatum est. Et quia faciendo ligam et unionem cum ipso domino Bano crederemus fore valde utile pro partibus et bonum, committimus eidem Nicolino, quod ad dictum dominum Banum mittere debeat dominum Eliam, committendo sibi predicta verba; qui ea ipsi Bano exponat, et procuret habere suam responsionem, quam dieto Nicolino apportet, qui omnia ordinate nobis rescribat, et nostrum prestoletur mandatum. Et scribatur dicto domino Elie pro parte huius Dominationis, quod sibi placeat ad dictum dominum Banum ire, expositurus, que sibi dictus noster Notarius committet. Verum si dictus Nicolinus requisivisset dictum dominum Banum de dicta unione iuxta formam dictarum litterarum, quas superinde misimus; tunc dictus Nicolinus non mittat dictum Eliam ad dominum Banum cum verbis predictis. Et insuper si dictus Nicolinus iam motus esset pro redeundo ad dictum dominum Banum occasione dicte unionis, tunc Comes Spalati litteras domini Elie non mittat, sed retineat. Et fiat littera credentie dicto domino Bano pro domino Elia.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

199.

A velenczei kormánytanács István boszniai bán és Mladin scardonai gróf közt az egyességet támogatja. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XVII. Novembris. Capta: Quod scribatur Capitaneis nostris Terre et Maris, quod responsionem per ipsos factam Nuncio Comitis Mladini placet nobis, et ideo debeant ei iterum respondere, quod non inten-

dimus, quod recedat deinde pro veniendo Venetias occasione presentium novorum, cum habeamus personam suam pro uno alio nostro exercitu parte ibi, quum de ipso gerimus fiduciam pleniorem.

Capta: Examinatis litteris Nicolini Notarii Curie Dominio missis super facto concordii facti inter Comitem Mladinum ex parte una, et dominum Banum Bossine et illos duos Sclavos ex altera; et intellectis verbis, que moventur per Comitem Mladinum predictum, que sunt turbatio dicti concordii contra id, quod promisit facere expresse, et possent inducere maiorem discensionem, quam prima erat; consulunt sapientes, quod scribatur dicto Comiti Mladîno, quomodo per litteras dicti Nicolini intelleximus concordium tractatum inter ipsum et dominum Banum Bosine, quod nobis valde placet. Sed quia intelleximus, quod ipse non contentatur de instrumento dicti Bani, sigillato suo sigillo, et propterea non velit facere fieri suum instrumentum dandum eidem domino Bano, nec relaxaverit carceratos, qui sunt Schardone, ut promisit; rogamus ipsum instanter, quatenus sibi placeat adimplere id, quod tractatum est, cum faciat pro ipso et conservatione sua, ac pro bono statu Sclavonie habere pacem et bonum amorem cum domino Bano Bossine et aliis Sclavis; ex quibus nobis plurimum complacebit, intendentes omnino, quod concordium inceptum compleatur per ipsum; et nos pro parte nostra, postquam ambabus partibus placuit, acceptamus et contenti sumus omnes differentias et questiones partium terminari.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. A. vol. 1.)

200.

A velenczei kormánytanács Dusan István, szerb király, és István boszniai bán közt szövetséget kiván alapitani. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXI. Novembris. Capta: quod scribatur Nicolino Notario nostro, quod faciat notum per dompnum Helyam domino Bano Bossine, qualiter Nuncius noster, missus ad Regem Raxie, rediit referens, quod

invento dicto Rege pluribus dietis infra terram in partibus Romanie, super ambaxata sibi exposita pro parte nostra, responsum habuit, quod dominus Rex ob amorem nostrum contentus est vivere in pace et amicitia cum dicto Bano; verum conqueritur, quod dictus Banus, occupatam sibi tenuit et tenet quandam terram sibi de iure spectantem; et quod pro bono quietis et pacis vellet, quod ipsi domino Bano placeret sibi eam restituere, velut rem suam. Et si de hoc faceret dubium, contentatur ipse Rex, quod de iuribus partium super facto dicte terre per aliquos cognoscatur, dantibus partibus sufficientes et ydoneas plezarias de observando, sicut per ipsos fuerit terminatum. Et si forte dictus Banus nolet, quod ad presens cognosceretur hoc; contentatur ipse Rex, quod treugue inter ipsos Regem et Banum fiant ad certum tempus biennii vel triennii, ut videbitur, et quod ambe partes prestent sufficientes cautellas et plezarias de non dampnificando se alterutrum intra dictum tempus, et de observando et non rumpendo treuguas ullo modo. Et propterea hec sibi amicabiliter nota facimus, ut sciat, quid habet facere in premissis.

(A velenczei »Secerta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

201.

A velenczei kormánytanács megengedi, hogy a győri prépost egy társával a köztársaság birtokán keresztül utazhasson. 1346.

Anno MCCCXLVI. die XXVII. Novembris. Capta: Quod respondeatur Domino Padue, regraciando ei multum de solicitudine, quam habuit et habet in quibuslibet nostris honoribue; et quod intellectis litteris suis de facto transitus Prepositi Jauriensis, et illius clerici sui, qui premittitur cum equo, sumus contenti, quod tam ipse Prepositus, quam clericus predictus possint libere transire per nostrum districtum secure; et mittantur ei littere de securo conductu pro predictis Preposito et clerico valiture per dies XV tantum.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

202.

I. Johanna siciliai királyné a bolgár czárnét élelmekkel segíti. 1346.

De Imperatrice Bulgarie.

Johanna etc. Judici Henrico de Corneto Magistro Massariarum Araciarum et Marescallarum Curie nostre in Apulia fideli nostro etc. Cum nos Spectabili Imperatrici Burgarie consanguinee nostre carissime salmas frumenti ducentas ad generalem Regni mensuram, de thumunis scilicet octo per salmam de frumento nostre Curie recollectionis scilicet presentis anni huius quartedecime indictionis, sub cura et conseruatione tua sistente, in subsidium substentationis sue nuper donauerimus gratiose; fidelitati tue presentium tenore mandamus, quutenus Nicolao de Burgaria Nuncio et familiari eiusdem Imperatricis, presentes tibi litteras assignanti, predictas salmas frumenti ducentas de predicto frumento Curie nostre iamdicte recollectionis presentis anni in huiusmodi subsidium substentationis Imperatricis prefate, in portu scilicet Barolj, ad quem portum frumentum ipsum ad expensas Curie moderate faciendas per te de pecunia ipsius Curie per manus tuas deferri facias cum curribus seu animalibus propterea oportunis, sine alicuius difficultatis obstaculo exhibere et assignare procures, et recipias exinde apodixam, ordine seu mandato quocunque contrario, per quod effectus presentium impedirj possit in aliquo uel differrj exinde earundem presentium, non obstante. Datum Neapolj in camera nostra anno Domini M.CCC.XLVI. die VI. Junij XIV. indictionis, Regnorum nostrorum anno IV.

(A »Registri Angioini« 354. sz. Reg. Johannae I. kötetéből 98. levél. Ugyanott találtatik stb. I. Johanna királynénak egy másik rendelete: »Magistris Porrulanis etc. mandatur quod parmittant extractionem de portubus Apulie salmarum frumenti ducentarum donatarum a Johanna Regina Imperatrici Bulgarie, necnon salmarum quinquaginta donatarum eidem Imperatrici a Spectabili Duce Duracij fratre Johannae Reginae — M.CCC.XLVI. die II. Junij XIIII. indictionis.« U. o. 186. lev.)

203.

Sicilia lakosai hódolnak Martell Károly, Endre siciliai király hátrahagyott fiának. 1346.

Johanna et. de prestatione ligii, homagii et iuramenti Spectabili Carolo Duci Calabrie, primogenito et vnigenito nostro, quem ex materne caritatis affectu, et pie considerationis instinctu speramus, consideramus et affectamus nobis debere succedere in predictis Regnis Jerusalem et Sicilie etc. MCCCXLVI. die XI. Decembris.

(A »Registri Angioini« C. 353. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 100. lev. Kétségtelen, hogy I. Johanna királynénak ezen intézkedésére a pápa tekintélye nagy befolyással volt; ki meg nem engedte, hogy Martell Károly a trónból kizárattassék. Különben ez — Károlynak atyja fel nem említtetvén — kizárólag csak anyja utáni örökségnek mondatik.)

204.

I. Johanna siciliai királyné összehívja híveit hadi szemlére. 1346.

Johanna etc. Edictum, quo iniungitur Comitibus, Baronibus etc., quod ad aliam iussionem parati sint in civitate Neapoli coram Magno Regni Comestabulo monstram facere etc. MCCCXLVI. die XXVII. Decembris.

(A »Registri Angioini« C. 353. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 259. lev.)

205.

A velenczei kormánytanács és István boszniai bán közti tárgyalások. 1347.

Anno MCCCXLVI. XV. indictione, XI. Januarii. Capta: Quod scribatur dompno Helye, quomodo recepimus litteras suas continentes responsum domini Bani ad facta, pro quibus iverat, et eas plene intelleximus. Ad quas respondemus: quod respectantes perfectum amorem et sincerum propositum, quod dominus Banus verbo et opere ostendit ad nos, firmiter

credimus et tenemus indubie, quod nostrum honorem et statum in casu quolibet diligit, quem vere potest proprium reputare, et habemus, quod sapientissime et ex bono zelo et fide dicat, et putamus esse melius, quod facta unionis et lige pro presenti tempore remaneant in pendenti et secreta. Et ad factum, quod tangit, quod, si nobis placeret, interponeret se libenter pro reconciliatione inter Regem Hungarie et nos, confidentes de ipso plus, quam aliquo Principe vel domino mundi, nobis placet et sumus multum contenti, quod possit per illum modum, qui ei melius videbitur, se intromittere de pacificatione inter ipsum Regem et nos, et quod persentiat de voluntate et intentione sua, et nobis, quam cicius potest, notum faciat, ut scire valeamus, quid pro honore et bono nostro superinde facere habeamus; recommendantes eidem honorem et facta nostra in quolibet casu, velut speciali et intimo amico, quem eum reputamus et intendimus semper reputare. Et scribatur dompno Helie, quod placeat se iterum fatigare ad dominum Banum, et facere ei istam nostram responsionem, et quod nobis faciat notum continue totum, quod ab eo habuerit superinde vel alia sine dilatione. Et scribantur hec Nicolino, et quod procuret cum dompno Helia, quod vadat et faciat, ut est dictum; et facto hoc, Venetias revertatur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

206.

A velenczei kormány kibékülni kíván I. Lajos magyar királylyal. 1347.

Anno MCCCXLVI. die XVIII. Januarii. Capta: Quod Ambaxatoribus domini Caroli ad id, quod dicunt, quod si requireretur a nobis, quod interponerent se ad tractandum inter Regem Vngarie et nos concordium etc.; respondeatur, regraciando eis cum illis pulcris verbis, que videbuntur, de charitate, quam ex hoc ipsos ad nos habere cognoscimus: quod toti mundo et Sue Maiestati debet plenarie nota esse magna reverentia et amor, quem nos et nostra Communitas

gessimus ad progenitores domini Regis Vngarie, quos semper honoravimus, et eis in multis casibus, in quantum decenter potuimus, amicabiliter servivimus, et — — — et erit et est intentionis nostre servare cum domino Rege presenti, nec cognoscere possumus, quod ex parte nostra ipsi domino Regi data sit aliqua iusta causa turbationis contra nos. Quia si Civitas nostra Jadre, quam a trecentis annis et ultra pacifice possedimus — — — rebellem — — — duimus, hoc non debuerat ei fore molestum, nec per hoc moveri debuerat vel deberet ad — — — aliquam contra nos, quia in simili casu rebellionis nunquam predecessores sui se in hiis factis intromiserint ullo modo; ex quibus hoc manifeste colligi potest, quod, quantum in nobis est, et pro parte nostra nullus error vel dissensio est inter ipsum dominum Regem et nos, quem semper intendimus habere in speciali reverentia, et — — — — eo, sicut habuimus suos predecessores, et ei complacere in omnibus possibilibus et honestis.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

207.

VI. Kelemen pápa Dusan István szerb királyt az egyházi uniónak megnyerni igyekzik. 1347.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Nicolao Buche Prothoiusticiario Regni Racie salutem etc. Quia Sacre Scirpture testante serie filius sapiens letificat patrem; Nos, qui licet meritis insufficientibus paterni officii curam et sollicitudinem supra cunctos populos Christianos gerimus, de te, fili, quem distributor et dator gratiarum omnium, sicut venerabilis fratris nostri Marci Episcopi Scutarensis nobis placibilis et accepta patefecit relatio, sic dono sapientie insignivit, quod Catholice fidei lumine illustratus circa fidem ipsam defendendam et ampliandam libenter piis et devotis affectibus et effectibus te impendis, gaudemus admodum in Domino, ei qui huiusmodi rectum tibi dedit spiritum, gratiarum actiones in humilitate spiritus referentes, et apud eum effusis precibus insis-

tentes, ut tue deuotionis meritorium et commendabile super hiis studium solidet et augmentet. Sane cum letanter perceperimus, eodem Episcopo referente, Magnificum Principem Stephanum Regem Racie illustrem sic Diuinitus inspiratum, quod sue ac populi sui saluti animarum intendens, et diligenter aduertens, quod extra gregem Dominicum, qui est congregatio Catholicorum fidelium, non est alicui gratia neque salus, se unire in sinu Sancte Romane Ecclesie, Matris vniuersorum fidelium et Magistre, reiecto et excusso cuiusuis pestiferi fermento scismatis, desiderat et affectat, eidem Principi nostras litteras dirigimus, laudabile sue in hac parte salutifere devotionis-propositum commendantes multipliciter non indigne, ipsumque deprecantes et hortantes attente, ut ad obtinendam Diuinam in presenti gratiam, et perempnis gaudia promerendam in futuro gloriam in suo proposito huiusmodi ferueat, illud in effectum perducere celeriter non ommittat; quia Nos et ipsa Ecclesia eum extensis brachiis et caritatiuis osculis recipiemus gaudenter ad exaltationem sui status, honoris et nominis, quantum cum Deo poterimus, intendendo. Ideoque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus tu, qui eidem assistis familiariter, et ipsius promovere teneris commodum et salutem, ipsum ad premissa viis et modis oportunis inducas, ut tue mercedis proinde apud Deum cumulus augeatur, ac nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam vberius merearis. Supradicto autem Episcopo, quem tue commendamus benivolentie, fidem circa premissa poteris credulam adhibere. Datum Avinione VI. nonas Marcii, Pontificatus nostri anno quinto.

In eodem modo Gregorio Golubie Cesari Regni Racie; Michaeli Comiti Catharens; Marco Ragassio, Petro Craumuri Comiti Scutarensi, Schagnozare Capitaneo Antibarensi Datum ut supra.

(V. Kelemen pápa regestáiból.)

208.

Konth Miklós nádornak küldöttje Velenczében. 1347.

Anno MCCCXLVII. die secunda Aprilis. Capta: Quod respondeatur Ambaxatori Comitis Palatini cum pulcris et generalibus verbis, recedendo ab impetitione sua, et iustificando factum nostrum, sicut videbitur Domino, Consiliariis et Capitibus.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

209.

A velenczei kormány támogatja VI. Kelemen pápánál István boszniai bánnak kérését, hogy az ottani katholikus papok különös kedvezményben részesittessenek. 1347.

Anno MCCCXLVII. die III. Aprilis. Exemplum supplicationum porrigendarum domino Pape nomine domini Bani Bosnie missarum Amadeo Notario in Curia Romana.

Significat Sanctitati Vestre humilis et devotus filius vester Stephanus Banus Bosnensis, quod religiosus vir frater Peregrinus de Saxonia Generalis Minister Ordinis Minorum in Bosna Vicarius devote, fideliter, et instanter in Bosna pro fide Catholica et animarum salute laborans, paucos habet cooperatores secundum exigentiam et multitudinem animarum; propter quod negotium fidei non modicum retardatur. Quare cum absque Sanctitatis Vestre gratia non possit haberi modus, per quem dictus Vicarius habere valeat cooperatores in fidei doctrina peritos et lingue Sclavonice non ignaros, vel saltem ad addiscendum aptos; supplicat idem Banus, quod in obsequium ejusdem fidei Orthodoxe et salutem animarum, que nunc sunt et future sunt in terris suis prefato Vicario, et qui pro tempore in officio erit vocandi auctoritate Apostolica fratres sui et aliorum approbatorum Ordinum, et occupandi eos in obsequio memorato, et in quibuslibet ad hoc accomodis operibus pietatis, concedere dignemini facultatem,

et quod superiores seu Prelati locorum, Ordinum prefatorum hujusmodi fratres recreationis vel infirmitatis causa, de licentia ajusdem Vicarii ad loca, de quibus eos vocari contingeret, redeuntes charitative recipiant, atque tractent, et illos collocent in ipsis, quotiens pro causa huiusmodi predictum Vicarium fuerint requisiti, non obstantibus quibusuis privilegiis seu indulgentiis prefatis Ordinibus vel personis eorum seu officiis sub quacunque forma verborum concessis.

Item: Quod in singulis Conventibus magnis Provinciarum vicinarum predictorum Ordinum singulos neophitos in hujusmodi Conventibus in Latina Grammatica, et in Doctrina Sancte Romane Ecclesie certo tempore instruendos, quando fuerit necesse, idem Vicarius valeat auctoritate Apostolica collocare.

Item: Quod idem Vicarius predicta auctoritate vocare, et recipere ac tenere valeat sacerdotes et clericos seculares, quos dicto fidei negotio, et animarum saluti judicaverit oportunos, qui cum gentibus, nón obstante quod sint excommunicatione ligate, communicare valeant, sicut fratres, quibus hoc in partibus infidelium per privilegia Sedis Apostolice dicitur esse concessum, possintque constitutis ibidem ministrare Ecclesiastica Sacramenta, et ab hiis generibus peccatorum absolvere penitentes, super quibus eisdem fratribui in partibus infidelium a Sede prefata absolvendi licentia est concessa, vel pront eis idem Vicarius juxta eorum idoneitatem, et casuum occurrentium necessitatem Apostolica auctoritate duxerit committendum. Et quod iidem sacerdotes et clerici candem de benignitate Sedis Apostolice habeant indulgentiam, que per Sedem prefatam eisdem fratribus in partibus infidelium dicitur esse concessa. Et quod hec omnia possint et habeant sacerdotes et clerici memorati, quamdiu in ipsa Vicaria Bosnensi de licentia et voluntate Vicarii prefati morantur.

Item: Quod gratias, priuilegia, et indulgentias, que Religiosis inter Tartaros et infideles alios scismaticos pro ampliatione fidei Catholice laborantibus conceduntur, etiam istis Religiosis, qui pro eadem causa in pari periculo non cum minoribus angustiis in Bosna loborant, dignemini misericorditer impertiri.

Item supplicat idem Banus, quod dicto Bosnensi Vica-

rio recipiendi loca pro dicta Vicaria in villis, castris et Civitatibus Provinciarum Hungarie et Sclavonie, in quibus nec ejusdem Ordinis, nec aliorum approbatorum Ordinum fratres habent loca, concedere dignemini facultatem.

Item supplicat dicte Vestre Sanctitati idem Banus, quatenus in persona dilecti Capellani et Nuncii sui Georgii hominis Dei de Berito, alias dicti de Cipro, specialem gratiam facientes eidem Georgio, utpote benemerite et literate persone, de uno vel duobus beneficiis simplicibus Ecclesiasticis sine cura vacantibus ad presens, vel proxime vacaturis in Civitate et Diocesi Spalatensi usque ad valorem annuum LX florenorum auri, spectantibus ad collationem Archiepiscopi Spalatensis, de speciali gratia dignemini providere; cum inhibitione, decreto et clausula antefferi. Non obstante, quod idem Georgius Canonicatum et prebendam in Ecclesia Spalatensi, et quamdam Ecclesiam Sancti Nicolai de portu Spalatensi, quorum fructus annui XII florenos non attingunt, et in Collonensi Ecclesia Insule Rhodi Canonicatum, de quo nihil percipit, noscitur obtinere; sed ut dicta beneficia, que obtinet una cum obtinendis per hujus vestram gratiam licite retinere valeat, dignemini de uberiori gratia misericorditer dispensare; et cum ceteris non obstantibus, et clausulis opportunis et exequutoribus; et quod transeat sine alia lectione.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 1. r. 299. sk. lev.)

210.

Humbert viennei dofin visszatér a szent földből. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XXVII. Aprilis. Capta: Quod de motibus et nouis Regis Hungarie, que habemus, scribatur in Curia Amadeo, et de reditu Delphini Viennensis ad has partes, et de conditionibus Romanie, ut illa notificet domino Pape per illum modum qui videbitur, maxime cum hoc requiratur per dominum Papam. Et similiter scribatur Consuli nostro Neapolis, vt illa dicere valeat illis, et sicut videbitur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. I.)

211.

VI. Kelemen pápa VI. Fülöp franczia királyt értesíti az I Lajos magyar király és I. Johanna siciliai királyné közti ellenségeskedésről. 1347.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Philippo Regi Francie illustri salutem etc. Que carissimis in Christo filiis nostris Ludovico Regi, et Elisabeth genitrici sue Regine Vngarie illustribus scripseramus super retrahendo Regem ipsum ab accessu et aggressione Regni Sicilie, ac alia que circa hec nobis occurrebant tunc temporis, dudum per dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Bellomonte, cambellanum tuum, Sublimitati Tue Regie seriosius providimus intimanda; nunc autem, quod nobis Rex et Regina predicti rescripserunt exinde, Celsitudini Tue reserabit plenius cedula presentibus interclusa. Porro veremur admodum, cum etiam Legatus ipse, quem ad Regnum prefatum pro directione ac utiliori gubernatione ipsius destinauimus, nobis specialiter super hoc rescripserit, quod Regnum predictum cum illis de Domo Regia et regnicolis diuisis et dissidentibus inuicem, prohdolor, ad defensionem minus sufficienter contra dictum Regem Vngarie sit paratum Datum Avinione II. kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

212.

I. Johanna siciliai királynénak fegyveres ereje szervezését tárgyazó rendelete. 1347.

Johanna etc. Edictum, quod Comites, Barones et feudatarii se muniant armis, et se praesentent etc. secundum jussiones praecedentes etc. MCCCXLVII. die IX. Maij.

(A »Registri Angioini« C. 353. sz. a. Reg. Johannae I. kötetéből 276. lev.)

213.

A velenczei kormánytanácsnak levele a szász választóhoz Magyarországgali egyenetlenségeiről. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XIV. Maii. Capta: Quod respondeatur Duci Saxonie in hac forma:

Intellectis litteris benivolentie vestre, nec non hiis, que Vecellinus earum lator nobis exposuit parte vestra, continentibus in effectu, quod vos affectantes bonum statum inter dominum Regem Hungarie et nos, velletis interponere vos, si voluntatem nostram sciretis; Magnificentie Vestre puram veritatem et substantiam facti duximus presentibus reserandum, videlicet quod dum civitas nostra Jadre, quam cum pleno dominio possedimus trecentis annis et ultra, nobis fuisset facta rebellis, misissemus nostrum potentem exercitum per mare et per terram pro recuperatione ipsius; Serenissimus dominus Rex Hungarie, ob non veridicam informacionem sibi datam, declinavit cum magna potentia ad partes illas, volens, ut obsidionem nostram amovere deberemus. De qua quidem novitate potuimus merito admirari, maxime attenta sincera devocione et benivolentia, quam ad Suam Maiestatem gerebamus ob antiquam devotionem, que semper viguit inter Serenissimos dominos Reges, predecessores suos, et nostrum Dominium, et maxime patrem et matrem eius, quibus grata servitia exibuimus temporibus retroactis. Et licet amodo pluries dicta nostra civitas rebellionem presumpserit, nunquam tamen prefati predecessores sui de his modo aliquo se impediverunt, ymo permiserunt nos sine aliqua molestia facere facta nostra, perseverantes continue nobiscum in quiete et amore sincero, prout hec omnia toti mundo possunt esse notoria. Et certi reddimur, quod tanta est sapientia domini Regis prefati, quod nisi fuisset indebita informatio antedicta, ipse, sequens progenitorum suorum vestigia, se non intromisisset aliqualiter iu predictis. Vnde cum omnis causa discordie prorsus cesset a nobis, eius Maiestas rationabiliter et cum magno honore Regni eius deponere posset quamlibet gravitatem, et nos ac nostrum Dominium more progenitorum suorum

pro amicis intimis reputare, nam similem dispositionem semper reperiret in nobis; que benivolentie nostre descripsimus, et de vera conditione rei clarius informati, procurare possitis, quod inter prefatum dominum Regem et nos solitus amor et sinceritas conservetur. Datum die XIV. Maii, XV. indictionis.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1. Úgy látszik, hogy itt I. Rudolf szász-wittenbergi herczegről van szó, kivel I. Lajos magyar király a fent közlött okmányhoz képest barátságos viszonyban volt. Hazai kútfőink erről említést nem tesznek.)

214.

I. Lajos magyar királynak követei Olaszhonban. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XXIV. Maij. Capta: Quod concedantur licentie transitus per Triuisanam valiture per decem dies secundum vsum nobilibus viris Johanni de Vancidorf, et Leuschachio de Ranolt Ambaxatoribus domini Regis Hungarie, qui sunt Padue, et volunt redire ad dominum suum; scribendo nostris Rectoribus de bona custodia, vt alias factum fuit.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

215.

A florenczi kormánytanács a köztársaságot az Anjouház s különösen ezen ház magyarországi ága barátjának vallja. 1347.

Dominis Johanni Electo Vesprimiensi, et Nicolao Comiti Bosiensi Senescallo.

Quoniam ad bone memorie Serenissimum dominum Karolum Andegauensem Comitem, et demum gloriosum Jerusalem et Sicilie Regem, eiusque inclitam et famosam progeniem ex eius genere procedentem, a quibus immediate et successiue cepimus grata et amicabilia obsequia et fauores, cum eis communicando tam prospera quam aduersa, deuocti-

onem et affectionem cordialem tenuimus, et tenere intendimus quousque nostrum Commune poterit haspirare, et ipsorum successorum regentium, tam partes Ungarie quam alias et ubicunque tenentium Principatus, letanter intuemur litteras et intelligimus nova, que sint eorum dominationi fructifera. Inter quos vigere concordiam, vnitatem et benivolentiam libentissime sentiremus; turbati, si quid occurrisse contigit, quod eorum aliquibus potuerit displicentiam preparare. Nichilominus grata eiusdem Stirpis Regie cordialiter affectantes; litteras Vestre Magnificentie affectuose percepimus et intelleximus diligenter: letati de prosperis, de quibus mentionem fecerunt, et parati ad omnia que eiusdem Domus inclite, suorumque successorum, vicariorum et officialium respiciunt commoda et honores. Datum Florentie die XXV. Maij XV. iudictionis.

(A florenczi köztársaság regestakönyveiből »codice 9. del Carteggio,« a florenczi nagy levéltárban.)

216.

VI. Kelemen pápának válasza I. Lajos magyar király levelére. 1347.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Solite benignitatis affectu recepimus Tue, fili carissime, Magnificentie litteras per dilectum filium Martinum Thome tuum Nuncium nostro Apostolatui presentatas, quarum serie diligentius intellecta, super contentis in eis intendimus breuiter per specialem Nuncium, per nos ad Tue Celsitudinis presentiam destinandum, et de nostra intentione informatum plenius respondere. Sciturus pro certo, fili dilectissime, quod sicut alias sepe tibi scripsisse meminimus, quamuis tam per carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francie illustrem, quam multos Magnates alios pulsati frequenter fuerimus, oportunis et importunis instantiis sepius repetitis, super illa dispensatione concedenda, de qua faciebant tue predicte littere, mentionem: illam tamen concedere noluimus, nec intendimus, nisi magna,

matura et prouida deliberatione premissa. Datum Avinione V. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

217.

A Collaltoi grófok I. Lajos magyar királylyal szövetkeznek. 1347.

Anno MCCCXLVII. die X. Junii. Cum Potestas Tarvisii nobis scribat, intellexisse ex notificatione cuiusdam domini Contardi, qui est in Zumello, quod Comites de Collalto sunt in concordia cum domino Carolo et Rege Hungarie cum certis conditionibus contentis in litteris antedictis, et quod de hiis facta est aliqua scriptura sigillata pluribus sigillis, et de quibus ipse Potestas per aliqua indicia et verba, que vidit et audivit, presumit et malam opinionem habuit et habet de ipsis Comitibus, et multum faceret pro securitate terrarum nostrarum, si de dicto tractatu veritas posset haberi: vadit pars: Quod scribatur Potestati Tarvisii, quod per illam cautam viam et destrum modum, qui sue discretioni videbitur, procuret sentire et certitudinem habere de tractatu predicto, et si inde fuit facta scriptura et apposita sigilla, ut dicitur, et quod superinde tam pro habenda veritate facti quam pro punitione culpabilium inquirat, examinet, procedat et faciat, sicut honori nostro et conservationi Civitatis Tarvisii putaverit convenire.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

218.

VI. Kelemen pápa tudósítja VI. Fülöp franczia királyt a siciliai királyság eseményeiről. 1347.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Philippo Regi Francie illustri salutem etc. Vt de hiis, que de

statu miserabili Regni Sicilie nobis nunciata sunt, Tua Regalis Excellentia notitiam habeat pleniorem; ecce, fili carissime, quod illa series presentium indicabit. Equidem duo solemnes homines de Vngaria, asserentes se carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Vngarie illustris Locumtenentes, cum paucis aliis ad partes dicti Regni hiis diebus preteritis accesserunt, ac cum nonnullis de partibus Italie stipendiatis et sibi associatis, ut fertur, ciuitatem Aquilanam, utique multum nobilem et insignem, ac nonnulla loca alia tam forcia quam debilia partium illarum, nequaquam contradicentibus populis, sed potius fauentibus, occuparunt, et ad aliarum terrarum occupationem non cessant procedere, sicut fertur. (Johanna) Regina vero thesaurum, per clare memorie Robertum Regem Sicilie auum suum non sine modica quantitate dimissum, consumpsisse dicitur improuide, ac de terris dicti Regni et bonis suis aliis diuersas et varias non in modicam lesionem Regni eiusdem, ne dicamus destructionem, fecisse; non habens vnde sufficienter genti armigere satisfaciat, et Regales Domus Sicilie diuisi et dissidentes, prohdolor, inuicem male se disponunt, sicut dolentes audiuimus, ad defensionem Regni predicti et repellendos occupatores ipsius. Rursus audiuimus, quod alter illorum, qui se Locumtenentes asserunt dicti Regis Vngarie, vt prefetur, ad Regem ipsum, vt eum inducat ad Regnum predictum Sicilie venire, direxit personaliter gressus suos; ex quibus non sine cordis ingenti dolore veremur subiacere magnis et euidentibus periculis, nisi Diuino mediante auxilio prouideatur aliter, dictum Regnum. Datum Auinione XI. kalendas Julii Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

219.

VI. Kelemen pápa megkéri Humbertet viennei delfint, hogy I. Lajos magyar királyt vissza tartoztassa Sicilia megtámadásától. 1347.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Humberto Dalphino Viennensi salutem etc. Consuete benignitatis affectu Nobilitatis Tue receptis litteris, et contentis in eis diligentius intellectis, tuam volumus prudentiam non latere stb. Porro cum pridem aduentu tuo ad villam Venetiarum letanter audito, tibi recolamus scripsisse, quod sperantes ad nostram presentiam te venturum, tecum habere intendebamus colloquium personale. Ceterum si forsan, antequam ad eandem presentiam venias, te cum carissimo in Christo filio nostro Ludouico Rege Vngarie illustri colloquium habere contingat; velit sibi eadem Tua Nobilitas, quesumus, suadere, quod ad invasionem vel offensionem Regni Sicilie, de nostro et Ecclesie Romane directo dominio existentis, quomodolibet non aspiret; cum Nos districte mandauerimus, et facere intendamus absque personarum acceptione quarumlibet, super morte nefandissima clare memorie Andree Regis Sicilie exhiberi iustitie complementum, Regnumque predictum offendi non posset, nobis et eadem Ecclesia remanentibus inoffensis. Est etiam multum periculosum quibusvis offendentibus dictum Regnum propter graues processus, quos felicis recordationis Johannes Papa XXII. predecessor noster fecit olim adversus quasvis offensiones huiusmodi, diversas spirituales et temporales penas continentes. Datum Avinione II. idus Julii, Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

220.

Cola di Rienzo római tribun VI. Kelemen pápát I. Lajos magyar királyhozi viszonyáról tudósítja. 1347.

Littera missa domino Pape per Tribunum.

Sanctissime Pater et Clementissime Domine. Quantum misericorditer gratia Sancti Spiritus prosequatur hunc statum sanctissimum vestre urbis, et vestrum Romanum populum, gaudio triumphali Sanctitati Vestre cupio notum esse stb. Datum in Capitolio Urbis Vestre, ubi regnante iustitia vigeo recto corde XXVII. die mensis Julii XV. indictione, libertatis Reipublice anno primo.

Et quia istarum litterarum transmissio dillata est propter nuncii tarditatem, post datam Vestre significo Sanctitati stb. Datum ut supra V. Augusti.

humilis creatura
Candidatus, Spiritus Sancti Miles Nicolaus severus et clemens liberator Urbis, zelator Italie, amator Orbis, et Tribunus Augustus, se ad pedum oscula beatorum.

Et quoniam ad particularem significationem eorum, que circa huius status augmentum Spiritus Domini operatur, scriptor non sufficit stb.

Nec Vestram lateat Sanctitatem, quod heri IV. presentis mensis Augusti fui pro parte Regis Ungarie requisitus, et pro eius michi fuit parte oblatum, dare michi iu quolibet meo exercitu quingentos equites stipendiis eius, quoties michi existeret opportunum, et quod placeret michi, quod ipse posset stipendiare in Urbe mille equites, quos volebat; et pro ipsorum stipendiis obtulit se soluturum ad meam et ipsorum equitum voluntatem. Ego vero id nolui acceptare, imo renunciavi expresse, et favi alteri parti, et favebo inposterum ob vestri reverentiam iuxta posse stb.

(Néhai Pelzel Ferencz Márton »Collectio Epistolarum Nicolai Tribuni Romani«-ból, kézirat a gróf Thun családi könyvtárában Tetschenben.)

221.

Cola di Rienzo római tribun mint választott bíró Endre siciliai királynak meggyilkoltatása tárgyában. 1347.

(1347. augustushó 4-én.) Dal regno di Puglia li scrisse lo duca Durazzo, e li fece offerta; ne lo soprascritto diceva: »all' amico nostro carissimo«. Ancora li scrisse messere Aloisi principe di Taranto, ed altri regali. Da Lodovico re di Ongaria veniva una grossa ambosciata ed onerata; già vennero li preventori de li ambasciatori, e pregavano che lo Tribuno col popolo di Roma provedessero sopra la vendetta, la quela si dovesse fare de la cruda morte che fece lo re Andrea, re di Puglia, lo quale da li baroni era stato appeso. Erano questi preventori de l' ambasciaria due persone assai notabili, vestiti con ricchi velluti verdi fodrati di vari, con cappe alemanne. Quando lo Tribuno intese loro ambasciate, volendoli dare risposta, mandolii su nel parlatorio dinanti a tutto lo popola. Era die sabbato; fatta era di aliquanti giustizia. Allora si fece portare in capo la sua corona tribunale; ne la mano ritta tenera un melo di ariento con la croce. Allora favellò, e disse: »Giudicherò la rotonditade de le terre ne la giustizia, e li popoli nell' equitade;« disse poi: »Questi sono li ambasciatori de li Ongari, li quali domandono giustizia de la morte dell' altro innocente re Andrea«. De la reina Gioanna moglie del re Andrea, infelice re, ebbe lettere graziose; da la quale medesima la Tribunessa n' ebbe cinque cento fiorini e gioie stb. — — — Piu bella questione de la morte del re Andrea si devolvea in Roma. Li avvocati del re di Ongaria, e li avvocati de la reina Giovanna comparsero inanti a la banca del giudice del Tribuno, e questionavano. Li avvocati del re addomandavano giustizia; quelli de la reina dicevano, che non fu alcuna colpa de la morte di suo marito. L' altra parte si mormorava de la ingiuria, e con istanza domandava vendetta. Le avvocazioni dell' una parte e dell' altra si mettevano in libro. stb.

(Cola di Rienzo egykorú életirásából; v. ö. Muratori, Antiquitates Italiae Aevi Medii III. köt., Milano 1740. 443. és 447. ll; és Re Zefirino, La Vita di Cola di Rienzo, Florencz 1854. 68. és 72. ll.)

222.

A velenczei kormánytanács a közte és I. Lajos magyar király közti egyenetlenségekre vonatkozólag Erzsébet magyar anyakirálynénak közbenjárását kéri ki. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XI. Septembris. Capta: Cum, ut est omnibus manifestum, Rex Vngarie faciat posse suum in volendo obtinere intentum suum in Regno Apulie, mittendo quotidie gentes suas et pecuniam ad partes Apulie, que secure et libere transeunt per Lombardiam ac per terras et loca nobis subiecta, quibus per nos fit omnis curialitas, que fieri potest; et ut habemus per Comites terrarum nostrarum Dalmatie, gens ipsius Regis currit quotidie territoria terrarum nostrarum predictarum, depredando omnia, que reperiunt; quamobrem clare colligitur, quod dictus Rex Vmgarie est in guerra nobiscum, et nos secnm nec in pace nec in guerra sumus, sed in pace potius dici potest, et pro parte nostra non faciat sic stare, cum nobis posset potius damnum et sinistrum quam proficuum aliquid generare, et maxime, cum ipse Rex Vngarie in dicto Regno Apulee prosperaret: quare nobis incumbit salubriter et taliter providere, quod in casu aliquo nobis aliquid sinistri vel mali evenire non possit; consulunt concorditer sapientes, quod mittatur ad dominam Reginam Vngarie quedam persona religiosa sive Notarius Curie vel alia persona, que videretur Domino, Consiliariis, Capitibus de Quadraginta et Sapientibus, vel eorum maiori parti, cui, facta salutatione decenti parte nostra, exponere debeat, qualiter nos et Commune nostrum semper habuimus intimum et specialem amorem bone memorie condam domini viri sui, et ei ac suis progenitoribus, cum quibus semper vivimus in pace et amore magno, et habentes eos in reverentia, eis impendimus gratos et obsequibiles actus, quod idem optavimus et optamus cum affectione animi versus dominum Regem presentem eius natum agere et servare, propter quod per ipsum amorem sincerum et reverentiam, quem et quam gerimus ad ipsam dominam Reginam et dominum Regem presentem in confirmatione amoris utriusque partis, si de eorum pro-

cederet beneplacito, per nostros solemnes Ambaxatores libenti animo visitaremus. Et si dictus nuntius videret, quod predicta placerent domine Regine predicte, ac etiam de missione Ambaxatorum nostrorum; tunc de voluntate ipsius domine Regine vadat ad presentiam domini Regis, cui exponat similem ambaxatam; et si dictus dominus Rex consentiet missioni Ambaxatorum nostrorum predictorum, tunc dictus noster Nuncius nobis velociter scribat per litteras suas omnia, que habuerit a domina Regina et Rege predictis, et interim procuret habere litteras securitatis pro dictis nostris Ambaxatoribus, per quas secure ire possint ad dictum dominum Regem, et redire, et eas cum solicitudine nobis mittat, non recedendo sine nostro speciali mandato. Verum si dicto Notario videbitur, quod dicto domino Regi non placeret, quod nostri Ambaxatores ad eum accederent, Venetias revertatur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. A. vol. 1.

223.

I. Lajos magyar király és Cola di Rienzo római tribun. 1347.

Sanctissime Pater et Domine. Deus mihi tribuat auditorem, et desiderium meum Omnipotens audiat, ut Sanctitati Vestre non sint gravia verba mea stb. Nova vero Urbis decrevi etiam Vestre Clementie intimare; videlicet, quod nuper Ambassatores Regis Ungarie venerunt ad urbem ad me et Romanum populum, tria in parlamento publico postulantes. Primo quod per me et populum urbis, patrie toti mundo communis de lugubri morte innocentis Regis Andree justitia fieret, et patratores tanti sceleris justa sententia condempnarentur. Secundum, quod cum Rex ipse sit, et progenitores sui semper fuerint fideles Sancte Romane Ecclesie, et amici et devoti Romano populo, placeret mihi et Romano populo, velle et acceptare amicitiam et ligam perpetuam dicti Regis volentis ad idem velle et idem nolle semper concurrere mecum et Romano populo prelibato. Tertium, quod non obstante prohi-

bitione per me et ipsum populum facta, quod gens armata numerosa non intret Italiam, ipse Romanus populus et ego dicto Regi concederemus introitum, qui per Sanctitatem Vestram sibi non fuerat denegatus; offerentes Ambassatores prefati pro parte Regis predicti, quod per gentem domini Regis Urbi, terris sui districtus, et aliis benevolis et amicis Romano populo novitas nulla fiet, imo gens ipsa ad omnem requisitionem et opportunitatem Romano populo erit ad servitium eius statim. Ad quorum primum responsum per me et ipsum vestrum Romanum populum ita fuit, quod eis et omnibus justitiam petentibus non denegabimus eandem. Ad alia vero, quod non recusabamus amicitiam alicuius justitiam diligentis; ligam tamen facere minime poteramus, nec etiam volebamus absque Sanctitatis Vestre conscientia et mandato, et etiam non consultis aliquibus Civitatibus Italie confederatis et Romano pupulo coniunctis, ad quas idem vester populus et ego Ambassiatam dreximus specialem, de quibus omnibus fiet, quod Sanctitas Vestra mandabit. Verum Rectores vestri Campanenses et Patrimonii sic me et Romanos tractare conantur, quod oportet nos invitos cum Ungaris ligare stb. Datum in Capitolio, in quo regnante justitia recto corde vigemus, die XI. mensis Octobris prime indictionis.

Humilis creatura vestra
N(icolaus) Tribunus Augustus
se ad pedum oscula beatorum.

(Néhai Pelzel Ferencz Márton. »Collectio Epist. Nicolai Tribuni«-ból.)

224.

IV. Kelemen pápa I. Johanna siciliai királyné ügyei iránt intézkedvén, Humbert viennei delfint kivánja közbenjárónak a királyné és I. Lajos magyar király közt fennforgó ellenségeskedésben 1347.

Clemens Episcopus etc. carissime in Christo filie Johanne Regine Sicilie illustri salutem etc. Post regressum dilecti filii nobilis viri Humberti Dalphini Viennensis de partibus trans-

marinis, cum communis in hiis partibus fama vulgaret, quod Dalphinus idem contra te in Comitatu tuo Provincie ad nouitates prosilire noxias intendebat, nos dampnis atque periculis, que subditis tuis maxime dicti Comitatus contingere poterant ex nouitatibus huiusmodi, occurrere paterna solicitudine cupientes, prefatum Dalphinum per litteras nostras pluries hortandum duximus et rogandum, ut donec saltem locutus nobis existeret, ab omni nouitate noxia in dicto Comitatu contra te facienda nostro vellet intuitu abstinere. Cumque Dalphinus, prefato suspenso processu, cuius apparatum fecerat, et gentem congregaverat, sicut fertur, se ad nos personaliter contulisset; nos desiderium nostrum circa summovenda huiusmodi dampna et pericula prosequentes, cum eo super hiis, que huiusmodi nouitatibus occasionem prestabant, et hiis, que inter te et carissimum in Christo filium Ludovicum Regem Vngarie illustrem ordinanda sunt, incepimus habere tractatum, et damus operam penes eum, quod ipse aliquos milites suos ad eundem Regem destinare procuret. Cum autem prefatus Dalphinus tam pro dote quondam . . . de Baucio uxoris sue, quam pro pensione annua mille vnciarum promissa et facta sibi, ut asserit, per clare memorie Robertum Regem Sicilie auum tuum, dum viueret, debere sibi non paruam pecunie quantitatem conqueratur; Serenitatem Tuam attente rogamus, paternis tibi et sinceris affectibus suadentes, quatenus prudenter attendens et considerans prouide, quod sunt nonnulli, qui eundem Dalphinum in tuum dictorumque subditorum tuorum preiudicium et dampnum solicitare et instigare non cessant, quodque Dalphinus ipse apud eumdem Regem Vngarie, cui proxima satis consanguinitate coniunctus est, sicut nosti, multa in tuum commodum et vtilitatem poterit, prestante Domino, ordinare: aliquos viros probos, qui super premissis inter te, ac Regem et Dalphinum predictos, sicut premittitur, ordinanda sunt; et hiis etiam, que inter te ac dilectum filium nobilem virum Hugonem Comitem Avellini possent aliquid discordie parere, concordandi et in nos compromittendi, ac ordinationi, voluntati, dispositioni et sententie vel arbitratui nostro acquiescendi libere, illosque omologandi plenam habeant potestatem, ad nos sine aliqua dilatione trans-

mittas; ita quod hinc ad festum Natiuitatis Dominice infallibiliter hic intersint, et omnis via paratis iam periculis huiusmodi penitus precludatur. Datum Avinione nonis Octobris Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

225.

VI. Kelemen papa Cola di Rienzot felszóllítja, hogy eddigi izgatásaival és hatalmaskodásaival felhagyjon. 1347.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Bertrando tituli Sancti Marci Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, salutem etc. Nicolai Laurentii ciuis Romani, qui sibi Tribuni titulum impudenter usurpat, insana presumptio sic nos coti diana solicitudine ac stimulo cogitationis importune perurget, quod stb. Tu quoque prefatum Nicolaum, ut ab huiusmodi suis pravis actibus et prophanis excessibus deinceps abstineat, et que contra dictam Ecclesiam, terras et iura occupando et usurpando, ac subditis illius insolita onera imponendo; nec non contra dictum Vicarium, ac dilectos filios nobiles Urbis eiusdem, et carissimam in Christo filiam nostram Johannam Reginam Sicilie illustrem quoad Comitatum suum Prouincie, quem Cameram dictorum populi mendaciter fore (asseruit); ac super tractatibus, ut fertur, secrete habitis cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Vngarie illustri; nec non de citatione carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Romanorum illustris, et Electorum Principum Alamannie Imperii, ac Ludovici de Bauaria, a Deo et eadem Ecclesia iusto iudicio reprobati, quem Ducem Bauarie non erubuit pollutis labiis appellare; ac de fatue promulgatis per eum sine lege legibus stb. de facto attemptare presumpsit stb. consulte et solempniter revocare studeat stb. studeas providere stb. Datum Avinione IV. idus Octobris Pontificatus nostri unno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

226.

VI. Kelemen a florenzi köztársaságot eltiltja, hogy azokat, kik Siciliát megtámadják, segitséget ne nyujtson. 1347.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Regiminibus, Consilio et Communitati Ciuitatis Florentie salutem et Apostolicam benedictionem. Quamuis aduersus eos, pui Sycilie seu terram citra Farum, que de Regno ipso fore, queue Regnum et terra ad nos et Romanam Ecclesiam iure directi dominii pertinere noscuntur, et que karissima in Christo filia nostra Johanna Regina Sycilie illustris, nostra et Ecclesie predicte vassalla a Nobis et eadem Ecclesia tenet in feudum, seu partem vel aliqua loca ipsorum, aut alterius eorum, per mare vel per terram, quouis colore quesito inuadere vel offendere, impugnare, molestare seu turbare presumerent quovis modo, et qui presumentibus per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, prestarent super hiis auxilium, consilium, vel fauorem, etiamsi Pontificali aut Imperiali vel Regia, seu quauis alia dignitate fulgeret, excommunicationis, subspensionis et interdicti, et alie graues pene ac sententie spirituales et temporales per processus et constitutiones felicis recordationis Clementis V. et Johannis XXII. Romanorum Pontificum, predecessorum nostrorum fuerint promulgate: nonnulli tamen perditionis filii, qui gloriantur dum malefecerint, et nomen Domini in vacuum recipere non formidant, sub colore aut titulo karissimi filii Ludovici Regis Vngarie illustris, aut ipsius Regis mandatum, quod nullo modo credere possumus, pretendentes, fauentibus eis quibusdam Communitatibus singularibusque personis illarum partium rebellidus Regine prefate, si vulgaris fama denumpciat et facti experientia manifestat, Regnum et terram predictam inuadere presumpserunt, ciuitatem Aquilensem et aliqua loca dicte terse ausu damnabili occupantes et retinentes indebite indebite occupata, in grauem Diuine Maiestatis offensam, ac nostram et Apostolice Sedis contumeliam et contemptum, non verentes se huiusmodi sententiis et penis involvere, nec timentes Deum, nos et eandem Ecclesiam contra se graniter prouocare; attendentes etiam, quam grauia dispendia et

pericula ex huiusmodi invasorum processibus, si, quod absit, intentio eorum ad effectum usque pertingeret, eisdem Regine ac Regno, nec non Nobis et aliis Ecclesie prefate fidelibus et deuotis, quod auertat Dominus, sequi possent; et cupientes actente, more patris amantis, quem non pretereunt incommoda filiorum, periculis huiusmodi salubriter obuiare: Vniversitatem Vestram requirimus et rogamus attente, quatenus premissa in examen considerationis debite adducentes, quibusuis gentibus, siue sub prefati Regis, siue cuiusuis alterius colore seu titulo ad occupationem Regni et terre predicte intendentibus, ut prefertur, nullum omnino prestetis auxilium, consilium vel fauorem; quin ymmo eis, quantum poteritis, resistatis, ipsosque per terras, passus, districtus et loca vestra transire nullatenus permictatis; et nichilominus que dilectus filius noster Bertrandus tituli Sancti Marci Presbiter Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus, super hiis vobis scripserit, credatis indubie, illaque ad effectum debitum efficacis prosecutionis studio producatis. Datum Avinione X. kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno sexto.

(Az »Atti publici dell' Archivio delle Riformagioni« vol. XVI. dei Capitoli cl. XI. dist. l.; a florenczi levéltárban.)

227.

A velenczei kormánytanácsnak határozata az I. Lajos magyar királyhoz küldendő követség tárgyában. 1347.

Anno MCCCXLVII. die decimo Novembris. Capta: Quod super istis litteris Vngarie et super ambaxata, que videretur mittenda, et super commissione et forma dicte ambaxate, et super omnibus pertinentibus ad dictam ambaxatam et expeditionem ipsius eligantur per quatuor manus quinque sapientes, qui possint accipi de omni loco; qui debeant examinare et dare nobis suum consilium in predictis, cum quo erimus hic, et fiat, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et die Martis post nonam sit istud consilium, et fiet sicut videbitur, et quia factum est magnum et arduum, debe-

ant etiam sapientes Sclavonie in predictis per se examinare et dare suum consilium, et cum ipso consilio ambarum manierarum erimus hic, et fiet, quod erit melius, Domino fauente, et durent sapientes per istum mensem.

Sapientes: ser Marcus Lauredano, ser Frescus Quirino, ser Besinus Contareno, ser Johannes Mauroceno Zarocola, ser Marinus Faletro.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

228.

A velenczei kormánytanács Konth Miklós, magyarországi nádort és népeit átbocsátja területén; és követséget határoz a Magyar királyhoz. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XV. Novembris. Capta: Quod concedantur littere aperte isti Comiti Palatino Hungarie secundum usum, quod possit libere transire per loca nostra cum sua comitiva, et rebus, que littere valeant per dies decem. Et notificetur Potestati Tarvisii, et aliis Rectoribus nostris, de adventu dicte gentis, et quod non permittant intrare dictam gentem in Tarvisio vel in castris nostris, nisi cum pauca genti et cum securitate nostrorum locorum.

Capta: Cum frater Johannes missus fuerit in Hnngariam cum verbis sibi commissis, et dominus Rex et domina Regina acceptaverint, quod ad ipsos possimus mittere Ambaxatores nostros; videtur, quod non possit aliud fieri, quam mictere ambaxiatam; et propterea vadit pars, si videtur de mittendo ipsam ambaxatam vel non; et si capietur de mictendo, accipientur denarii neccessarii pro ambaxiata de monte, secundum quod accipiebantur pro factis Jadra. Capta: Quod mictantur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

229.

A velenczei köztársaság I. Lajos magyar királyhoz küldendő követeinek utasítása. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XV—XX. Novembris. Capta: Quod in nomine Domini committatur Ambaxatoribus ituris ad dominum Regem Hungarie, quod premissa salutatione decenti, exponant eidem, quod considerantes antiquum amorem et benivolentiam specialem, que sinceris affectibus viguit inter inclite memorie dominos Reges Hungarie predecessores suos, et specialiter patrem et matrem eius, ac nostrum Ducale Dominium, qui quidem amor mutuus et mutuis ac gratis servitiis impensis hinc inde apparuit per effectum, et magnum suscepit augumentum cum honore et bono utriusque partis; et affectantes puro corde, sicut semper fuit et est nostre firme intentionis, ut secundum laudabilia vestigia suorum progenitorum et predecessorum nostrorum prefatus amor et dilectio, favente Domino, conservetur et crescat inter Suam Maiestatem et nos ac nostros fideles et subditos, providimus eos in nostros Ambaxatores honorabiles et solemnes ad Suam Celsitudinem destinare ad declarandum nostram puram et sinceram devotionem et amorem, quem semper habere et firmiter observare intendimus erga exaltationem et honorem sue Sancte Corone et Regni eius. Et sperantes indubie, quod Sua Regia Maiestas, habita consideratione ad predicta, similem dispositionem habebit, eandem Maiestatem affectiosius requirimus, quod sibi placeat nos nostrumque Dominium cum subditis et fidelibus nostris pro veris et intimis amicis reputare et habere, quemadmodum prefati precessores sui continuatis et successivis temporibus habuere, ut antiquata et semper servata dilectio inter partes mutuis et sinceris affectibus, sicut optamus, valeat perpetuo conservari.

Quod committatur dictis Ambaxatoribus, quod exponant predicta, faciendo mentionem de infrascriptis duobus, videlicet, quod scientes dispositionem nostram veram et puram, miramur audientes, quod per aliquos subiectos Regios fiunt gravitates no-

stris subiectis partium Sclavonie, non procedente a nobis aliqua causa, cum per nostros non fiant suis alique novitates. Secundo quod recordamur, quod pro parte domini Regis ad nos venerunt Venetias Ambaxatores sui, cum quibus multum avidi eramus reformare hinc inde benivolentiam et amorem, quod fieri tunc non potuit propter aliquas differentias, que fuerunt inter partes, et etiam quia Ambaxiatores mandatum non videbantur habere. Attamen nolentes, quin tantum bonum desisteret, obtulimus tunc mittere Ambaxatores nostros ad Suam Maiestatem, sed incumbentibus nobis aliis arduis agendis, eos nequivimus destinare.

Capta: Intelligendo, quod nostri Ambaxatores faciant hunc introitum et dicant hec verba prima persone proprie domini Regis, et postmodum subsequenter domine Regine, mutatis mutandis. Verum pro habendo habilius et favorabilius introitum ad dominum Regem possint nostri Ambaxatores, et quando eis videbitur, facere salutationem domine Regine, non exponendo tamen sibi ambaxatam, nisi primo illam exposuerint domino Regi; sed si Rex recusaret audire personaliter nostros Ambaxatores, tunc pro honore nostro Venetias revertantur.

Capta: Et si per dominum Regem diceretur seu recordaretur aliquid de novitatibus Jadre; respondeant, quod nulla unquam pro parte nostra fuit data nec daretur causa scandali vel erroris inter Suam Maiestatem et nos, quia si Civitatem predictam, quam iam trecentis annis et ultra possedimus, recuperare voluimus, et a sua indebita rebellione revocare, eius summa providentia hoc sibi ad gravitatem reputare non poterat neque potest, sicut nec fecerunt predecessores sui, et dominus genitor suus, dum fuisset de hoc specialiter requisitus, qui in casu rebellionis, que pluries contigit, se de ipsa nullatenus intromittere voluerunt, ymo permiserunt nos facere facta nostra, perseverantes nobiscum in antiqua et speciali dilectione predicta. Sumus etiam certi, quod nisi fuisset sinistra et non vera informatio Jadratinorum, aures Sue Celsitudinis in facto predicto minime inclinassent. Vnde non opportet, ut per hoc aliquam gravitatem concipiat erga

nos, qui honores sue Corone semper dileximus et diligere intendimus toto corde.

Capta: Si autem dominus Rex diceret, quod alie quatuor Civitates Dalmacie, scilicet Spaletum, Tragurium, Sybenicum et Nona, quas tenemus, sunt sue: dicant, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas Civitates in sua plena libertate, et Communitates earum se sponte nostro Dominio submiserunt. Nos etiam attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, conservavimus et conservamus eas cum magnis expensis in dominio et protectione nostra cum magno bono et augumento status eorum.

Capta: Si autem dominus Rex perseveraret in dicendo, quod ius babet in Civitatibus Dalmatie; quas tenemus, et quod contentatur de stando cognitioni et iudicio aliquorum ex Principibus mundi; dicant, quod nos optamus procedere cum Sua Maiestate per illum habiliorem et expeditiorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputationibus et cavillationibus, inducere habeat et conservare amorem pristinum inter partes. Et licet in iure nostro plenissime confidamus, tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum iu longum et generare confusionem inter partes, que tam benevolum et purum amorem affectant: credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone compositionis et amicabilis tractatus: et in hoc casu possint Ambaxatores componere per modum infrascriptum.

Capta: Et quia de providentia nostrorum Ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipiendi ab illo capitulo de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti. Modus autem est iste:

I. Quod remittente domino Rege et transferente in nos statim libere et expedite absque ulla conditione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor Civitatibus, et generaliter in alliis Civitatibus et

locis Dalmatie, quas tenemus cum pertinentiis earundem, possint Ambaxatores promittere inter Regem et Barones ducatos LX millia vel inde infra quam minus poterunt, faciente hoc predicto domino Rege pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis vel omnem alium modum magis tutum, cum cautellis et renunciationibus opportunis, de consilio sapientum, cum sapientes iuris dicant, quod de iure hoc* fieri potest cum securitate nostra.

II. Si autem dominus Rex non contentaretur nobis dimittere absolute dictas quatuor Civitates, sed potius vellet aliquid annuatim, et foret contentus, quod ipse quatuor Civitates nobis perpetuo et libere remanerent, dimittendo in nobis omnia iura, que haberet seu diceret habere in eis, possint nostri promittere pro ipsa transactione et concordio ducatos tres mille annuatim, et ducatos octo mille Baronibus semel tantum vel minus dictis quantitatibus, si poterunt; dummodo hoc non fiat per modum feudi neque census seu subiectionis, nec per alium modum, qui possit preiudicare nobis et titulo nostro. Cum sapientes iuris similiter dicant hoc fieri posse de iure absque preiudicio nostro; intelligendo quod in omni casu Rex renunciet et dimittet nobis perpetuo et libere omnia iura, que diceret seu posset habere in omnibus aliis Civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus.

Ser Nicolaus Leone vult, quod dictis Ambaxatoribus commictatur solum: Quod si Rex tangeret eis de illis quatuor terris Sclavonie, quas tenemus, possint nostri Ambaxatores promittere de dando domino Regi usque ad florenos tres mille omni anno, dando nobis Ambaxatores omnia iura in dictis terris, possendo providere Baronibus usque ad florenos octomille una vice solum, et solvantur solum completo negotio concordie: et predicta fiant per modum transactionis et omni alio modo, quo melius fieri et confirmari poterit cum consilio sapientum, ut perpetuo dicte terre nobis remaneant cum pleno iure; intelligendo, quod in contractu compositionis dominus Rex renuntiet et remittat omnia iura, que haberet vel diceret habere tam in dictis quatuor civitatibus, quam in omnibus aliis Civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus. (Elfogadtatott.)

Capta: Si vero dominus Rex peteret transitum a nobis in Apuliam cum galeis et navigiis nostris; respondeatur, ut alias factum est, quod conditio patrie nostre exigit, quod mercatores nostri possint absque suspicione ubilibet conversari et facere mercantias suas; unde cum ipsi in Regno Aupulie cum eorum bonis copiosius utantur et sint, periculosum valde esset eis, nos intromittere in hoc facto; et cum hiis et aliis idoneis verbis se elongent et recedant ad hoc.

Capta: Verum si dominus Rex diceret, si in casu, quo ipse vel gens sua transire vellet in Apuliam per mare vel per terram, utrum prestaremus sibi impedimentum vel obstaculum; respondeatur, quod postquam erimus in bona pace secum, intendimus illam pro parte nostra inviolabiliter observare, dummodo pro parte Sue Maiestatis nobis similiter observetur; et super hoc puncto instent, procurent et faciant Ambaxatores, quantum poterunt, quod dominus Rex de responsione huiusmodi sit contentus. Sed si omnino et finaliter scire vellet clarius intentionem nostram super hoc; tunc respondeant, quod sicut iam diximus, intendimus pro parte nostra habere in casu quolibet cum Maiestate Sua benevolentiam et amorem; propterea diximus, quod postquam erimus in concordia et amore secum, et Eius Maiestas, sicut et nos facere intendimus, perseverabit in pace predicta, nos non impediemus nos in factis alienis; et ideo transeundo absque lesione nostra, poterit, sicut voluerit, facere facta sua.

Ser Nicolaus Leone Consiliarius: Licet exquirendum sit per omnem viam et modum de vivendo in pace et quiete cum omnibus, maxime cum Principibus mundi; tamen in quolibet casu agendum est id, quod sit noster honor et conservatio nostre iurisdictionis et status. Cum autem ultra omnia nostri antiqui et nos semper cor et mentem habuerimus ad defensionem et securitatem Culphi nostri, in quo pendet totum nostrum bonum et statum, et concedere transitum huic Domino sic expresse, qui cum tanta novitate transire vult pro acquirendo Regnum Apulie, non sit absque periculo et derogatione iurisdictionis nostre: vadit pars, quod in casu

quo dominus Rex hanc interrogationem faceret, videlicet, si sibi daremus impedimentum in transeundo per mare vel per terram; respondeatur cum pulcris verbis, quod in omni re possibili et honesta non impedimentum sed favorem reperiret in nobis; sed cum a tempore citra, cuius non extat memoria in contrarium, Culphum nostrum possederimus et custodiverimus, et presentialiter possideamus cum magnis laboribus et expensis, habeamusque multa pacta et conventiones cum multis Civitatibus et Dominis mundi, quibus nunquam assentire voluimus, ymo expresse prohibuimusi ut cum armatis possint dictum nostrum Culphum intrare; Celsitudo Regia nos, quantum in facto transitus per mare, potest habere merito excusatos. Verum cupientes Sue Serenitati, in quantum possumus, complacere; dicimus ei, quod eundo per terram, poterit transire, sicut voluerit, quia quantum in nobis est, nos non intendimus in facto transitus per terram aliqualiter impedire; et cum iis et aliis verbis convenientibus nostri Ambaxatores se excusent a facto transitus per mare. (Nem fogadtatott el).

Ser Marcus Lauredano, ser Petrus de Canali et ser Superantius Superantio : Et si pro parte dicti domini Regis requireretur, quod esset nostre intentiouis in casu, quo vellet transitire in Apuliam cum navigiis aliorum, si videlicet opponeremus nos suo transitui vel non; respondeant dicti Ambaxatores, quod Dominium Venetiarum, postquam esset facta pax et firmata per sacramentum partium, observaret sibi integraliter dictam pacem, sicut semper facere consuevit. (Nem fogadtatott el.)

Ser Besinus Contareno et ser Johannes Mauroceno volunt, quod dicti Ambaxatores respondeant, quod Dominium Venetiarum, postquam esset facta pax et firmata per sacramentnm partium, observabit dicto domino Regi integraliter dictam pacem, dummodo ipse serviret eam nobis, secundum quod semper facere consuevit, faciendo suo posse, quod Rex contentetur de responsione predicta. Sed si viderent, quod non esset contentus, possint, si eis videbitur, dicere dicto domino Regi, quod si sibi placet, ipsi hoc scribent Venetias; et quando finaliter viderent, quod de scribendo Venetias non es-

set tangendum, vel si tangerent, quod dominus Rex nollet differe, possint dicti Ambaxatores videndo, quod pessint esse concordes de aliis eis commissis, dicere, quod Dominium Venetiarum se in hoc facto non intrommictet, dummodo faciat suum transitum sine damno nostrarum gentium et locorum. (Nem fogadtatik el).

C a p t a : Procurent nostri Ambaxatores et faciant posse suum de includendo Comites Maladinum et fratres in pace per modum alias ultimo ordinatum, videlicet cum terris et locis eorum. Verum quia dominus Rex alias super hoc durus videbatur, et conveniens sit etiam pro honore nostro, ut dicti Comites habeant a nobis notitiam de ista nostra Ambaxata, et verisimile sit, quod antequam nostri Ambaxatores sint in puncto firmandi negotia, poterimus scire de intentione dictorum Comitum : vadit pars, quod statim scribatur Comiti nostro Spaleti et Sybenici, quod unus eorum, qui commodius esse poterit, det operam per illum modum, qui sibi conveniens videbitur, de essendo cum Comite Maladino, notificando sibi pro parte nostra de ista Ambaxata, quam mittimus ad dominum Regem pro honore nostro et bono statu dictorum Comitum et ceterorum nostrorum fidelium et devotorum ; et inquirat et trahat dictus noster Comes, quantum poterit, de intentione dictorum Comitum et de dispositione sua in facto predicto, hortando dictum Comitem Maladinum et fratres, quod statim mittant ad nos eorum nuntium sufficienter et plenarie informatum super predictis ; et rescribat nobis velociter dictus noster Comes id, quod habuerit in predictis, et habita notitia premissorum, poterimus clare informari de iis, que committere habebimus Ambaxataribus nostris, si Rex omnino nollet, quod dicti Comites includerentur in pace per modum predictum.

Capta : Item. scribatur nostris Comitibus et fidelibus Sclavonie, videlicet Spaleti, Tragurii, Sibenici et None, notificando eis de ista nostra Ambaxata, quam mictimus pro honore nostro et conservatione ac statu pacifico et tranquillo dictorum nostrorum fidelium.

Capta : Quod nostri Ambaxatores in bona gratia vadant ad dominum Regem Vngarie, videlicet in Badoeriam vel

in illas pertinentias, ubi ad presens dicitur esse; sed si inde recessisset, et ivisset ad alias partes, sit in discretione eorum vel maioris partis expectandi eum, notificando ei, quod de suo adventu, vel eundi, ubi esset, sicut eis videbitur pro honore nostro et bono negotiorum.

Capta: Ceterum, quia ista negotia magna et ardua sunt, et multa possent occurrere, super quibus ad presens previderi non posset; comictatur nostris Ambaxatoribus, quod quamvis dominus Rex omnino nollet compositionem per aliquem dictorum modorum, tamen si diceret de faciendo per aliquem alium modum, qui videretur nostris Ambaxatoribus vel maiori parti consonare cum honore nostro, et crederent, quod nobis verisimiliter placere posset, sit in eorum libertate et maioris partis remanendi, inveniendo aliquam honestam causam, et rescribendi nobis velociter id, quod haberent et facere possent, et suum consilium, nostrum expectando mandatum. Verum si nostris Ambaxatoribus vel maiori parti videretur, quod dominus Rex nullo modo induci posset ad aliquam intentionem nostram, ita quod omnino nullatenus de compositione sperarent, sit in eorum libertate et maioris partis, pro honore nostro Venetias redeundi.

Capta: Preterea, si cum Dei auxilio compositio fiet per aliquem dictorum modorum, et dominus Rex pro honore sui diceret, quod postquam presentia nostra ibi non est, intendit factum firmare similiter per syndicos eius; nostri Ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi syndici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper si in contractu seu scriptis fiendis de predictis dominus Rex poneret in titulo suo Dalmatiam et Chroatiam, noster similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, sicut facit in litteris suis nobis missis, dicendo solum »Rex Hungarie,« nostri etiam taceant, dicendo solum »Dux Venetiarum« etc.

Capta: Quod in nomine Domini et eius Matris et pretiosi Evangeliste sui Marci fiant tres Ambaxiatores solemnes ad dominum Regem Hungarie eligendo eos tres per scrutinium in Consilio Rogatorum, et tres per duas manus electionum in Maiori Consilio, scilicet tres per quamlibet manum,

approbando eos in Maiori Consilio ad unum, et qui habuerint plures ballotas transeundo maiorem partem Consilii, sint firmi et possint accipi de omni loco et officio existentes in Civitate Rivoalti, non perdendo regimen vel officium esset continuum. Et habeant de salario libras trecentas pro quolibet in primis tribus mensibus, et inde antea libras quinquaginta in mense pro quolibet; et teneantur respondere infra tertiam diem, postquam erunt electi, et ire ad beneplacitum Dominii, et non possint refutare sub pena librarum quatuor centum, et huic pene subiaceant quilibet, qui exivissent de terra ab octo diebus citra, et alii etiam, qui ante essent extra terram, et sibi notificatum fuerit per nuntium Dominii infra dictum terminum trium dierum; et habeant notarium, dispensatorem et famulum et familiam, et possint expendere per modum, quo alii nostri Ambaxatores solennes soliti sunt ire ad testam coronatam.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

230.

A velenczei kormánytanács ezen követségről tudósítja nápolyi és római követeit. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XX. Novembris. Capta: Quod scribatur nostro Consuli in Neapoli et Ambaxatori nostro, qui est ibi, quod pro aliquibus differentiis, que sunt inter dominum Regem Hungarie et nostrum Commune deliberavimus mittere nostros solemnes Ambaxatores ad ipsum dominum Regem occasione tractandi concordiam cum ipso domino Rege. Sed nolumus, quod de hoc aliquid a se dicant; sed si diceretur eis aliquid de ipsa Ambaxata, respondeant illis, qui sibi dicerent, quod est verum, quod eam mittimus pro tractando acconcium cum dicto domino Rege cum nostro honore et sine lesione alterius. Et quia scripserunt nobis dictus Consul et Ambaxator de verbis dictis per dominum Ludovicum de Tarento, et de responsione, quam fecerint; dicatur eis, quod sua responsio fuit nimis larga, et nobis non placuit, et quod amplius talem responsionem non faciant ullo modo. Et

Neapoleoni nostro Procuratori in Curia scribatur similiter de dicta Ambaxata, quod respondeat, si dicetur sibi aliquid, ut dictum est supra.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A vol. 1.)

231.

A velenczei kormánytanács Friaulban lévő I. Lajos magyar királynak tiszteletére küldöttséget határoz. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XXVI. Novembris. Capta: Cum dicatur, dominum Regem Vngarie venisse ad partes Foroiulii, vel quod sit venturus breviter, et conveniat pro honore Dominii honorare eum, postquam est sic vicinus nobis : vadit pars, quod mittantur sine mora sex de nostris Nobilibus ad Suam Maiestatem ad exponendum, quomodo misimus ad Suam Regalem Maiestatem nostrum Nuncium pro litteris securitatis pro nostris solemnibus Ambaxatoribus, quos intendebamus ad eum destinare, quas litteras generose concessit et dari fecit ipsi Nuncio nostro; quibus habitis, statim elegimus tres solemnes Ambaxatores de nobilibus et honorabilibus civibus nostris, qui debebant venire ad Suam Maiestatem cum ambaxata sui honoris et nostri; sed cum parati essent pro dicta via, habuimus nova firma de adventu suo in iis partibus, propter quod providimus mittere istos sex nobilis ad honorandum Suam Maiestatem, qui sue Regali Magnificentie dicant ex parte nostra verba reverentie et amoris, sicut eis videbitur pro honore nostro, et socient eum quousque extra nostrum Districtum. Et si volet transire per nostrum Districtum, hoc sibi liberaliter offerant, et sint cum eo; et si volet intrare civitatem nostram et castra, habeant libertatem nostri predicti dandi ei licentiam cum illa gente, que eis videbitur cum securitate nostrorum locorum. Et sic scribatur nostris Rectoribus, quod observent, sicut dicti Nobiles eis dicent. Et informent se dicti nobiles de omni eo, quod habere et scire poterunt in dicta via, quod spectet ad nostrum honorem, ut ab eis in suo reditu vel per suas litteras ante suum reditum, quas mittere nobis statim debeant, informari possimus. Et

eligantur dicti sapientes per tres manus, et respondeant hodie, et vadant, sicut fuerit ordinatum per Dominium; et possint accipi de omni loco, non perdendo aliquod, quod haberent officium vel aliud, non possendo eligi de Ambaxatoribus electis. Et vadant dicti Ambaxatores ad expensas, cum quibus vadunt ambaxatores ad testam coronatam, et habeant quatuor domicellos pro quolibet, secundum novis vestibus.

Ambaxatores: ser Thomas Gradonico, ser Marinus Grimani, ser Andreas Superantio, ser Petrus Trivisano, ser Marcus Dandulo, ser Johannes Mozenigo.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. A. vol. 1.)

232.

A velenczei kormánytanácsnak I. Lajos magyar királyhoz küldött követeire vonatkozó határozata. 1347.

Anno MCCCXLVII. die V. Decembris. Capta: Cum inter ceteras provisiones semper utilimum censeatur scire, cognoscere tempus, et secundum bonam dispositionem illius facta sua, et Dominus, qui sua benignitate cunctos actus nostros dirigit, concessit nobis tempus et locum concordandi nos cum domino Rege Hungarie cum commodo et honore nostro, sicuti manifeste comprehendi potest tam per relationem nostrorum sex Ambaxatorum, maxime pro bonis verbis que habuerunt a Reverendissimo Episcopo Vesprimensi, in quo consistere videtur tota intentio et consilium domini Regis, quam per multos alios respectus et indicia, quia dici verisimiliter potest, quod dominus Rex nos invitet et requirat ad mittendum nostram solemnem ambaxatam iam publicatam et factam: vadit pars, quod in bona gratia nostri Ambaxatores solemnes facti pro eundo ad prefatum dominum Regem cum ambaxata ordinata et capta per istud Consilium, et cum eo etiam, quod videbitur huic Consilio addendum de novo, et corrigendum vel mutandum, eundo Ariminum vel Forlivium, sicut dictis nostris Ambaxatoribus videbitur pro honore nostro et bono negotiorum; cum dominus Rex contentus

videatur de locis predictis, non transeuntibus dictis Ambaxatoribus ultra duo loca predicta, et euntibus per aquam absque ducendo equos; et fiat tercius Ambaxator loco ser Justiniani Justiniano, qui acceptavit Capitaneariam Vnionis, qui tercius habere debeat libras centum pro uno mense, et deinde in antea libras centum in mense; et per dominationem operetur, quod alii duo, qui sunt facti, de isto salario similiter contententur.

Capta: Et statim scribatur prefato domino Episcopo Vesprimensi, notificando sibi parte nostra, qualiter intelleximus per relationem nostrorum Ambaxatorum verba sua super facto nostre ambaxate solemnis mictende ad dominum Regem pro honore et bono utriusque partis: et regratiamur sibi de bona voluntate, quam ad hoc habere videtur. Et ideo nolentes, quod pro parte nostra tantum bonum deficiat, disposuimus mictere nostros solemnes Ambaxatores ad Regiam Maiestatem, qui velociter se parant pro eundo ad locum, de quo idem dominus Episcopus mentionem facit, videlicet Ariminum vel Forlivium. Quare specialem fiduciam gerentes de paternitate sua hoc sibi notificare voluimus, ut de hoc notitiam dare possit domino Regi, et etiam nobis respondere super predictis per presentem nuncium nostrum, quam citius esse potest.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

233.

I. Lajos magyar király mint Cola di Rienzo pártfogója. 1347.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei karissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectis filiis Marquardo Bambergensi et Nicolao de Lucemburgo, Saccen. Pragensis Diocesis, Capellano nostro Prepositis stb. Celsitudinis Tue Nuntiis ad nos et Apostolicam Sedem destinatis, presentatisque nobis per eos litteris tuis stb. Ceterum ut te non lateant ea, que super negotiis Nicolai Laurentii ciuis Romani, qui se Tribunum intitulat, acta sunt et aguntur; scire te volumus, quod

nos ad ipsius Nicolai malitiam conterendam iam manum Apostolice potestatis extendimus, et per dilectum fratrem nostrum Bertrandum tituli Sancti Marci Presbiterum Cardinalem, Apostolice Sedis Legatum in illis partibus, spiritualiter et temporaliter procedi mandauimus, ipseque Legatus ad expensas Ecclesie magnam quantitatem equitum et peditum iam conduxit; et speramus indubie prestante Domino, qui superbis resistit, quod idem Nicolaus humiliabitur certo sub ipsius Ecclesie Romane potentia, et ipsius elata cornua confringentur. Sed, sicut ipsius Legati nuper insinuatione percepimus, Nicolaus idem, qui contra se concives et compatriotas suos plurimos suis iniquis et prauis operationibus prouocauit, carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Hungarie illustris, et gentis sue, contra eandem Ecclesiam et dilectos filios Nobiles Urbis et patrie, qui aduersus tam pestilentem virum eidem adherent Ecclesie, habet subsidium et favorem. Attende igitur fili, quantum scandalum eidem foret Ecclesie, si Rex ipse, deuotus ipsius Ecclesie filius, illam persequenti prestaret auxilium, et aduersus eam, que ad ipsum studio pie Matris afficitur, fauorem impenderet vel iuuamen. Attende, que tibi et tuis negotiis possent, quod auertat Deus, ex hiis pericula imminere. Nam idem Nicolaus originarie conditionis oblitus, fatua insanaque presumpcione ad fastigium Cesaree dignitatis aspirans, post citationes derisorias per eum de te ac Electoribus Imperii attemptatas, misit ad nonnullas Ciuitates nuncios et ambassatores suos, per quos eisdem Ciuitatibus certas voces in electione Romani Imperatoris, quantum in se fuit, obtulit et concessit; non sine graui ipsius Ecclesie, ac tua et dictorum Electorum iniuria manifesta; petens, quod Ciuitates ipse in festo Resurreccionis Dominice ipsorum nuncios Romam transmitterent, pro electione Imperatoris inibi celebranda. Propter quod utile credimus, quod tu ad eundem Regem aliquos Nuncios tuos mittas, vt scias suam super huiusmodi negotiis voluntatem. Et si ipse Rex ad fauorem vel auxilium ipsius Nicolai per mendosas et fallaces eius astutias foret forsitan inclinatus, seu potius inquinatus; procura omnibus viis et modis, quod idem Rex ab omni auxilio et fauore Nicalao prestando prefato, sicut honori et statui suo Regio expedit,

prorsus abstineat, et ab omni amicitia, confederatione, vnione vel liga vnita vel vnienda cum ipso, se gentemque suam retrahat, ipsumque tam fallacem virum, qui non ad ipsius Regis honorem, sed ad sua feda et turpia commoda inhiat et anhelat, omnino abiciat et repellat. Vt autem ipsius Nicolai erga te honoremque tuum percipias animum et affectum, copiam cuiusdam littere, quam ipse nobis transmisit, mittimus tibi presentibus interclusam. Datum Auinione VII. idus Decembris Pontificatus nostri anno sexto.

(Pelzel Ferencz Márton »Collectio Epistolarum Nicolai Tribuni« — hátrahagyott kézirati gyüjteményéből.)

234.

A velenczei kormánytanácsnak tudósitása Avignonba és Nápolyba I. Lajos magyar király hadjáratáról. 1347.

Anno MCCCXLVII. die VII. Decembris. Capta: Quod scribatur Procuratori nostro in Curia Romana, quomodo ei scripsimus, quod deliberaveramus mittere nostros Ambaxatores ad dominum Regem Hungarie pro tractando acconcium et concordiam cum ipso Rege sine lesione alicuius; postmodum scripsimus, quod dictus Rex subito et inopinate venit ad partes Foroiulii, ad quem misimus aliquos nobiles cives nostros ad honorandum et visitandum Suam Maiestatem. Nunc vero scribimus ei, quod dictus Rex recessit de Foroiulio, et vadit ad viam suam, ad quam Ambaxatores nostros, electos per nos ante suum adventum ad partes Foroiulii, deliberavimus mictere pro tractando acconcio cum eo sine lesione alicuius, ut dictum est; que volumus per dictum nostrum procuratorem exponi et informari dominum Tutellensem, et dominum Gogum, et alios de Curia de veritate predicta, sicut ei videbitur pro honore nostro. Et quod dictus Procurator nobis solicite rescribat quicquid habuerit et senserit tam a predictis dominis Cardinalibus quam ab aliis, non habendo respectum ad expensas. Et similiter scribatur Consuli nostro Apulie, ut informatus sit de veritate predicta.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

235.

A velenczei kormánytanács elhalasztja I. Lajos magyar királyhoz rendelt követeinek elküldését. 1347.

Anno MCCCXLVII. die XI. Decembris. Capta: Cum affectavimus hactenus, quod Ambaxata nostra solicite yadat ad dominum Regem Hungarie, sperantes, quod dicta Ambaxata effectum et fructum concordii reportare deberet, et per relationem Marci Bono Notarii nostri manifeste colligi possit, quod euntibus nostris Ambaxatoribus Ariminum, sicut hic est captum, non invenirent dictum Regem; et dato, quod ipsum ibi invenirent, nichil cum eo de factis nostris facere vel perficere possent propter subitum iter, ad quem idem Rex videtur dispositus; et etiam possent requiri de eundo Aquilam, et sequendo dictum Regem, quod esset extra nostram intentionem isto tempore; propterea vadit pars, quod pro nunc suspendeatur de mictendo ad dictum Regem Ambaxatam.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

236.

I. Lajos magyar király és a velenczi köztársaság Dalmatiában. 1347.

Anno MCCCXLVII. die vigesimo Decembris. Capta: Cum habeatur ex relatione Ambaxatorum Civitatum nostrarum Sibenici, Tragurii et Spalati, ac Comitis Maladini, quod ab Vngaris Ostrovice, Tinini et aliorum castrorum, subditorum domino Regi Vngarie, eorum bona et territoria spolientur et derobentur, propter quod requisiverant et requirant provideri per nostrum Dominium super inde pro conservatione et securitate eorum, et terrarum et locoram suorum, nam aliter propter dictas derobationes, ut clare dicunt, sic permanere non possent; et pro statu nostro iu partibus Sclavonie haberi provisio requiratur, ut subditi et fideles nostri terrarum nostrarum predictarum, et Comes Maladinus in

fidelitate et devotione nostra constantes existant; et propter accessum Regis Vngarie ad partes Apulee in processu temporis melius poterit provideri iuxta condiciones et nova ipsius Regis, que habebuntur; consulunt Sapientes, quod eligatur in isto Consilio Rogatorum unus Ambaxator et Provisor per quatuor manus, qui vadat ad dictas terras nostras Sibenici, Tragurii et Spalati, et ad Comitem Maladinum, exponendo eis pro parte nostra, qualiter per expositionem Ambaxatorum suorum habuimus, quod Vngari, et alii Sclavi eis Vngaris adherentes, aliqua sua territoria derobarunt et derobare intendunt, quod multum grave et displicibile nobis fuit, optantes eorum bonum et conservationem tamquam de nostris fidelibus carissimis, quos semper in omni tempore reputavimus et reputamus. Propter quod intendentes ad tranquillum et statum pacificum ipsorum, et optantes informari de conditionibus ipsarum parcium Sclavonie et eorum intentionibus, ut super augmento et conservatione eorum valeamus melius provideri, providimus ad eos mittere dictum nostrum Ambaxatorem et Provisorem pro habendo informationem conditionum dictarum partium, et de intentione eorum, quid super hoc et per quem modum per nos super securitate et bono eorum ac terrarum et locorum suorum possit salubriter provideri, ortando eos fideles nostros in fidelitate et devotione nostri Dominii cum illis pulcris et ortatoriis verbis, que ei conveniencia videbuntur, et accipiendo omnem informationem, quam poterit trahi, de conditionibus ipsarum parcium, quam de intentione dictorum nostrorum fidelium et Comitis Maladini, quid providendum esset per nos pro conservatione et securitate terrarum et locorum nostrorum fidelium predictorum, et totum, quicquid habuerit et fecerit, nobis debeat suis litteris denotare, non recedendo inde sine nostro speciali mandato.

Et debeat dictus Ambaxator et Provisor ire Jadram et Nonam, ortando fideles nostros None in fidelitate nostra, et accipiendi ibi informacionem a nostris Comitibus de hiis, que ei viderentur pro securitate et conservatione nostrarum parcium Sclavonie.

Capta: Et cum sit commendabile scire pertransire

cum inimicis suis cum quam minori sinistro et damno fieri potest, et maxime in hoc tempore, quo bene et salubriter provideri non potest, tum propter condicionem temporis yemalis, tum quia propter progressum agendorum Regis Vngarie melius videbimus providere; committatur dicto Ambaxatori, quod in casu, quo videtur fieri posse treugua inter Vngaros et terras nostras predictas ac Comitem Maladinom, debeat cum nostris Comitibus terrarum predictarum nostrarum et Comite Maladino cum pluri honore nostro et bono nostrorum fidelium nostrarum parcium predictarum, quo fieri poterit, procurare, quod tractetur treugua inter ipsas terras nostras et Comitem Maladinum, et Vngaros, ut dicti fideles nostri cum ipsis Vngaris usque ad tempus debitum provisionis secure valeant vivere et manere. Verum si treugua fieri non posset, et dicti fideles nostri peterent auxilium gentis nostre, debeat dictus Ambaxator et Provisor noster persentire et se informare a nostris Comitibus Civitatum ac Comite Maladino, que quantitas gencium esset per nos mittenda ad dictas partes tam equitum quam peditum, et ubi apcius stare possent dicte gentes pro securitate et succursu dictarum nostrarum Civitatum, et earum Districtuum et castrorum, et locorum Comitis Maladini, et quod succursum suarum gencium in hoc dicte Civitates nostre et Comes Maladinus exhibere possent, et de omnibus aliis se informet circa predicta, que ei videbuntur; et quicquid fecerit et habuerit super inde, nobis debeat suis litteris reserare, ortando, nt dictum est, dictos fideles nostros in fidelitate nostri Dominii, et dicendo qualiter nostre intencionis est penitus providere ad conservationem et statum pacificum eorundem.

C a p t a: Ceterum cum dictus Ambaxator erit cum Comite Maladino, et quando ei videbitur, dicat ei, qualiter incessanter de eo habemus querelam et de suis subditis, quod continue derobant nostros fideles et subditos Sibenici, ac etiam marcatores et conductores rerum et victualium Sibenicum, quod infert dictis nostri fidelibus magnum damnum; de quo, si ita est, plurimum compellimur admirari, considerantes et attendentes ad magnam fidelitatem et devotionem, quam erga nostrum Dominium se habere ostendit, per quam

est nobis extraneum et incredibile, quod tales derobaciones ab eo procedant; cum firmiter teneamus, eum constanter optare bonum et honorem nostrum et nostrorum fidelium, quem nostrum in omnibus reputamus, requirendo et rogando eum pro parte nostra, quod suos subditos a talibus derobationibus faciat abstinere, et restituere per eos ablata dictis nostris fidelibus Sibenici, et aggravando factum, sicut pro honore nostro et bono facti viderit convenire.

Capta: Et committatur dicto Ambaxátori, qnod exponere debeat Comiti et Judicibus Spalati, qualiter habuimus per litteras Comitis Maladini, quod cum ipse Comes Maladinus conduci faceret per mare de Scardona Clissam modia quinque salis, ipsi barcham et salem abstulerunt, non permittentes ipsum salem nec aliqua alia victualia portare per mare Clissam; et quod hoc nobis molestum fuit et incredibile, habito respectu, quod deberent quiete vivere et permanere cum dicto Comite Maladino pro statu et conservatione eorum; et procuret, quod dictus sal restituatur dicto Comiti Maladino, si ita erit, ut habemus per dictas litteras Comitis Maladini; et quicquid in hoc habuerit et fecerit, nobis debeat suis litteris denotare.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

237.

VI. Kelemen pápa I. Lajos magyar királynak, a közte és I. Johanna siciliai királyné közt fennforyó ellenségeskedések tárgyában. 1347.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Receptis litteris Excellentie Tue, fili carissime, per dilectum filium Martinum clericum et familiarem tuum exhibitorem presentium, nostro nuper Apostolatui destinatis; dilecto filio nostro Bertrando tituli Sancti Marci Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, per litteres nostras duximus committendum, ut tibi ad contenta in eisdem litteris tuis per se vel alium seu alios

oretenus debeat respondere. Cum autem ex responsione huiusmodi possis et debeas merito contentari, Serenitatem Tuam attente rogamus, paternis tibi et sinceris affectibus suadentes, quatenus ea, que idem Cardinalis tibi pro parte nostra retulerit, credens indubie, sic tanquam filius benedictionis et gratie, Matris Ecclesie beneplacitis te conformes, sic illius utilibus sanisque consiliis acquiescas, quod sincere devotionis affectus, quem ad eandem Ecclesiam Christianissimum genus tuum habuisse iugiter clara fama commemorat, et in quo etiam tu imitaris eosdem, effectu operis clareat, et via dispositis multis pluribusque periculis, prestante Domino precludatur, ac ille, per quem vivis et regnas, thronum tuum omnipotente virtute sua corroboret et confirmet. Datum Avinione X. kalendas Januarii Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestaiból.)

238.

VI. Kelemen pápa I. Johanna siciliai királynénak ugyanazon ügyben. 1347.

Clemens Episcopus etc. carissime in Christo filie Johanne Regine Sicilie illustri salutem etc. Perduxit iam ad tuum, carissima filia, communis fama, ut opinamur, auditum, quod carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Vngarie illustris ad occupationem Regni tui suos erigens et dirigens cogitatus, Italiam iam intrauit, et magna gentis armigere caterua stipatus, accessum suum in idem Regnum cum omni celeritate festinat. De quo nos eo dolemus, potius eo vehementius conturbamur, quo tu et delecti filii Regales, ac alli subditi tui, pericula imminentia tibi et illis negligere incaute dicimini, et contra propria commoda nulla omnino reparationis remedia, vnde in ammirationem et stuporem vehementissime trahimur, adhibere. Cum itaque ad occurrendum utrisque huiusmodi periculis aliquas vias excogitandas duximus, prout negotiorum et temporum qualitas et circumstantie suaserunt, illasque dilecto filio nostro Bertrando tituli Sancti Marci

Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, per speciales litteras transmittamus; Serenitatem Tuam rogamus, sano tibi consilio suadentes, quatenus per speciales litteras tuas Legato memorato committas, quod ipse tractare ac agere cum eodem Rege tuo nomine libere valeat, quecunque pro vtilitate tua et negotiorum tuorum commodo expedire cognouerit, ac ea que idem Legatus tractanda duxerit, te rata et firma promittas perpetuo habituram. Datum Avinione X. kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

239.

Prussiának kereskedése Galiciával s névszerint Lemberg várossal. 1347.

Famosis viris ac fide dignis Proconsulibus, Consulibus, mercatoribus, totique Communitati in Thorun existentibus Demetrius Dedko Provisor seu Capitaneus Terre Rusie, salutem in Domino sempiternam. Viri pacifici quoniam ipsi possidebunt terram, huius sacri eloquii grande misterium, attendentes discordiam a dyabolica suggestione seminatam inter dominum Kazimirum Regem Polonie et nos, et inspiracione Almi Pneumatis, postergantes temptatorem humanum, concordie iniuimus vnionem. Eatenus scire volumus vniuersos terram Rusie visitare cupientibus, quod secundum Jura nostrorum predecessorum, cum mercimoniis neminem pertimescentes Lemburgam secure poterint subintrare. Qui vero ad conmansionem ibidem venire proposuerint, hereditatem liberam concedimus et donamus, prout pristini exactionem nobis annuatam, nec non alia iura solum sint tribuentes. Dampna vero post obitum domini nostri felicis memorie Ducis Rusie quicunque Lemburgenses intulerunt, duntaxat excipimus litteris in aliis et in istis. In signum autem huius compromisionis, et vt fides nobis poterit abhiberi, hanc paginam nostro munimine iussimus roborari. Datum in Lemburg anno in presenti.

(Eredetie bőrhártyán, Dedko Demeter pecsétje alatt, a német rendnek königsbergi titkos levéltárában.)

240.

VI. Kelemen pápa I. Lajos magyar királynak, hol De Carceribus Galhard már mint brindisi-i érsek említtetik 1348.

Clemes Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Ad dilectum filium Johannem Electum Vesprimiensem consideratione tua, et ipsius insuper. bonitatis obtentu sincere dilectionis habentis affectum, venerabilem fratrem nostrum Galhardum Archiepiscopum Brundusinum ad finem, quod Vesprimiensis Ecclesia ab onere pensionis, quo eidem Archiepiscopo obligata est, liberetur, transferre proponimus duce Deo. Datum Avinione idibus Januarii Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból. V. ö gyöjteményünk I. kötetét 348. 361. 367. ll.)

241.

Della Scala Masticz veronai fejedelem mint közbenjáró I. Lajos és a velenczei köztársaság közt. 1348.

Anno MCCCXLVII. die. III. Februarii. Dominus, Consiliarii, Capita, Sapientes. C a p t a : Quod respondeatur domino Mastino, quod intelleximus ea, que nobis exponi fecit per Nuncium suum de interponendo se, quando nobis placeret, in tractando amicabilem concordium inter dominum Regem Hungarie et nos; et licet pro parte nostra nulla sit causa discordie, tamen in tractando amicabilem concordiam huiusmodi sua oblatio nobis et Communitati nostre valde placuit, et illam, quantum possumus, habemus ad amorem et bonum; regratiantes ex hoc plurimum Magnificentie Sue, ac firmiter cognoscentes esse manifestum signum vere dilectionis, quam gerit ad nostrum Dominium in volendo se operari in iis, que spectare possint ad statum et honorem nostrum. Et quamvis ad conservationem status et honoris sui essemus sincera affectione

dispositi, tamen adhuc Magnificentia Sua nobis ob id reddidit promptiores. Vnde considerato antiquo et naturali amore, quem nos et predecessores nostri semper gessimus ad ipsum et domum suam, attenta etiam optima dispositione, quam in ipso clare conspicimus, plene confidimus de Magnitudine Sua tanquam de quolibet magis caro magisque intimo amico nostri Dominii, tenentes pro constanti, quod quelibet nostra agenda, que transirent per manus suas, favoralibiter tractarentur et fierent cum honore nostro, quem potest proprium reputare. Habentes itaque respectum ad predicta, benivolentiam oblationemque suam predictam affectuosius acceptamus. Verum amicitiam suam volumus non latere, quod alias obtulimus, et dici fecimus prefato domino Regi de mictendo eidem nostran solemnem ambaxatam pro honore Sue Maiestatis et nostro, quam expedire et mictere intendimus ad eundem, et bonum agendorum nostrorum operari et procurare possit, sicut de Magnificentia Sua confidimus et speramus.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum»-ból.)

242.

A velenczei kormánytanács válaszol Della Scala Masticz követeinek. 1348.

Anno MCCCXLVII. die XII. mensis Februari. C a p t a: Cum captum fuerit heri in isto Consilio de induciendo ista negocia usque ad diem Jovis proximum post nonam, ut clarius posset in eis procedi, per quam induciam cum nichil certum adhuc exprimi possit in hoc: vadit pars, quod respondeatur Nuncio domini Mastini, regraciando sibi de eo, quod nobis notificari et exponi fecit, quod procedit ex maxima affectione, quam cognoscimus eum habere erga statum nostrum, quem suum proprium potest reputare, et loco et tempore clarius super hiis negociis nostram intentionem ei aperiemus tamquam intimo et amico nostro specialissimo, de quo specialem confidenciam gerimus, quod agenda nostra et Communis nostri habet et habebit omni tempore more suorum favorabiliter

commendata, cum hiis et aliis verbis pulcris, que Dominio videbuntur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

243.

A velenczei köztársaság követeket küld I. Lajos magyar királyhoz. 1348.

Anno MCCCXLVII. die XIV. Februarii. Capta: Cum habeamus multa agere cum domino Rege Hungarie tam pro factis Sclavonie, quam pro Consule et mercatoribus nostris, qui utuntur in Apulea; et omnibus consideratis, faciat pro statu nostro in omui parte scire, qualiter vivere debemus cum ipso Rege, et videatur predictis ponentibus partem esse bonum et utile mictere Ambaxatam ipsi Regi: vadit pars, quod ex nunc sit captum de mictendo Ambaxatam.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

244.

I. Lajos maggar királynak biztonsági levele a hozzá utazó velenczei követek számára. 1348.

Ludovicus Dei gracia Hungarie, Jerusalem, et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, Illustri Domino Andree Dandulo Dei gratia Duci Veneciarum salutem et gratiam.

A Serenitate Nostra pro parte vestra et Communitatis Venetiarum devote extitit et humiliter postulatum, quod Ambaxatoribus vestris ad Majestatem Nostram venturis securitatem et fiduciam exhibere dignaremur. Nos igitur prostulationi Excellencie Nostre, ut premittitur, facte annuere benigne et graciose volentes, Ambaxatoribus vestris ad Serenitatem

Nostram venturis, et eorum familiaribus, et rebus tam in veniendo huc ad Nos, quam hinc recedendo, per totum Regnum nostrum tenore presencium plenam licentiam et securitatem concedimus, presentibus usque per totum mensem Maji proxime futurum tantummodo valituris. Data Neapoli in nostro Regio Castro Nouo die XV. mensis Februarii sub anno Domini MCCCXLVIII. prime indiccionis Regnorum nostrorum Hungarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo.

(A velenczei »Copia de Commemoriali« czimű államkönyvből IV. köt. 2. r. 324. lev.)

245.

A velenczei kormánytanács fegyvereknek kivitelét engedélyezi István boszniai bánnak. 1348.

Anno MCCCXLVII. die XVIII. Februarii. Capta: Quod quidam Comes Gregorius Goysclavich, Voyvoda domini Bani Bosne, de quo nobis scribit Comes noster Tragurii possit extrahere tot arma de Venetiis, que valeant ducatos centum, solvendo datium nostri Communis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXIV. kötetéből.)

246.

Az I. Lajos magyar királyhoz küldött velenczei követeknek utasítása. 1348.

Anno MCCCXLVII. die XVIII. Februarii. Capta: quod in Christi nomine fiant tres Ambaxatores solepnes ad dominum Regem Hungarie stb. Intelligendo, quod nostri Ambaxatores faciant hunc introitum, et dicant hec verba (nostra), primo persone proprie domini Regis, et ad hoc faciant posse suum. Sed si dominus Rex diceret vel dici faceret quod aliis occupatus, eos personaliter non posset vel nollet audire, et vellet eis dare tractatores, et non sit bonum per

hanc causam recedere ab eo sine concordio, nostri Ambaxatores videntes, quod aliter esse non posset, finaliter de dictis tractatoribus sint contenti.

Die XXII. Februarii. Capta: Si autem ipse Rex diceret, quod quatuor Civitates Dalmatie quas tenemus, scilicer Spaletum, Traguriam, Sybenicum et Nona, sunt sue; dicant, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas in maxima desolatione et pessimo statu propter continuas incursiones et derobationes, que sibi fiebant a Sclavis et aliis, et sic ipse de sua plena libertate et voluntate se sponte nostro Dominio submiserunt. Nos autem attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, possedimus eas ultra XXV annos, ipsasque conservavimus et conscrvamus cum magnis expensis in protectione nostra cum magno bono et augumento status eorum. Et predecessores sui, et bone memorie condam dominus genitor suus nunquam de eis nobis aliquid dixerunt, sed semper nobiscum amicabiliter vixerunt; unde rogamus, ut Sue Maiestati placeat nobiscum more suorum progenitorum pertransire. Si vero dominus Rex perseveraret in dicendo, quod ius habet in civitatibus Dalmatie, quas tenemus, et quod contentatur de stando cognitioni et iudicio aliquorum ex Principibus mundi; dicant quod nos optamus procedere cum Sua Maiestate per illum habiliorem et expeditiorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputationibus et cavilationibus, inducere habeant et conservare amorem pristinum inter partes; et licet in iure nostro plenissime confidamus; tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum in longum, et generare confusionem inter partes, que tam benevolum et purum amorem affectant, credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone compositionis et amicabilis tractatus: et in hoc casu possint Ambaxatores componere per modum infruscrictum. Et quia de providentia nostrorum Ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipere ab illo capitulo

de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti.

Modus autem est iste: Quod remittente domino Rege et transferente in nos statim libere et expedite absque ulla conditione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor Civitatibus, et generaliter in aliis Civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus, cum pertinentiis earundem, possint Ambaxatores promittere inter Regem et Barones ducatos sexaginta mille vel inde infra quam minus poterunt, facientes hoc predicto domino Regi pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis, vel omnem alium modum magis tutum cum cautellis et renuntiationibus opportunis.

Capta: Si autem dominus Rex non contentaretur, nobis dimictere sic absolute dictas quatuor Civitates, sed potius vellet aliquid annuatim; et foret contentus, quod ipse quatuor Civitates nobis perpetuo et libere remanerent, dimictendo in nobis omnia iura, que haberet seu diceret habere in eis, possint nostri promittere pro ista transactione et concordia ducatos tres mille annuatim, et ducatos octomille Baronibus semel tantum, vel minus dictis quantitatibus, si poterunt; dummodo hoc non fiat per modum feudi, neque dationis seu subiectionis, nec per alium modum, qui possit preiudicare nobis et titulo nostro. Intelligendo, quod in omni casu Rex renunciet et dimittat in nobis perpetuo et libere omnia iura, que diceret seu posset habere in omnibus aliis Civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

247.

VI. Kelemen pápa az elfogott siciliai királyi herczegek kiszabadulása ügyében. 1348.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Miranda valde, sed stupenda potius insinuatio fide digna multorum nostrum nu-

per pulsauit auditum et animum conturbauit, quod tu post ingressum tuum in Regnum Sicilie dilectos filios nobiles viros Regales Domus Sicilie, qui ex affectu caritatis, quam inducebat eis communio sanguinis, in Ciuitate Auersana, vbi tunc morabaris, ut te, sicut decebat Suam Magnitudinem, honorarent, tibi letanter occurrerunt, et sperabant, sicut etiam sperare debebant et poterant, quod tu eos etiam honorares, falsis, sicut probabiliter credimus, persuasionibus circumventus, capi fecisti et detines captiuos; de quo eo potius ammiramur, quo causam et occasionem captiuitatis huiusmodi nec audiuimus, nec possumus cogitare. Cum autem ipsi pro debita vltione sumenda de morte clare memorie Andree Regis Sicilie, germani tui, fecisse dicantur, quidquid potuerint, et ultra quam liceret eisdem, et sicut assertione multorum, qui se super hoc secrete et publice informarunt, percepimus, Regales predicti de scelere mortis eiusdem nunquam fuerunt inuenti culpabiles, sed potius innocentes : Serenitatem Tuam monemus, requirimus et rogamus attente, tibi tui etiam honoris intuitu sinceris affectibus suadentes, quatenus quid honori et statui tuo conuenit, quidue expediat, infra pectoris tui claustra reuoluens, Regales ipsos pro Diuine Maiestatis reuerentia et nostre interuentionis obtutu restituas libertati; nobis quicquid super hoc faciendum duxeris, sine dilatione qualibet rescripturus. Datum Avinione XIII. kalendas Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

In eodem modo Hugolino de Trincis Voyuode Transiluano et Comiti Zolnuk; Stephano Dyonisii Bano de Scenicin (?); Nicolao et Paulo de Lach Militibus et Consiliarijs Ludouici Regis Vngarie; et Johanni Electo Vesprimiensi, ut apud predictum Regem pro liberatione dictorum Regalium efficaciter se interponant.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

248.

A velenczei köztársaság a kibékülés ügyét ajánlja Erzsébet magyar anyakirálynénak pártfogásába. 1348.

Anno MCCCXLVII. die XXVII. Februarii. Capta: Vtile est et commendabile valde perquirere per omnem modum et viam de inveniendo favorem in factis nostris tam arduis, que habemus facere cum Rege Hungarie. Et quia inter cetera favor domine Regine nobis verisimiliter prodesse debet, quam sperare possumus invenire dispositam ad omne bonum pro gratis servitiis sibi impensis : vadit pars, quod mictatur eidem domine Regine per illum modum et cum illis verbis, que videbuntur Domino, Consiliariis, Capitibus et ambabus manibus Sapientum, vel maiori parti huius Collegii ad procurandum, quod cum mictamus nostros solemnes et honorabiles Ambaxiatores ad Serenissimum dominum Regem Hungarie filium suum ad congaudendum de sua excellenti et gloriosa victoria et triumpho digne obtentis in Regno Jerusalem et Sicilie, et ad exponendum ei, quomodo nos et nostra Communitas intendimus, sicut semper fecimus, habere ad Suam Maiestatem specialem devotionem et amorem, et secum vivere in quiete : placeat dicte domine Regine interponere partes suas, ut eius filius dominus Rex Hungarie velit nos habere pro amicis intimis et devotis, sicut predecessores retroactis temporibus habuerunt.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

249.

A velenczei kormánytanács intézkedése követeinek elküldése tárgyában. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die tercio mensis Marcii. Capta: Cum sicut habetur per litteras de Neapoli dominus Rex Hungarie iam concesserit litteras securitatis pro nostris Ambaxatoribus mittendis ad eum, et ob hoc expediens non sit differre

ad expectandum responsionem Nuntiorum nostrorum missorum pro litteris securitatis predicte; et utile sit pluribus respectibus solicitare recessum Ambaxatorum nostrum : vadit pars, quod dicti Ambaxatores teneantur recedere in bona gratia de Veneciis per totam diem lune proximam subsequenter, et prosequi cum omni diligencia et studio iter suum. Qui nostri Ambaxatores vadant cum duobus nostris lignis Marchie et Istrie, que ligna interim reformentur et furniantur XL bonis hominibus, et duobus bonis comitis, et duobus bonis patronis inter ambo, ut sint bene armata, pro quibus lignis statim mittantur, ut Venecias veniant.

Capta : Quod secundum partem pridie captam in isto Consilio mittatur ad significandum domino Mastino dela Scala de missione nostrorum Ambaxatorum cum illis verbis, que Domino, Consiliariis, Capitibus et ambabus manibus Sapientum vel maiori parti videbuntur.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

250.

A velenczei követek megbizólevele. 1348.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, die tertio mensis Marcii, in ducali palacio Veneciarum; presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino Ducatus Venetiarum Cancellario, ac prudentibus viris ser Andrea de Capite Aggeris, ser Stephano de Franchino, ser Guidone Civrano, dicti Ducatus Scribis, et aliis ad hec vocatis testibus et rogatis. Pateat omnibus evidenter, quod Nos Andreas Dandulo Dei gratia Venetirum, Dalmatie atque Chroacie Dux, dominus Quarte Partis et Dimidie totius Imperii Romanie committimus vobis nobilibus viris Marco Justitiano, Andree Mauroceno et Nicolao Gradonico, Ambaxatoribus nostris ituris ad Serenissimum dominum Ludovicum Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Regem, et plenam virtutem et potestatem vobis damus tenore presentium accipiendo mutuo super nostrum Commune ab omni persona tam Veneta quam forensi ad quam meliorem

resam poteritis pro nostro Communi omnem pecunie quantitatem, que vobis necessaria fuerit pro vestris expensis in ambaxata predicta, ac promittendi nomine nostri Communis, quod ipsam pecunie quantitatem, quam propterea acciperetis, dari et restitui faciemus creditoribus seu nuntiis eorum de pecunia nostri Communis infra illud tempus et terminum, quod seu quem per vos fuerit ordinatum, ac promissiones, obligationes, renuntiationes et securitates faciendi omnes et quaslibet, que in predictis et circa predicta fuerint opportuna Et promittimus firmum, ratum et gratum perpetuo habere ac servare et adimplere totum id, quod per vos factum fuerit et promissum in predictis et quolibet perdictorum, et non contradicere vel venire de iure vel de facto sub obligatione bonorum omnium Communis Venetiarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens instrumentum fieri iussimus per Nicolinum de Fraganesco nostri Ducatus Notarium, et bulla nostra plumbea communiri.

(P. H.) Ego Nicolinus de Fraganesco Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venetiarum Scriba predictis omnibus et singulis interfui, et in publicam formam redegi.

(Eredetie bőrhártyán a velenczei nagy levéltárban.)

251.

A velenczei követek további utasítása. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die VII. Martii. Capta: Quod si dicti nostri Ambaxatores obtinere non prossent nostram intentionem per aliquem dictorum modorum. et quod Rex diceret, quod contentatur pocius de stando cognitioni et iudicio aliquorum ex Principibus mundi, et ultra hoc peteret et requireret aliquod locum: quia periculosum esset ita cito et sine aliquo respectu ad submittendum nos iudicio aliquorum, tunc dicti Ambaxatoros prudenter et caute, sicut eis videbitur, audiant, quicquid ipsis peteretur, et sentiant et trahant quicquid poterunt tam de finali intentione dicti domini Regis et suorum supra premissis, quam de omnibus aliis, que viderentur

spectare et pertinere honori nostro et bono negotiorum, et quicquid senserint et habuerint, velociter nobis scribant, et suum consilium, et nostrum expectent mandatum.

Die X. Martii. Capta: Et si per dominum Regem diceretur seu recordaretur aliquid de novitatibus Jadre: respondeant, quod nulla unquam pro parte nostra fuit data nec daretur causa scandali vel erroris inter Suam Maiestatem et nos, quia si civitatem predictam, quam iam trecentis annis et ultra possedimus, recuperare voluimus, et a sua indebita rebellione revocare ipsius summa providentia, hoc sibi ad gravitatem reputare non poterat nec potest, sicut nec fecerunt predecessores sui, et dominus genitor suus, dum fuisset de hoc specialiter requisitus, qui in casu rebellionis, qui pluries contigit, se de ipsa nullatenus intromittere voluerunt, ymo permiserunt nos facere facta nostra, perseverantes nobiscum in antiqua et speciali dilectione predicta. Sumus etiam certi, quod nisi fuisset sinistra et non vera informatio Jadratinorum, aures Sue Celsitudinis in facto predicto minime inclinasset, cum honores sue Corone semper dilexerimus et diligere intendimus toto corde.

Capta: Si vero dominus Rex peteret transitum a nobis cum galeis et navigiis nostris pro transeundo in Sclavoniam causa eundi in Hungariam ipsum vel de suis; respondeatur quod alias in simili casu complacuimus predecessoribus suis et etiam patri et matri eius, et sic ob amorem predictum parati sumus et erimus complacere Sue Maiestati. Et similiter si peteret transitum pro uxore et pro aliis de suis de Hungaria in Apuleam, respondeant, quod pro reverentia Sue Celsitudinis sumus et erimus ad complacendum ei similiter preparati.

Capta: Preterea, si cum Dei auxilio compositio fiet, et dominus Rex pro honore sui diceret, quod postquam presentia nostra non est ibi, intendit factum firmare similiter per sindicos eius; nostri Ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi sindici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper, si in contractu seu scripturis fiendis de predictis dominus Rex poneret in suo titulo Dalmatiam et Croatiam, noster similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, sicut fecit in litteris alias nobis missis, non nominando

Dalmatiam et Croatiam, nostri etiam taceant, dicendo solum: Dux Venetiarum etc.

Capta: Completis autem et firmatis negociis nostris debeant nostri Ambaxatores, sicut et quando eis videbitur, procurare et facere posse suum, quod terre et loca, quas et que tenent Comes Maladinus et fratres, remaneant ipsis Comitibus per illum modum, qui dictis Ambaxatoribus videbitur et facere poterunt.

Capta: Auditis et intellectis litteris, quas nobis concessit dominux Rex Hungarie, affidando Ambaxatores nostros ad ipsum ituros, que sunt satis ad plenum; auditisque verbis Notarii Consulis nostri Neapolis, habitoque respectu, quod Ambaxatores domini Mastini iam sunt ad iter, consulunt sapientes, quod in nomine Domini Ambaxatores nostri recedant in bona gratia de Venetiis, et prosequantur iter suum die Jovis proximo per diem, cum ligna, cum quibus ituri sunt, venerint et bene parata erunt in termino memorato. Et quam velocius fieri potest scribantur Consuli nostro Neapolis nova, que intelleximus de Comite Palatino, qui videtur esse in partibus Trani cum magna gentium comitiva, propter quam videtur, quod caminum de Trano Neapolim minime sit securum; et ideo, cum deliberavimus mittere nostros Ambaxatores, qui recedent in brevi, et quod faciant viam Trani, mandamus ei, quatenus in casu, quo dictum caminum non esset securum pro Ambaxatoribus nostris, procuret per illum cautum modum, qui sibi videbitur, et cum hiis, que videbuntur eidem, de faciendo, quod nostri Ambaxatores possint secure ire Neapolim, solicitando hoc quam plus poterit, ne Ambaxatores nostri, cum erunt in Trano, ullam propterea induciam reciperent, vel aliquam tarditatem.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból.)

252.

Békealkudozási felhatalmazvány a velenczei követek számára. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die XII. Marcii. Capta: Quod fiat sindicatus in personam nobilium virorum ser Marci Justiniano, ser Andree Mauroceno et ser Nicolai Gradonico, Ambaxatorum nostrorum ad dominum Regem Hungarie in omni forma neccessaria, et tantum ad plenum, quantum plus esse potest. Et omnes Notarii Curie sint rogati facere instrumentum: Dominus Cancellarius ser Nicolinus, ser Marcus Vulpe, ser Raphainus, ser Nicoletus de Alexio.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, die duodecimo mensis Martii, in Ducali palatio Venetiarum, in sala, in qua consueverunt infrascripta Consilia congregari, presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino, Ducatus Veneciarum Cancellario, providisque viris ser Nicolino de Fraganesco, Johanne Vido, Marco Vacumdeo, dicti Ducatus Venetiarum Scribis, et aliis. Illustris et Magnificus Dominus dominus Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum Dux etc. de voluntate et consensu suorum Consiliorum Minoris, Rogatorum et de Quadraginta ad infrascripta ad sonum campane et vocem preconiam more solito congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam due partes dictorum Consiliariorum, et cum eis, et homines dictorum Consiliorum, de auctoritate et consensu dicti domini Ducis, et cum eo, unanimiter et concorditer nemine discrepante, suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus, ac nomine et vice Communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Marcum Justitiniano, Andream Mauroceno et Nicolaum Gradonico, honorabiles cives Veneciarum, absentes tamquam presentes, suos et dicti Communis Sindicos, Procuratores, actores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et

finire; specialiter ad eundum ad Serenissimum Principem dominum Lodoycum Dei gratia illustrem Hungarie, Jerusalem es Sicilie Regem, et ad conveniendum cum ipso domino Rege seu deputandis ad eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum legittime pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam, et transactionem pro ipso domino Duce et Communi Veneciarum et eorum successoribus perpetuo, et pro suis complicibus, subditis, adherentibus sequacibus et amicis de omnibus et singulis litibus, querelis, petitionibus, controversiis, questionibus, discordiis et differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mistis, ubicumque, quomodocumque, qualitercumque per quoscumque illata et facta extiterint, et quocumque tempore; et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem, quitationem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur; et ad obligandum ipsum dominum Ducem et Commune Veneciarum et suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti sindici vel alter eorum promiserint et fecerint in et de predictis et quolibet predictorum cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, penarum adiectionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis, et ad recipiendum a dicto domino Rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino Rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocumque alio nomine datas traditiones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quitations, liberationes, remissiones et obligationes quascumque super omnibus et singulis antedictis et connexis et dependentibus ab eisdem et quolibet eorumdem, cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus et allis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et ad compromittendum et compromissum faciendum semel et pluries de et super predictis omnibus et ipsorum quolibet et singulis eorumdem, et dependentibus et conexis ab eisdem et eorum quolibet cum ipso domino Rege seu deputandis ab eo pro se et successoribus suis in per-

petuum, et ad eligendum unum et plures arbitros et arbitratores, commissarios et amicabiles compositores, prout eis et eorum cuilibet videbitur et placebit, cum quibuscumque conditionibus, pactis, formis et modis, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus, obligationibus, renunciationibus, satisdationibus, stipulationibus, solemnitatibus et clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis, et ad emologandum et de emologatione promittendum et faciendum cuiuslibet sententie, laudi, arbitrii, arbitramenti et amicabilis compositionis, que per dictos arbitros, arbitratores, commissarios vel amicabiles compositores concorditer lata vel latum fuerit; et generaliter ad predicta et omnia alia et singula tractandum, firmandum, faciendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes prefati dominus Dux et Consilia supradicta eisdem suis Sindicis et Procuratoribus, et cuilibet eorum plenam, liberam et generalem amministrationem et mandatum tractandi, firmandi, faciendi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta et connexa et dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerit in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus Dux et Commune Veneciarum totum facere possent, si personaliter interessent; promittentes ipse dominus Dux et Consilia supradicta pro se et successoribus suis modis, formis et nominibus supradictis michi Notario infrascripto tamquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini Regis et suorum successorum, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et invoilabiliter observare omnia et singula, que iidem sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, compleverint, aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium Communis Veneciarum presencium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem prefatus dominns Dux mandavit presens istrumentum publicum fieri per

me Ntarium infrascriptum, et eius bulla pendenti plumbea communiri.

(P. H.) Ego Stephanus de Franchino, Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venetiarum Scriba, predictis interfui, eaque de mandato ... illustris domini Ducis atque rogatus scripsi, et in hanc publicam formam redegi signoque meo solito et noto nomine roboravi.

(Eredetie bőrhártyán a velenczei nagy levéltárban.)

253.

I. Lajos magyar király, mint jerusalemi és siciliai király, megerősiti a nápolyi hittani főiskola jövedelmét. 1348.

Pro conservatione Studii Theologie Neapolis.

Lodovicus Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Monti Sancti Angeli Dominus, vuinersis presentis indulti seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Operam daturus est Princeps, ne que contra fas gesta sunt, fructum obtinere non debeant, (et ut) ea que bene recteque gerantur, firmitatis effectu et vigoris robore fulciantur. Sane pro parte religiosorum virorum Prioris et Conventus loci Sancti Dominici Predicatorum, Guardiani et Conventus loci Sancti Laurentii Minorum Beati Francisci, ac Prioris et Conventus loci Sancti Augustini Heremitarum Ordinum de Ciuitate Neapolis deuotorum nostrorum oblata Culmini Nostro petitio continebat, quod olim clare memorie Princeps inclitus dominus Carolus Secundus Jerusalem et Sicilie Rex illustris, reverendus proauus et dominus noster, pro conservatione Generalis Studii Theologie Divine scientie, et substentatione studentium suas eisdem concessit licteras suo magno Regio in cera rubea pendenti sigillo munitas, que in nostra Curia presentate tenoris erant per omnia subsequentis: Karolus Secundus Dei gratia Rex Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forqualquerii

ac Pedimontis Comes, vniuersis presentis scripti seriem in-specturis tam presentibus quam futuris. Conferri venerandis Ecclesiis immensitas mensura censetur digna; propterea et provide agimus, si gratias nostras concessas eisdem per sacramenta fructifera piis desideriis adaugemus. Sane olim Sacris Domibus religiosorum fratrum Predicatorum Beati Dominici, Minorum Beati Francisci, et Heremitarum Beati Augustini, sitis in Ciuitate nostra Neapolis, gratiam fecimus, quam patentes nostre lictere continent subdistinete per omnia seriei: Karolus Secundus Dei gratia Rex Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii Comes, vuiuersis presentis scripti seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Si premia conferuntur hominibus retributiones merentibus, impenduntur Diuine Clementie, a qua cuncta que habet, recipit humana conditio; largitiones sunt exhibende prestantius, et munificentie promptis affectibus uberius ampliande. Sane pensantes, quod Sacre Religiones in Domibus, fratrum Predicatorum videlicet Beati Dominici, Minorum Beati Francisci, et Heremitarum Beati Augustini, sunt specialis hortus Ecclesie, fructiferarum scilicet arborum et fructuum Beatorum, suntque precipuum Catholice fidei firmamentum: illas merito manutenere disponimus, fratres eorum, qui preter Diuina colunt officia Sacris — — — — iugiter disciplinis regere et conservare in studio quo versantnr. Sicqua de certa scientia nostra, liberalitate mera et gratia speciali, Religionibus Vestris, que sunt in Ciuitate nostra Neapolis, ut studium ibi Diuine scientie Generale conseruent, de subdistincta quantitate pecunie annua in juribus et super juribus dohane nostre Neapolis, ferri videlicet, picis et aczarij, duximus usque ad Maiestatis Nostre beneplacitum providendum; fratribus scilicet Predicatorum de vncijs octoginta, Minoribus quadraginta, et Heremitanis triginta ponderis generalis per annum exhibendis successive ipsis per terminos competentes. Ita quidem, quod sicut valor annuus siue venditio jurium cabelle predicte crescet aut decrescet inantea, sic ipsa provisio dictis Religionibus augeatur et minuatur pro dicta ratione debita successine; sic equidem, donec Studium in Ciuitate ipsa Generale seruauerint Diuine scientie supradicte. In cuius

rei testimonium presens scriptum triplicatum fierj, vt unumquodque consimile penes unamquamque Religionum ipsarum remaneat, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo iussimus communirj. Actum et datum Neapolj per Bartholomeum de Capua militem, Logothetam et Prothonotarium Regni Sicilie. Anno Domini millesimo trecentesimo secundo die vicesimo quarto Decembris prime indictionis Regnorum nostrorum anno octauo decimo. — Nunc autem cupientes predictam nostram gratiam adaugere, ut quod directe repugnante licentia nequimus explicite facere, agamus pio proposito per obliquum; concessione ipsa nostra pridem immediate collata, religionibus ipsis, prout supra describitur, pretacte considerationis intuitu per resignationem religiosorum ipsorum in nostris manibus factam revocata, religiosis mulieribus Priorisse et Conventui Monasterij Sancti Petri ad Castellum de Neapolj dicti Ordinis Beati Dominici et eidem Monasterio predistinctas annuas pecunie quantitates, que in compilata summa collecte sunt vncie centumquinquaginta ponderis generalis, in iuribus et super iuribus dicte dohane nostre Neapolis, ferri videlicet, picis et aczarij exhibende, successiue singulis annis Priorj seu Procuratorj dicti Monasterij per terminos competentes: ita quod sicut valor annuus seu venditionis jurium predicte cabelle crescet aut decrescet in antea, sic et ipsa donatio dicto Monasterio angeatur et minuatur pro dicta rata debita successiue in perpetuum subscripto modo, damus donamus atque concedimus Divine pietatis intuitu de certa nostra scientia, liberalitate mera et gratia specialj; sic equidem, quod per manus dicti Prioris seu Procuratoris ipsius Monasterij Sancti Petri prefatis Religionibus, vel earum Prioribus et Guardiano pro illis, donec Studium in ipsa Ciuitate Neapolis Generale seruauerint Theologie Divine scientie supradicte, per terminos competentes eosdem pro substentatione studentium predistincte singule quantitates, videlicet dictis Predicatoribus octoginta, Minoribus quadraginta, et Heremitis triginta vncias auri dicti ponderis annis singulis in perpetuum intregre tribuantur, ut perseveranter auctore Domino maneat pium nostrum in hac parte propositum, et per quoddam consequens assequatur effectum, quod erat futile per directum, non obstantibus tam

prescriptis, quas lacerarj precipimus, et de regestris nostre Curie cancellarj, quam quibusuis alijs nostris licteris in contrarium inde datis. In cuius rei testimonium presens scriptum nostrum quadruplicatum fierj consimile, ut suum tam dictum Monasterium, quam vnaqueque dictarum Religionum penes se habeat, et pendentj Maiestatis Nostre sigillo iussimus communirj. Datum Neapolj per manus eiusdem Bartholomei de Capua militis, Logothete et Protonotarij Regni Sicilie. Anno Domini MCCCVI. die primo Julij quarte indictionis Regnorum nostrorum anno vicesimo octauo. — Deuota per eosdem religiosos nobis supplicatione subiuncta, ut predictam concessionem Regiam confirmare pro abundantioris cautele suffragio per nouum nostre ratificationis et approbationis monimentum expediens benignius dignaremur. Nos igitur ex zelo interne caritatis, qui ad Ecclesias ecclesiasticasue personas nos provehit, illarum causas debitis intententendentes fulcirj presidijs, et oportunis fauoribus confouere: eorundem religiosorum supplicationem in hoc ad exauditionis gratiam admictentes, concessionem iamdictam, tam piam causam et fauorabilem confouentem, siquidem ex vigore dictarum Regiarum litterarum in illius habitationis et perceptionis possessione dicti religiosi seu Monasterium prefatum existant, presentis indultj serie de certa nostra scientia et specialj gratia ratificamus, confirmamus ac etiam approbamus, iuxta ipsarum litterarum continentiam et tenorem, has nostras licteras in huius rej testimonium concedentes. Datum Neapolj per Mattheum de Porta de Salerno, Juris Civilis Professorem, Magne Curie Magistrum Rationalem, Locumtenenentem Prothonotarij Regni Sicilie, anno Domini MCCCXLVIII. die quartodecimo Martij prime indictionis; Regnorum nostrorum Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo.

(A nápolyi Bibliotheca Brancacciana kézirattárából »Raccolta de Scritture« V. G. 30. 83. l.)

254.

VI. Kelemen pápa a fogságban lévő siciliai királyi herczegek kiszabadulása ügyében. 1348.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum illustri salutem. Cum, sicut intelleximus insinuatione multorum, carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Vngarie illustris post ingressum suum in Regnum Sicilie, quondam Karolum Ducem Duratii morti tradiderit, et dilectos filios nobiles viros Regales alios Domus Sicilie ceperit, eosque miserit in Vngariam captivatos; Nos attendentes, quod Regales ipsi de crimine mortis clare memorie Andree Regis Sicilie, sicut multarum notabilium personarum, que super hoc secrete et publice informarunt se, attestatione cognouimus, innocentes sunt, et pro illa vindicanda fecerunt, quicquid facere potuerunt; et proinde ipsis tanquam inocentibus pie compassionis exhibentes affectum, pro eorum liberatione dilectum filium Magistrum Johannem de Pistorio Decanum Ecclesie Sancti Saluatoris Traiectensis, Capellanum nostrum, ad partes illas prouidimus destinandum. Quocirca Serenitatem Tuam requirimus et hortamur attente, ac in Domino attentius deprecamur, quatenus premissis in examen debite consideratienis adductis, pro liberatione ac preseruatione ab omni noxia novitate Regalium predictorum apud eundem Regem Vngarie, et carissimam in Christo filiam nostram Margaritam illustrem natam tuam, te pro Diuine Maiestatis reuerentia et nostre interuentionis obtutu fauorabiliter et efficaciter interponas; que ipse Magister Johannes super hoc pro parte nostra retulerit, indubie credens, et ad effectum debite prosecutionis adducens, ita quod apud Deum merito, et apud nos fauore concrescas, et apud homines digne laudis preconio attolaris. Datum Auinione XVI. kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

In eodem modo Stephano nato clare memorie Karoli Regis Vngarie Duci Transiluano; Alberto Duci Austrie, Johanne Ducisse Austrie; Chanadino Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Quinqueecclesiensi, Comiti Paulo Judici

Curie Regie, Thome Magistro Janitorum Ludouici Regis Vngarie, Paulo de Hugal Prothonotario Curie Regis Vngarie, Andree Comiti Trium Generum Siculorum, Bertrando Patriarche Aquilegensi, Comiti de Sebus et Kew, Laurencio Comiti Semproniensi et Castri Ferrei.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

255.

Dusan István szerbiai czárnak levele a velenczei köztársasághoz Cattaro város érdekében. 1348.

Millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, die primo Aprilis, prime indictionis. Exemplum litterarum domini Imperatoris Romanie pro pactis Catari, sigillatum bulla aurea.

Stephanus dei gratia Grecorum Imperator, amico nostro predilecto domino Andree Dandulo eadem gratia dignissimo Duci Venetiarum, Dalmatie atque Chroacie, nec non Domino Quarte Partis, et Dimidie tocius Imperii Romanie, salutem prosperam et felicem, tanquam fratri preamantissimo. Litteras vestras nobis missas gratanter recepimus pro confirmatione concordie et pacti, ut prius fuit, inter Commune vestrum et Commune nostrum, et hominum fidelium Nostre Maiestatis Civitatis Catarensis, pro pactis, ut prius confirmata fuerunt ad biennium, que iam in proximo finem habent. Modo iam Fraternitas Vestra apud Maiestatem Nostram petivit et requisivit, quod nostro mandato pactum, et concordiam, ut nobis patet, inter Commune nostrum Catari deberemus prolongare ad octo annos, quod amore vestri et intuitu amicitie animo volenti facere volumus, quod imposterum semper dignitas vestra cognoscat, nos esse vobis amicum specialem. Vnde transmittatis virum idoneum vestri Communis cum litteris vestris ad fideles nostros Catari, qui cum ipsis Catarensibus confirmet pacta et concordia, ut antea fuerunt. Quia nos fidelibus nostris Catarensibus dictis seriose et districte mandamus et precipimus, quod fata pacta et concordia usque ad octo annos proxime venturos confirment, ut prius fuit,

inter Commune Vestrum et Commune ipsorum Catarensium, Quia semper volumus et intendimus adimplere voluntatem vestram quantum magis possumus. Rogamus eciam, ut dignemini precipere vestratibus, ne nostri Catarenses ab eis sine iure aliquod gravamen non habeant.

(A »Copia de Commermoriali« velenczei államkönyvből IV. kötet 2. r.)

256.

Az I. Lajos magyar királyhoz küldött velenczei követeknek uj utasítása. 1348.

Anno MCCCXLVIII. indictione prima, die VIII. Aprilis. Capta : Quod respondeatur Ambaxatoribus nostris, quod per Raphaynum Notarium nostrum intelleximus quecumque fecerunt cum domino Rege Vngarie et cum tractatoribus suis; de quibus omnibus et modis per eos servatis in factis sibi commissis providentiam et sollicitudinem suam plurimum commendamus. Sed quia optamus per omnem modum, quo fieri potest, pervenire ad pacem, concordium et acconcium cum domino Rege prefato : mandamus eis, quod per omnem viam, qua poterunt, studeant accedere ad presenciam Regiam, ubicumque erit, et exponant, quod affectantibus nobis cum Magnitudine Sua pertransire in amore pacifico et tranquillo more suorum predecessorum, procul pulsis et remotis quibuscumque valentibus contrarium inducere vel generare, et ob hanc nostram disposicionem bonam fiduciam assumentes, sperabamus Maiestatem Suam invenire propiciam et benignam ac pronam ad hunc amorem confederandum; sed auditis nuperrime postulacionibus Regiis, que ab omni equitate semote existunt, non modicum admiramur et nullatenus eas fieri per Regiam Maiestatem credere poteramus; et quia in tantum sunt inaudite et ab equitate semote, non putamus Regiam Maiestatem in tam duro aspero proposito suo diucius constare, maxime intuitu disposicionis nostre, quam erga eius Coronam gerimus et habemus. Et propterea ad presenciam

Sue Maiestatis vos transmittimus, ut si dignaretur velle animum suum declinare ad ea, que licita sint et honesta, parati sumus pro parte nostra facere, quod honorem Regium respiciat, et bonum et concordium inter partes valeat inmittere; cum hiis et aliis verbis, que dictis Ambaxatoribus videbuntur pro bono negociorum. Et si ipsi Ambaxatores ingressum habere non possent coram Regia Maiestate, hec eadem verba narrent illis, qui ad hoc deputabuntur per dictum Regem prefatum. Et hiis dictis et expositis audiant Ambaxatores, quid dicet dominus Rex, et fortificent et substineant iura nostra in quantum scient et poterunt in facto tituli nostri cum illis rationibus, que videbuntur discrecioni sue, ostendendo occasione cum — — — replicandis, quod Civitatem nostram Jadre cum omnibus pertinenciis et insulis suis per spacium annorum CCC et amplius possedimus iuste et legiptime, cum iusto et vero titulo sine contradiccione aliquorum suorum predecessorum — — — — et aliis, que dici et ostendi poterunt in facto premisso; et procurent per omnem maneriam qua poterunt removere ipsum dominum Regem a tam ampla, disona et generali requisicione sua. Et finaliter si viderent, ipsum dominum Regem ab hoc removeri non posse, dicant et exprimant clare, quod non intendimus Civitatem nostram Jadre dimittere ullo modo, quia nobis legiptime spectat, et nostra est.

Capta : Et si dominus Rex, senciendo hanc nostram firmam intentionem de nollendo dimittere Jadram, condescenderet aut condescendi ostenderet de dimittendo illam nobis in totum, et de aliis Civitatibus, scilicet Tragurio, Spalato (Nona) et Sibenico, perseveraret in postulacione sua; procurent dicti Ambaxatores omni modo et forma, quibus poterunt, quod ipsas Civitates habere et tenere possimus per modos in sua commissione contentos, quia tam rationabiles et iusti existunt, quod ipse dominus Rex verosimiliter de eorum aliquo contentari deberet. Sed in casu, quo per aliquem modorum ipsorum aconcium cum Rege invenire non possent, habeant dicti Ambaxatores libertatem possendi expendere inter Regem et Barones usque ducatos centum millia auri et inde infra, ut melius poterunt, sicut habebant de libris LX millia. Et si per alium modum de solvendo aliquid annuatim viderentur no-

stram intencionem percipere posse, habeant libertatem dandi annuatim domino Regi ducatos V milia et inde infra, ut melius poterunt, sicut habebant libertatem de tria millia, cum aliis cautelis in sua commissione contentis.

Capta: Et si per expositionem predictorum tangerentur Ambaxatoribus nostris per dominum Regem vel alios deputatos ab eo aliqua verba, declinando se a sua peticione predicta taliter, quod possent facere aconcium et concordiam cum ipso domino Rege per aliquem modorum contentorum in eorum commissione, vel per modum expendendi etiam ultra quam contineatur in sua commissione, secundum ea que protraentur in parte precedenti de C millia ducatorum etc.; compleant et faciant in bona gratia secundum formam commissionis sue vel libertatis predicte noviter sibi date. Sed si dominus Rex condescenderet ad aliqua particularia, petendo aliquid in speciali extra predicta, per quod viderent posse sequi pacem et concordiam inter Regiam Maiestatem et nostrum Dominium, intelligendo videlicet quod dominus Rex esset contentus, quod Jadra cum pertinentiis suis, et etiam quelibet insule maritime, quas tenemus ibidem, remanerent in nobis; in hoc casu quecumque habuerint de novo, rescribant nobis cum suo consilio, et nostrum expectent mandatum, providentibus eis in hoc casu ad securitatem personarum suarum, cum terminus litterarum fidancie per totum mensem Maii proximum expiret.

Capta: Et si dominus Rex in aliquo condescendere nollet, et in sua peticione perseveraret, vel penitus diceret, quod vellet Jadram vel alias omnes insulas maritimas, quas tenemus, vel ipsarum aliquam; tunc cum verbis decentibus commeatum assumant et dicant, quod ipsi de nostro precepto laboraverunt, ut pacem et concordiam inter partes inducere possent; sed postquam composicio aliqua sequi non poterat, repatriare intendunt, et Regia Maiestas considerabit honorem suum, et Deus Pater Omnipotens, qui semper tenuit in amore pacifico suos predecessores cum Dominio Veneciarum, in hoc disponet et faciet honorem Regium et bonum nostrum; et hiis dictis Venetias revertantur.

Capta: Et primo et principaliter sumpto hoc nostro mandato, sicut discretioni eorum videbitur, et per abiliorem

modum, quo poterunt, precipiant Consuli nostro Neapolis et omnibus mercatoribus per Regnum existentibus, quod cum personis et bonis eorum debeant recedere ex toto Regno quam cicius poterunt, ut damnum aliquod pati non possint; et donec ipsi Ambaxatores illuc erunt, procurent omnem expedicionem mercatorum et mercacionum iuxta posse, et non recedat propterea Consul nisi recesserint mercatores et naves.

Capta : Preterea per presentes galeas Culphi scribatur Consuli nostro Clarencie, quod per ea, que habemus ab Ambaxatoribus nostris, quos destinavimus ad dominum Regem Hungarie, nondum plene sentire potuimus, quomodo facta nostra procedant cum domino Rege prefato; sed per ea, que sensimus, pocius habituri sumus cum eo discordiam quam concordiam; et propterea mandamus ei, quatenus si sentiret quod dominus Rex esset habiturus contractam vel alia nova, per que esset verisimiliter dubitandum, caute et secrete reddat provisos mercatores nostros, qui sunt in partibus illis, ne possint recipere damnum, et quod commisimus Capitaneo nostro Culphi, quod eos et bona sua levet pro conducendo ipsos Mothonum et Coronum vel Patras vel ad alium locum securum, sicut melius poterit cum minori sinistro armate. Et notificentur premissa etiam Consuli nostro Corphu, et Consuli nostro Durachii, ut in factis suis possint esse provisi.

Capta : Quia in casu, quo debeamus esse discordes cum domino Rege Hungarie, multum facit pro nobis presentire de intentione et proposito, que habet dominus Papa et Curia Romana erga ipsum dominum Regem, et periculosum sit per litteras significare aliquid in Curia super inde, quia littere per Lombardiam aperiuntur ubique; consulunt sapientes, quod mittatur unus Notarius Curie Avinionem cum litteris credulitatis ad Amadeum, qui est ibi pro nostro Communi, et dicat sibi pro parte nostra illa verba, que erunt sibi commissa per Dominum, Consiliarios, Capita et Sapientes, vel per maiorem partem ipsorum, pro senciendo a domino Tutelensi et a domino Petragorgensi et aliis, qui viderentur dicto Collegio, dispositionem domini Pape et Cardinalium in facto Regis predicti, et cum omni informacione, que habere potuerit in pre-

missis, dictus Notarius velociter Venecias revertatur, et in eius reversione erimus hic, et fiet, sicut videbitur.

Capta : Quod in bona gratia incipiat laborari et fieri catena, de qua alias scripserunt nobis Comes et Consiliarii nostri Jadre pro portu nostro Jadre, et pro securitate dicte terre; et scribatur eis, quod rescribant et informent nos de longitudine dicte catene, et de omni eo, quod vident neccessarium pro faciendo ipsam catenam per modum convenientem, ut informati per eos, sciamus melius, qualiter fieri et laborari debeat dicta catena.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. B.)

257.

A velenczei kormánytanács válaszol Dusan István szerbiai czár levelére. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die X. Aprilis. Capta : Cum nobis debitum sit complacere domino Imperatori Raxie et Grecorum, qui in omnibus nobis gratis semper se ostendit favorabilem et promptum, consulunt (sapientes), quod super primo capitulo requisitionis seu Ambaxate sue nobis oretenus explicate, per quam petit tres galeas omnibus armis necessariis munitas pro aliquibus sibi incumbentibus possit hinc extrahi facere; respondeatur, quod considerata dilectione hinc inde ingente, que semper gratis et mutuis serviciis propagata existit et propagabitur Deo dante, sumus contenti complacere Maiestati Sue Imperiali secundum requisicionem suam, quamvis similem gratiam aliquibus de mundo nunquam consueverimus facere, sed pocius contradicere.

Capta : Ad unum capitulum continens, quod si placeret nobis, libenter interponeret partes suas ad tractandum, quod inter dominium Regem Hungarie et nostrum Ducale Dominium reformetur pax et concordia cum honore nostro; respondeatur, quod toti mundo et Sue Maiestati potest esse notoria magna reverentia et amor, quem nostrum Dominium gessit erga predecessores domini Regis Hungarie, quos in multis casibus honoravimus et amicabiliter servivimus — —

— — — et est nostri propositi servare et facere cum domino Rege presenti; nec perpendere possimus, quod per nos sit — — — encia vel causa iusta turbationis contra nos. Verum de tam benigna et magnifica oblatione nobis facta pro parte sua per dictum Ambaxatorem et etiam per suas litteras nobis missas, volentes pro concordio inter nos et dictum dominum Regem Hungarie amicabiliter interponere partes suas, Imperiali Excellentie merito refferimus gratiarum actiones. Quam oblationbm gratissime, ut pro honore suo expedit, acceptantes sumus contenti, quod se interponat; et si posset procurare et facere, quod dominus Rex predictus disponat animum suum ad vivendum et — — — — nobiscum in pace et amore, sicut sumus dispositi erga eum, hoc nobis gratum esset multipliciter — — — — — subiungendo, quod per Ambaxatores nostros, destinatos ad dominum Regem Hungarie, sensimus, quod Ambaxatores Sue Maiestatis apud dictum Regem tetigerunt ei pulcra et graciosa verba in favorem nostrum, de quo sibi regraciamur immense, credentes eum continuo reperire dispositum ad conservationem nostram pariter atque statum.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lít. B.)

—— ——

258.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedése Corfu szigete vagy vára tárgyában. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die XIII. Aprilis. Capta: Quia multum esset utile factis nostris, in casu quo debeamus esse discordes a domino Rege Hungarie, habere in nostra custodia locum et castrum Corphu, dummodo hoc fiat caute et per talem modum, quod non preiudicet factis nostris: vadit pars; quod notificetur per Rafainum Ambaxatoribus nostris, quod si viderint, quod simus in discordia cum domino Rege predicto, debeant quam citius et quam cautius poterunt cum sua securitate dare inde noticiam Comiti nostro Ragusii, et per aliam viam sicut sue discretioni videbitur, Capitaneo no-

stro Vnionis vel Culphi. Et scribatur dicto Comiti Ragusii, quod si habuerit ab Ambaxatoribus nostris, quos habemus ad Regem Hungarie, quod simus in discordia cum eo, statim absque ulla dilacione debeat hec scribere per unum lignum armatum Capitaneo Vnionis vel Culphi, qui debent se reperire in partibus Mothoni. Et scribatur dictis Capitaneis nostris, quod si senserint per litteras dicti Comitis nostri, vel per litteras Ambaxatorum nostrorum, quod (sit discor)dia cum domino Rege predicto, dent operam et procurent suo posse per illam viam et modum, qui videbuntur eis pro honore nostro et bono negocii ac securitate sua, quod insula et castrum de Corphu se submittat nostro Dominio, faciendo et procurando ipsi caute, ut possint habere et consequi nostram intentionem cum honore nostro et salvamento suo, ut dictum est, et possit dictus Capitaneus vel Capitanei, qui ibit vel ibunt pro isto negocio, expendere et dare sicut putabit vel putabunt ipsi utile pro consecutione facti. Et si non possent habere locum et insulam libere, sint contenti accipere castrum in nostra custodia, salvis iuribus quorumcumque.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. B.)

259.

I. Lajos magyar király mint Siciliában saját nevében uralkodó király. 1348.

A) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei eterni. Anno ab Incarnacione eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octavo die terciodecimo mensis Aprilis I. indiccionis. Regnante Domino nostro Ludoyco Dei gracia Serenissimo Hungarie, Jerusalem et Siclie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Crohacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Vulgarieque Rege, Principe Salernitano, et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero eius Hungarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie autem primo. Nos

Nicolaus de Peregrino Auersane Ciuitatis Judex, Paulus de Coruo Publicus eiusdem Ciuitatis Notaris, et testes subscripti, videlicet Jacobus Cata Syri Rahonis Nuncius de Landrono de Auersa, Petrus de Brusso de Neapoli, ad hoc specialiter vocat. et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur: quod venerabilis vir Abbas Marthirius de Cristis de Auersa, Vicarius Reverendi in Christo Patris et Domini, domini fratris Bernardi Dei gratía Abbatis Monasterij Sancti Laurencij de Auersa, prout nobis constitit per publicum instrumentum Vicariatus nomine et pro parte ipsius domini Abbatis et Conuentus eiusdem Monasterij, in vnum ad sonum campane in predicto Monasterio more et loco solitis congregati; considerantes et actendentes satis grata, vtilia et accepta seruicia, que Bartholomeus de Martino de Villa Sancti Petri de Nucilleto pertinenciarum Calea, dicto Monasterio prestitit etc.; et volentes eidem pro parte dicti Monasterij tanquam bene merito retribucionis beneficio respondere; et pro eo eciam, quod predictus Bartholomeus personaliter et manualiter coram nobis dedit et soluit eidem Abbati Marthirio Vicariatus nomine et pro parte eiusdem domini Abbatis recipienti ad generale pondus tarenos auri viginti sex; eorum bona, gratuyta et spontanea voluntate in perpetuum confirmauerunt predicto Bartholomeo et heredibus suis legitimis etc. peciolas terre quinque etc. etc. Vnde ad futuram memoriam et predicti Monasterii cautelam factum est exinde presens puplicum instrumentum, quod scripsi et meo signo signaui:

Ego predictus. Notarius Paulus, qui rogatus interfui. (Monogramma.)

Ego qui supra Nicolaus Judex (Monogramma.)

B) In nomine Dei eterni, et saluatoris nostri Ihesu Christi amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Domino nostro, domino Ludoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Vulgarie Comanieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regni sui Vngarie sex-

to, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen; die quarto mensis Maij prime indictionis Neapoli. Nos Lucas de Gaieta de Neapoli Judex ad contractus; Jacobus Torneatus de Neapoli Publicus per Provincias Terre Laboris, Comitatus Molisij et Principatus citra Serras Montonij Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico declaramus, notum facimus et testamur stb. (Loyse Morniale nápolyi orvosnak végrendelete.)

C) Incarnacionis Domini nostri Ihesu Christi anno millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Serenissimo Domino nostro, domino Lodoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Vulgarieque Rege, Principe Salernitano, et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regni eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Mense Madij die nono eiusdem, prima indictione apud Botontum. Nos Colluczio Angeli Botonti Judex, Sabinus de Leone Puplicus per Provinciam Terre Bari Regia auctoritate Notarius, et infrascripti testes de Botonto stb. presenti scripto publico testamur stb. (Ház eladás).

D) In nomine Domini nostri Ihesu Christi anno a Nativitate eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Domino nostro Ludoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Vulgarieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regni vero eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter. Amen. Mense Madij die nono eiusdem, prima indictione aqud Barolum. Nos Vmfredus de Lauretta dicte Ciuitatis Baroly Judex, Thomas Palmerij de Fasano Palmerij de Barulo Publicus Notarius, et subscripti tes-

tes ad hoc specialiter vocati et rogati declaramus, notum facimus, et testamur stb. (instrumentum solutionis census.)

E) In nomine Domini Dei Eterni et Saluatoris nostri Jesu Christi Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Domino nostro, domino Lodoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Die sextodecimo mensis Maij prime indictionis Neapoli. Nos Leonardus Archamonus Judex Ciuitatis Neapolis ad contractus, et Jacobus Torniatus de Neapoli Publicus per Provincias Terre Laboris et Comitatus Molisij, ac Principatus intra Serras Montonij Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico declaramus, notum facimus et testamur stb. (Egy magánzónak végrendelete a sz. Sebestyén czimű zárda javára Nápolyban.)

F) In nomine Domini nostri Ihesu Christi, anno a Natiuitate ipsius millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Serenissimo Domino nostro, domino Lodoyco Dei gracia inclito Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Vulgarie, Lodomerie, Gallicie, Cumanieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Die vigesima quinta mensis Maij prime indictionis Neapoli. Nos Orlandus de Palmerio de Neapoli per Provincias Terre Laboris et Comitatus Molisij ac utriuscue Apulie Judex ad contractus ad vitam, Cicius Scarola de Neapoli Publicus per totum Regnum Sicilie Notarius, et testes

subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur stb. (Eladási szerződés.)

G) In nomine' Domini Dei Eterne et Saluatoris nostri Jesu Christi Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Domino nostro, domino Lodoyco Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie Lodomerie, Vulgarie Cumanieque, Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino; Regni vero Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Dic vigesimo sexto mensis Maij prime indictionis Neapoli. Nos Lucas de Gaieta Judex ad Contractus, Jacobus Torniatus de Neapoli Publicus per Provincias Terre Laboris et Comitatus Molisij ac Principatus citra Serras Montonij Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati per presens scriptum declaramus, notificamus et testificamur stb. (Végrendelet).

H) In Dei nomine Amen. Anno a Nostivitate eius millesimo trecentesimo quatragesimo octuo. Regnante domino Lodoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerie, Vulgarie Cumanieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero dicti Regis in Regno Vungarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Die penultimo mensis Maij prime indictionis Neapoli. Nos Landulfus de Ebulo de Neapoli Judex dicte Ciuitatis Neapolis, Anellus Intinillus de dicta Ciuitate Neapoli Puplicus per totum Regnum Regia auctoritate Notarius stb. (Végrendelet.)

I) In nomine Demini nostri Jesu Christi Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Serenissimo Domino nostro Lodovico Dei gracia Vngarie, Jerusalem et

Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Vlgarie Cumanieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero eius Vngarie anno sexto et Sicilie anno primo feliciter Amen. Mense Maij die penultimo eiusdem, prima indictione Manfredonie. Nos Nicolaus de Regonia Regius per Provinciam Capitaneate Judex, Benedictus Pandeus Puplicus per totum eandem Provinciam Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti stb. (Végrendelet.)

K) Anno Incarnacionis Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante domino Lodoico Dei gracie Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Vulgarie Cumanieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero dicti Regis in Regno Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo feliciter Amen. Mense Junii die penultimo eiusdem, prima indictione apud Botontum. Ego Angelus filius quondam ser Nicolai de Guarnerio infirmus iacens stb. (Végrendelet.)

L) In nomine domini Dei Saluatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnacione eius millesimo trecentesimo quatragesimo octauo, mense Julii die vicesimo tercio eiusdem, prima indictione aput Tramontum. Regnaute Serenissimo Domino nostro, domino Lodoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rege, ac Principe Saleritano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo. Nos Adenolfus de Fontanella de Tramonto ad Contractus Judex, Thomasinus de Alfano de Tramonto Puplicus eiusdem Terre Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti stb. (Eladási szerződés.)

M) In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo octano. Regnante Serenissimo Domino nostro domino Lodoyco Dei

gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rege, Principe Salernitano et Honoris Montis Sancti Angeli Domino, Regnorum vero eius Vngarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo, die secundo mensis Augusti prime indictionis Theany. Nos Nicolaus de Gracia Ciuitatis Theany Annalis Judex, Andreas Benedicti de Traiecto vbilibet per Provinciam Terre Laboris et Comitatus Molisij Regia auctoritate Puplicus Notarius, et subscripti testes stb. de eadem terra ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto declaramus stb. (Egyezkedés.)

N) In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a Natiuitate sua millesimo trecentesimo quatragesimo octauo. Regnante Ezcellentissimo Domino, domino nostro Lodoyco Dei gracia Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rege; Regnorum eius Jerusalem et Sicilie anno primo. Mense Decembris die vicensimo tercio eiusdem secunda indictione apud Guelionisium: Nos Anselmus Nicolai de Conculo Anualis Guilionisii Judex Ylarius Rogerij de Ylario de dicta terra Puplicus Regia auctoritate Notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati etc. etc. declaramus. etc. stb. (Eladási szerződés.)

(Az itt felemlísett okmányok eredeti példányai találtatnakNápolyban az olasz kir. »Grande Achivio«-ban a »Pergameni dei Monasterii soppressi« közt.)

260.

VI. Kelemen pápa a fogságban lévö anjoni herczegek ügyében 1348.

Clemens Episcopus etc. carissime in Christo filie Helisabeth Regine Vngarie illustri salutem etc. Dudum, carissima filia, intellecto, quod carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Vngarie illustris, natus tuus, carissi-

mum in Christo filium nostrum Robertum Imperatorem Constantinopolitanum illustrem, et dilectos filios nobiles viros Philippum de Tarento germanum, nec non Ludovicum et Robertum de Duracio consobrinos Imperatoris eiusdem ceperat, et captos in Vngariam destinarat: Nos attendentes, quod Imperator, Philippus, Ludovicus et Robertus predicti de crimine mortis clare memorie Andree Regis Sicilie, nati tui, sicut multarum notabilium personarum, que se super hoc secrete et publice informarunt, attestatione cognouimus, erant prout sunt penitus innocentes; pro liberatione Imperatoris et Philippi, nec non Ludovici et Roberti predictorum dilectum filium Magistrum Johannem de Pistorio, Decanum Ecclesie Sancti Saluatoris Traiectensis, Capellanum nostrum, ad Excellentiam Tuam cum nostris super hoc de credentia litteris duximus destinandum. Et licet credamus probabiliter, quod tu precibus et exhortationibus nostris huiusmodi satisfacere filiali affectione procures: ad id tamen inculcatione precum Eandem Excellentiam excitantes illam attente rogamus, quatenus pro liberatione dictorum Imperatoris, germani et consobrinorum suorum predictorum dare velis nostre interventionis obtutu operam efficacem. Ceterum cum dilectus filius nobilis vir Leonardus de Thoro miles Neapolitanus, familiaris dicti Imperatoris, obsecuturus Imperatori, germano et consobrinis predictis, ad partes ipsas ducat se presencialiter conferendum, precibus nostris adicimus, ut eundem militem contemplatione nostra suscipias commendatum; ita quod possit ire illuc, et morari ibidem, indeque redire securus. Datum Avinione kalendis Maij Pontificatus nostri anno sexto.

In eodem nodo . . . Regine Vngarie, et Stephano nato clare memorie Caroli Regis Vngarie Duci Transilvano, Chanadino Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Quinqueecclesiensi, Comiti Paulo Judici Curie Regie, Comiti de Sebus et Kew, Laurentio Comiti Semproniensi et Castri Ferrei, Thome Magistro Janitorum Ludovici Regis, Paulo de Hungal Prothonotario Curie Regis Vngarie, et Andree Comiti trium generum Siculorum.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

261.

VI. Kelemen pápának panaszai I. Lajos magyar király ellen. 1348.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Bertrando tituli Sancti Marci Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato satutem etc. Nuper carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Vngarie illustri, aliqua nobis tam per litteras describenti, quam per Nuncios suos, eius ad nos deferentes de credentia litteras, exponenti rescripsimus, quod tu sibi ad ea pro parte nostra verbo vel litteris, aut per Nuncios responderes. Tandem stb. habita cum fratribus nostris, deliberatione matura videtur nobis et eisdem fratribus nostris, fore prefato Regi, ut subsequitur, respondendum Et primo ad id, quod idem Rex nobis scripsit, suppliciter postulans, ut tibi vel alteri coronationem committeremus ipsius stb.: nos lubenter vellemus,quod idem Rex Vngarie diligenter attenderet, qualiter, cum qui rem aliquam non expectata sententia judicialis arbitri auctoritate propria occuparit, tam civiles quam canonice sanctiones rei occupate privant dominio et iure, si quod sibi in ea vel ad eam quomodolibet competebat stb. Item requiratur ipse Rex, ut deuotus ipsius Ecclesie filius operum experimento probetur, quod ab omni iuuamine, auxilio et favore viro illi nequam Nicolao Laurentii ciui Romano excommunicato et suspecto vehementer de heresi, ac utinam non infecto, eiusque sequacibus atque fautoribus impendendo prorsus abstineat, quiu immo Nicolaum eundem, qui per aliquod tempus fertur in Ciuitate Neapolitana mansisse, capi faciat, et captum ad nos, vel ad te mittere studeat, pro suis demeritis penas recepturum; ostendendo sibi, quam periculosum esset eidem, et quam grauem et inextricabilem quodammodo maculam in sua gloria poneret, si suspecto de heresi, ut prefertur, faueret, vel, quod absit, quomodolibet adhereret. Ostendatur insuper eidem Regi, quot et quanta et quam gravia dampna in personis, bonis et rebus, terris Ecclesie illi viri nequam, perditionis filii, Dux Varnerus et alii, qui cum eo ad eiusdem Regis stipendia in predictum Regnum Sicilie, venerant, nulla diffidatione premissa, ordini, etati vel sexui minime deferendo, tam inhumaniter, tam-

que impie intulerunt, et quod multi asserunt, licet id credere nullo modo possimus, heç de ipsius Regis conscientia proçessisse, et a nonnullis asseritur verisimile; quare videtur, quod si prefatus Rex eisdem Duci et aliis expresse preciperet, ut a tam scelestis et iniquis operationibus abstinerent, ipsi Dux et alii a talibus se retraherent et cessarent stb. Item cum punitio omnium qualiterunque culpabilium de morte Andree Regis ad nos duntaxat pertinet, ipseque Ludovicus Rex carissimum in Christo filium nostrum Robertum Imperatorem Constantinopolitanum illustrem, et dilectos filios nobiles viros Philippum de Tarento, ac Ludovicum et Robertum de Duracio occasione huiusmodi criminis auctoritate propria ceperit, et captos in Vngariam destinarit stb. Sed nec relinquatur silentio, utrum dilectas in Christo filias nobiles mulieres Mariam Ducissum Duracii, ac Margaritam et Mariam de Tarento, de predicto crimine totaliter innocentes, ipsique Regi Vngarie tanta sanguinis proximitate coniunctas, per eundem Regem decuerit sic tractari; cum ipse ab hereditariis et aliis bonis suis omnibus, ut fertur eiecte pro vite necessariis, quod displicenter audiuimus, mendicare coganur. (Igitur Ludovicus Rex) inducatur per vias accomodas ac etiam opportunas, quod ipse, sicut decet Principem, sic gerere se studeat in hac parte, illudque super hoc remedium adhibere procuret, per quod honorificentie ac decentie Regie satisfiat, ac proximitati sanguinis debitum exoluatur stb. Datum Avinione nonis Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

262.

Mladin scardonai grófnak halála után a velenczei kormánytanács annak várait Magyarországtól elvonni igyekszik.
1348.

Anno MCCCXLVIII. die XVI. Maii. Capta: Cum Comes Paulus notum fecerit Dominationi, quod eius castra et loca dare nobis intendit iuxta preceptum fratris sui Comitis

Maladini, stb.: vadit pars, quod scribatur Comiti Tragurii, quod si traxerit ab eo Comite Paulo intentionem suam, videlicet quod vellet de provisione annuatim in vita sua, nobis debeat suis litteris denotare.

Die XXII. Maii. Capta: Cum habeamus per litteras nostrorum Comitum Jadre et Tragurii, quod Banus Sclavonie et alii Vngari faciunt posse suum omnibus modis, quibus possunt, habendi castra, que fuerunt condam Comitis Maladini, promittendo Comiti Paulo, fratri Comitis Maladini predicti, multa et magna, ac etian minando ei de veniendo cum magno exercitu ad offensionem et damnum dictorum castrorum, si ipsa castra non dabit Regi Vngarie; et pro statu nostro in partibus Sclavonie penitus requiratur habere ipsa castra in nostro dominio et potestate, que vere dici possunt claves terrarum nostrarum Sclavonie: cum omni solicitudine, qua fieri potest, cum omnis dilacio in hoc facto sit penitus resecanda, habito respectu ad magnam securitatem et commodum, quam tam statui nostro in dictis partibus Sclavonie, quam terris nostris prestat; et ad magnum incommodum, si, quod absit, ipsa castra devenirent ad manus Vngarorum, in quod terre nostre incurrerent, cum in dicto casu in totum essent desolate et destructe: vadit pars, quod pro velociori expeditione negocii supradicti scribatur Comitibus nostris Tragurii et Spalati, quod optantes pro securitate nostra et bono terrarum habere in nostra potestate et dominio castra, que fuerunt Comitis Maladini, mandamus eis, quatenus omni mora postposita, esse et conferre debeant cum Comite Paulo, fratre condam Comitis Maladini, et procurare, ut dictus Comes Paulus nobis dicere fecit per suum Ambaxatorem, et ut condam Comes Maladinus frater eius sibi iniunxit, habendi in nostro dominio dicta castra, et confidentes de sua sapiencia et probitate, in sua libertate relinquimus possendi promittere annuatim pro nostro Communi dicto Comiti Paulo tempore vite sue usque ad libras duo milia parvorum Venetorum vel inde infra, ut melius et minus fieri per eos poterit, dante nobis dicto Comite Paulo dicta castra libere cum omnibus suis pertinenciis, fructibus et proventibus ipsorum castrorum, remanentibus victualibus et aliis furnimentis, que essent in castris pro munitione

eorum, dicto Comiti Paulo, vel eorum extimacione. Et facto et firmato concordio cum dicto Comite Paulo, debeant dicti nostri Comites ponere in rochis et fortiliciis dictorum castrorum de gente nostra per illum modum et in illa quantitate, qui et que sibi videbitur pro securitate nostra in dictis castris; faciendo et ostendendo, quod gentes nostre, que erunt in dictis rochis et fortiliciis, custodiant ipsa castra sub vexillo et nomine dicti Comitis Pauli, ut facta, que nunc habemus facere cum Rege Vngarie, in aliquo propter hoc sinistrum et deffectum portare non possint.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. B.)

263.

A velenczei kormánytanácsnak utasitása I. Lajos magyar királynál Nápolyban lévő követei számára. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die XXIX. Maii. Capta: Quia facit pro nobis secundum tempora, que occurrunt, facere facta nostra: vadit pars, quod mandetur nostris Ambaxatoribus, qui sunt Neapoli per manus duplicatas, per primos nostros nuncios, qui videantur Domino, Coniliariis, Capitibus et Sapientibus, quod circa tractatum concordii cum domino Rege Vngarie, quantum in facto dandi sibi pecuniam annuatim, sequantur formam sue commissionis; et ut factum possit recipere finem per dictum modum dandi pecuniam annuatim, faciant, ut eis commisimus, et de providencia sua speramus. Si vero per dictum modum res non posset effectum recipere, et propterea venissent seu iam venissent, dummodo nichil promisissent vel firmassent super puncto sue commissionis continente de dando statim quantitatem pecuniarum specificatam in dicta sua commissione, mandetur eis, quod super dicto puncto non procedant ad firmandum seu promittendum aliquid absque nostro speciali mandato, sed trahant et senciant, quicquid facere poterunt, et nobis rescribant et suum consilium, et nostrum expectent mandatum, nichil firmando nec promittando super dicto ultimo puncto statim dandi quanti-

tatem pecunie specificatam, ut dictum est, absque nostro mandato, non derogando propter premissa alicui libertati possendi redire Venecias sibi date per litteras sibi missas per Rafaynum, et secundum formam litterarum ipsarum. Verum si dictus Rex recusaret elongare eis terminum fidancie, et ob hoc videretur eis mora sua periculosa, mandatur eis, quod in deffectionem dicte securitatis, que non elongaretur eis, relinquimus in eorum arbitrio standi et veniendi, sicut eis videbitur; et informentur dicti nuncii ituri de omnibus novis, que habemus, ut illa distincte dicant Ambaxatoribus nostris, ut plene sciant motivos et causas, que nos inducunt ad scribendum eis predicta. Et pro maiori expedicione dictorum mittendorum possint mitti lignum et barche riperie Marchie, sicut necessarium erit.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit B.)

264.

A florenczi köztársaságnak Tarentoi Lajos. 1348.

Nobilibus et Magnificis viris Prioribus Artium, Vexillifero Justitie, Populo et Communi Ciuitatis Florentie, carissimis amicis nostris.

Amici karissimi. Propinquat, ecce, patrocinante Deo festinus felix accessus noster ad partes Italie pro recuperando in virtute Diuine Dextre Regnum nostrum, non nostris defectibus iam amissum. Et certi sumus, quod vere scietis quam cicius de Apostolicis litteris, et eius speciali et sollempni Ambaxiatore, nuper illuc missis, quibus Regem Vngarie, quod de ipso Regno egrediatur festinius, requiri mandat Dominica Sanctitas ei nichilominus et iniungi. Suadente equidem antiquata fiducia amicitiam vestram actente precamur, quatenus specialis in vobis permanens nostra spes non deficiat in vobis, quos tenet nostra consideratio in nostris necessitatibus subsidium speciale. Recordemini, amici karissimi quesumus, quanta vos fueritis cum predecessoribus nostris, et vobiscum ipsi dilectione coniuncti; quantisue modis, non sine personarum strage,

effusione sanguinis, ac perdicione facultatum in singulis necessitatum casibus, prout vestrum non ambigit aliquis, alteri alteris actibus mutuis prompta et opportuna subsidia prestiterunt, ad preheminentiam signantius partis Guelfe, circa quam illis et vobis tunc gliscentibus, ut auditu concepimus, omnia pericla sollacia videbantur. Cum ergo Regis ipsius principiante austutia multi perniciosi tractatus ad confuxionem dicte partis subdole instruantur; cum inimicantibus parti ipsi necessarium fore conspicimus, quod Communia Ciuitatum vestre Florentie, Senarum etiam et Perusii principaliter, et alia Communia Guelfa una vobiscum, quorum simul sollerter intendere ad defensionem illius prospicitur interesse, tantis nephariis macchinationibus in obstachulum opponantur, ut ipsi Rex et emuli confuxionem in eos sentiant ex nostra communi defensione virili, quos ipsi perperam confundere moliuntur. Adaptet igitur Dominus Potentie nostrum commune velle, et aggregatum in unum tamquam fortius non ledatur, sed valeat ledere nos offendere satagentes, nec superatum in partes tamquam debilius succumbat potestati emulorum communium; qui tandem, si possent nostram finalem destructionem communem, prout vos ipsosmet non dubitamus sapere, sitientes sanguinem, absque dubio procurarent. Demum ad memoriam Amicitie Vestre reducimus, quod, sicuti bene scitis, nunquam dicti predecessores nostri Imperatores tenuerunt in patres, prout eos nos similiter non tenemus, sed potius in nouercos Super quibus domino Jacobo de Pignatario Juris Ciuilis Professori, et Phylippo de Spinis conciui vestro, Consiliariis et familiaribus nostris dilectis, per nos ad presentiam vestram missis, velitis indubiam credentie dare fidem. Data Auinione die vltimo Maij prime indictionis

Lodouicus de Tarento
Comes Prouincie.

(Az »Atti publici dell' Archivio delle Riformagioni« Cod. 16. Cl. XI. dist. 1., a florenczi levéltárban.)

265.

I. Lajos magyar király Nápolyból visszatérvén, követeivel a velenczei köztársaság folytatja a békealkudozásokat. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die quarto Junii. Capta: Quod pro bono facti et pro velociori expedictione committatur nostris Ambaxiatoribus, qui fuerunt ad Regem Vngarie, et sunt informati ad plenum de nostra intencione, quod sint et conveniant cum Ambaxatoribus domini Regis Vngarie, et ab eis trahant totam intencionem dicti domini Regis in factis, que facere habemus cum eo, dicendo et fortificando rationes nostras iuxta partes captas in isto Consilio; et cum toto eo, quod habuerint, et trahere poterint ab eis, venietur ad istud Consilium, et fiet, sicut videbitur; et si omnes tres interesse non possent, alii duo exequi debeant predicta; et incipiant dicti Ambaxatores nostri esse cum eis cras in mane et successive, sicut fuerit expediens; et possint dicti Ambaxatores nostri et quilibet eorum ponere partem in isto Consilio super dictis factis.

Capta: Quod pro honore nostro istis Ambaxatoribus domini Regis Vngarie quousque erunt hic, fiant eis expense per nostrum Commune, sicut videbitur Domino, Consiliariis et Capitibus.

Die VI. Junii. Capta: Quod nostri Ambaxatores adhuc statim vadant ad Ambaxatores domini Regis Vngarie, et trahant ab eis per illum aptum modum, qui eis videbitur, de qua quantitate pecunie contentarentur pro aliis Civitatibus nostris; et si eorum responsio videretur Domino, Consiliariis et Sapientibus et Ambaxatoribus, qui reperirentur, seu eorum maiori parti inconveniens et iniusta, et quod non faceret pro nobis, possint licenciare eos cum illis verbis, que eis videbuntur, et eis possit concedi lignum nostrum riperie pro conductu eorum Segnam, vel alio, sicut voluerint.

Capta: Quod respondeatur Ambaxatoribus domini Regis Hungarie, qualiter semper affectavimus habere amorem et bonam concordiam cum ipso domino Rege, et sic consideramus nunc; sed per ea, que petunt et dicunt, que penitus

sunt contra omnem equitatem, cum per ea pax et bonum concordium sequi non posset, ire et stare suum sit ad eorum beneplacitum. Verum si per ipsos tangeretur, de mittendo nostrum Notarium secum; dicatur, quod super inde providebimus, sicut nobis videbitur cenvenire. Et si dicti Ambaxatores tangerent de faciendo treuguam a quatuor annis infra, vel dicerent alia, que nullo modo facerent pro nobis; respondeatur circa predicta, sicut videbitur Domino, Consiliariis, Capitibus, Sapientibus et Ambaxatoribus, qui reperirentur, seu eorum maiori parti.

Capta: Quia facit pro nobis providere factis nostris, ex quo tractatus concordii cum domino Rege Vngarie, de quibus poterat sperari, non habent effectum: vadit pars, quod in nomine Domine procuretur sollicite, quod una de duabus nostris galeis, que nunc armantur, hic expediatur quam cicius esse potest, stb. ad partes Sclauonie stb. Post cuius recessum sollicitetur expeditio alterius galee, que mittatur ad Capitaneum antedictum, et committatur dicto Capitaneo, quod cum dicta et cum ligno nostro riperie, quod debeat remanere cum eo, attendat ad custodiendum, ne gentes et bona Regis Vngarie vel suorum transeant de Sclavonia in Apuliam, vel de Apulia in Sclavoniam, intromittendo personas et bona, que inveniret, et ad nostram presenciam destinando. Et scribatur etiam ser Justiniano Justiniano, Capitaneo Vnionis, quod unam de galeis Culfi mittat ad partes Apulie ad levandum mercatores et bona nostrorum, que nondum recessissent de partibus Apulie, si voluerint inde recedere, et reliquas galeas mittat ad Capitaneum suum in partibus Sclavonie, cum quibus idem Capitanius Culfi, cum ad eum aplicuerint, attendat sollicite, simul et divisim, et ubi et sicut sibi melius videbitur, ad complendum nostram intentionem predictam contra personas et bona gentis predicti Regis Vngarie; stb. Et mandetur etiam nostris Potestatibus Tarvisii, Coneglani et aliis Rectoribus Trivisane, Ystrie et Sclavonie, quod gentes Regis Vngarie, quas habere possent in suo forcio, equos, arma et bona intromittant, et ad nostram presenciam mittant, informando eos de treugua, que finita est inter nos et dominum Regem. Et rogetur Dominus Padue, quod non permittat gentes Vngarie predictas eundo vel red-

eundo transire per suas terras vel passus, et intromittat personas, equos et arma illorum, qui inde transirent. Et scribatur etiam hoc nostris mercatoribus apud Segnam, informando eos in factis suis, et quod in eis provideant recedendo inde, si voluerint, sicut pro bono ipsorum eis videbitur. Et notificatur hec terris Marchie et Romandiole, ut cum eorum lignis non portent, reducant vel conducant gentes predictas ne possint recipere lesionem a nostris armatis.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. B.)

266.

Nyolcz évi fegyverszünet I. Lajos magyar király és a velenczei köztársaság közt. 1348.

A) I. Lajos magyar királynak meghatalmazó levele követei számára. 1348.

Ludovicus Dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Appulie, Principatus Capue, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Bulgarie, Cumanieque Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, vniuersis presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in omnium Redemptore. Confisi de fide, prudentia, sapientia et legalitate, ac industria Nicolai Electi confirmati Ecclesie Nitriensis, Secretissimi Consiliarii nostri; ac Magistri Johannis filii Alexandri Comitis Chongradiensis et Castellani Zegediensis, similiter Consiliarii nostri et Aule nostre Regie militis; ipsos facimus, constituimus et legitime ordinamus nostros, nostrique Consilii ac Curie nostre Regie solempnes et veros Ambaxiatores, Procuratores, Nuncios et Actores Speciales, seu quocunquo alio modo nominari possint melius; ut ipsi Ambaxiatores nostri et Corpus Consilii nostri nomine se conferant ad presentiam inclyti domini Andree Dandulo Ducis, et Communis Venetiarum; dantes et cencedentes eis plenam licentiam et liberam protestatem, nos cum eis in omnem eventum concordandi, unionem et ligam ac veram amicitiam faciendi et promittendi,

rancores, discordias et seditiones, Si que per tempora quomodocunque fuerunt, perpetuo sopiendi, remittendi et concordandi, et ipsas ad veram, claram et continuam concordiam reducendi et confirmandi, et super Civitatibus, Castris et Insulis, ac terris aliis, et eorum juribus, pura Gladii potestate, et Mero ac Mixto Imperio transigendi; cautelas, scripta, instrumenta et privilegia aliqua exinde conficiendi et habendi, pacem faciendi, in animam nostram jurandi, de omnibus Principatuum tractandi, cum veris Regalibus promissionibus, obligationibus, et solemnitatibus omnia supradicta, quecunque nomine nostro et Consilii nostri tractaverint, roborandi, suprema potestate in animam nostram juramenti per eos faciendi, securitatem dandi, paciscerdi, treugasque et omnia alia et singula faciendi, que quilibet veri, et legitimi ac solempnes Ambaxiatores Regales, Actores et Nuncii Speciales facere possent, et Nos, si Regalis Excellentia ibidem cum toto nostro Consilio adesset. Promittentes nos ratum habere et firmum totum, quicquid per dictos Ambaxatores nostrus solemniter tractatum, concordatum, pacificatum, transactum et procuratum fuerit, sive gestum in premissis et quolibet premissorum. In quorum omnium et singulorum testimonium presentes litteras confici fecimus et sigilli nostri authentici appensione muniri. Datum Bude die tertia post octavas Beatorum Petri et Pauli anno Domini MCCCXLVIII.

(A »Libri Pactotum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 210. l., és »Copia de Commemoriali« IV. köt. 2. r. 339. l. V. ö. Fejér Cod. Dipl. IX. köt. 6. r. 34. l.

B) A velenczei kormánytanács biztonsági levelet küld a magyar követeknek. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die XIX. Julii. Capta. Quod respondeatur Bano Sclauonie cum pulcris et curialibus verbis, quod nobis placet et sumus contenti, quod Nuncii solemnes domini Regis Hungarie possint ad nos accedere, et stare et redire libere et secure, cum familia et rebus eorum per totum mensem Octobris proximum; et mittantur ei littere aperte securitatis, per quas ipsi venire possint, ut est distum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ből, Lit. B.)

C) I. Lajos magyar királynak követei Velenczében. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die primo Augusti. Capta: quod Ambaxatores domini Regis Hungarie fuerint hodie coram Dominio, et prius aliqua raciocinata hinc inde, finaliter dicant, de faciendo treuguas inter dominum Regem et nos usque ad quinquennium. Quia interim concedente Domino poterit perpetua pax tractari: vadit pars, ut in hiis factis procedi possit et fieri id, quod sit honor noster et conservatio status nostri, quod committatur sapientibus ad hec deputatis, quod esse debeant cum prefatis Ambaxatoribus, inducendo eos per convenientia verba, quod treugue fiant ad quam maius tempus fieri poterit a quinque annis supra; et si a dicto tempore supra contentabuntur, tunc Dominus, Consiliarii, Capita et Sapientes per maiorem partem eorum habeant libertatem firmandi dictas treuguas a dicto supra quamplus poterunt, remanentibus partibus in statu presenti, et tenentibus quiete et sine molestia ea, que presentialiter tenent; includendo in eis omnes terras et loca ac fideles et subditos nostros, et Comitem Paulum de Clissia cum locis, que tenet; et predicta fiant per quam securiorem modum fieri poterunt, cum cautelis opportunis de Consilio Sapientum. Intelligendo, quod in scripturis fiendis de predictis observetur id, quod alias captum fuit, videlicet, quod si dominus Rex poneret in suo titulo Dalmaciam et Croaciam, noster similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, non nominando Dalmaciam et Croaciam, nos etiam taceamus, dicendo solum »Dux Veneciarum« etc. Et si factum cum Dei gracia complebitur, cum persona domini Regis non sit hic, nos etiam pro honore nostro firmare debeamus factum per syndicos nostros. Et si tractari poterit de faciendo, quod dominus Rex personaliter infra certum tempus firmet predicta per sacramentum, nos etiam similiter facere debeamus; si vero hoc esse non possit, et Ambaxatores sui dictum sacramentum facere voluerint, nos etiam iuremus per sindicos nostros, ita quod equalitas observetur.

Die III. Augusti. Capta: Si Ambaxatores domini Regis dicerent, si in casu, quo ipse vel gens sua transire vellet in Apuleam per mare vel per terram, utrum prestaremus sibi

impedimentum vel obstaculum; respondeatur per nostros Sapientes, quod postquam erimus in bona pace, secum intendimus illam pro parte nostra inviolabiliter observare, dummodo pro parte Sue Maiestatis nobis similiter observetur; et super hoc puncto instent et faciant nostri Sapientes quantum poterunt, quod dicti Ambaxatores de huiusmodi responsione sint contenti. Sed si omnino et finaliter scire vellent clarius intentionem nostram super hoc, tunc respondeant, quod sicut iam diximus, intendimus pro parte nostra habere in casu quolibet cum Maiestate Sua benivolentiam et amorem, et propterea dicimus, quod postquam erimus in amore et concordia secum, et Eius Maiestas, sicut et nos facere intendimus, perseverabit in pace predicta, nos non impediemus nos in factis alienis, et ideo transeundo absque lesione nostra poterit, sicut voluerit, facere facta sua.

Die. IV. Augusti. Capta: Quod committatur Sapientibus, quod redeant ad istos Ambaxatores, et procurent, instent et dent omnem operam, quod contententur, quod in treuguis ponatur Comes Paulus cum locis, que tenet; et si finaliter et omnino hoc obtinere non possent taliter, quod amplius non sperarent posse eos reducere ad intencionem nostram, remaneat in libertate Domini, Consiliariorum, Capitum de XL. Sapientium et maioris partis licenciandi eos cum illis verbis convenientibus, que videbuntur, et sic et quando eis videbitur. Verum si ab eis haberetur aliud de novo, veniatur ad istud Consilium, et fiet, sicut videbitur melius.

Capta: Quod in casu, quo isti Ambaxatores recedant sine concordio, Dominus, Consiliarii, Capita et Sapientes habeant libertatem per maiorem partem eorum scribendi Comitibus nostris Tragurii et Spaleti, qui habuerunt pre manibus ista facta Comitis Pauli, quod ipsi cum litteris nostris credulitatis personaliter sint cum Comite Paulo, notificantes ei, in quo puncto remansimus, videlicet de non concordando nos solum occassione dicti Comitis, quod totum fecimus solum pro conservatione ipsius et locorum suorum, inducendo eum ad constantiam et devotionem nostri Dominii, quantum poterunt. Item respondeatur Comiti None, recommendando providentiam suam de hiis, que fecit cum Comite Gregorio Cor-

bavie et aliis Comitibus, et quod notificet eis, quod ipsi possunt ad nos mittere Nuncios suos ad plenum, quia parati erimus eos audire et facere ea, que respiciant honorem et conservationem nostram et suam.

Die V. Augusti. Capta: Quod in bona gratia factum istud firmari et compleri possit per modum et forman hic lectum cum termino duorum mensium ad firmandum illud per principales personas, et cum illa pena, que videbitur conveniens. Et si Ambaxatores vellent, quod alia clausula seu verbum aliter mutaretur seu poneretur in contractu, Dominus, Consiliarii, Capita et Sapientes habeant libertatem per maiorem partem eorum mutandi et ponendi, dummodo non mutetur substantia contractus et effectus intentionis nostre, cum consilio Sapientum Juris.

Capta: Quia utile et bonum est pro factis nostris habere istos Ambaxatores benivolos et favorabiles ad honorem nostrum tam pro presenti tempore quam futuro: vadit pars, quod possint donare eis ducenti ducati, videlicet C pro quolibet, per illum convenientem, honestum et cautum modum, qui videbitur, et in denariis vel rebus, sicut videbitur Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. B.)

D) A velenczei köztársaságnak megbizó levele felhatalmazottjai számára. 1348.

Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum etc. Dux etc. vniuersis et singulis presentes litteras inspecturis salutem et dilectionem sinceram. De prudentia et fide infrascriptorum nostrorum nobilium plenarie confidentes, videlicet Nicolai Volpe, Johannis Sanuto, Pangratii Justiniano, Stephani Bellegno, et Raynerii de Musto, honorabilium civium nostrorum, ipsos et eorum quemlibet in solidum, opportunis Consiliorum nostrorum ad hec specialiter vocatorum constituimus et legitime ordinamus in nostros tractatores, procuratores et syndicos, seu quocunque alio modo melius nominari possint specialiter et nominatim ad conferendum cum quibuslibet Ambaxiatoribus et Nunciis Serenissimi domini Lodovici Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Regis, et cum

eis tractandam reconciliationem, pacem et concordiam super omnibus et singulis guerris, litibus, discordiis, et differentiis, que hactenus inter predictum dominum Regem et subditos suos, et nos ac subditos et habitatores nostros quomodolibet verse forent; dantes eisdem nostris Nobilibus et cuilibet eorum plenam licentiam et liberam potestatem concordandi perpetuo vel ad tempus differentias supradictas, et ipsas ad veram, puram et continuam seu temporalem pacem reducendi, in animam nostram jurandi, promissiones, instrumenta et scripturas quaslibet oportunas propterea faciendi, et paciscendi, ac treuguas, et omnia et singula faciendi, que quilibet veri tractatores, procuratores et syndici facere possent quomodolibet vel deberent, et que nosmet ipsi cum nostris Consiliis facere possemus. Promittentes firma et rata habere et tenere, quecunque per predictos syndicos nostros, tractatores seu procuratores, seu quemlibet eorum tractata, promissa et firmata fuerint in predictis. In quorum omnium fidem et evidentiam pleniorem presentes litteras fieri jussimus, easque nostri sigilli plumbei munimine roborari. Datum in nostro Ducali palatio MCCCXLVIII. indictione prima die III. Augusti.

(»Pactorum« V. köt. 211. lev.; »Copia de Commemoriali« IV. köt. 2. r. 340. lev.)

E) A fegyverszünetről I. Lajos magyar király részéről készült okmány. 1348.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem MCCCXLVIII. mensis Augusti die Martis V., indictione prima Venetiis in contrata Sancti Marci in domibus Ecclesiae Sancti Marci habitatis per infrascriptos Ambaxatores, presentibus providis viris Raphayno de Charesinis Notario infrascripto electo et assumpto pro parte infrascripti Incliti domini Ducis et Communis Venetiarum, et rogato de infrascriptis una mecum Johanne Christiano Notario infrascripto electo et assumpto in Notarium pro parte Serenissimi infrascripti domini Regis, conficere eiusdem tenoris publicum instrumentum, nec non Luca de Medio, filio quondam ser Nicolai de Medio S. Marie Formose, Zanino Amiso quondam Matthei, Marco de Bota

quondam ser Bertucii Sancti Johannis Novi, Petro Sancto Ducatus Venetiarum Scriba, Stephano quondam Dimitrii, Cosma filio quondam Laurentii, ambobus de Hungaria, familiari infrascriptorum dominorum Ambaxiatorum, et aliis testibus ibidem vocatis specialiter et rogatis, ad laudem, gloriam, et honorem Eterne Trinitatis ac Beate Marie Virginis, et totius Curie Celestis. Cum procurante inimico humani generis discordie, controversie, lites et litigia diversimode orta fuerunt inter Serenissimum dominum Ludovicum Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Regem, et eius subditos et fideles, sequaces et obedientes ex una parte, et Illustrem dominum Andream Dandulo eadem gratia Venetiarum Ducem etc. et Commune Venetiarum, et eius subditos, fideles, sequaces et obedientes ex parte altera, inter quas partes semper intimus amor et dilectio fuit et viguit ab antiquo. Nunc operante Divina gratia, cum res quelibet prompta sit ad naturam propriam pristinam et solitam de facili reformari, Reverendus vir dominus Nicolaus Electus confirmatus Ecclesie Nitriensis, Secretissimus Consiliarius prefati Domini Regis, ac Egregius et Nobilis vir Magister Johannes filius Alexandri Comes Chengradiensis et Castellanus Zegediensis, similiter Consiliarius eiusdem domini Regis, et sue Aule Regie miles, solempnes et veri Ambaxatores, Procuratores, Actores et Nuncii Speciales prefati domini Regis, suique Consilii ad presentiam prelibati domini Ducis et Communis Venetiarum ad infrascripta omnia .et singula exercenda, tractanda et complenda legitime constituti et specialiter destinati, ut constat per authenticas et veras litteras patentes prefati domini Regis sigilli sui authentici appensione munitas, et datas Bude tertio die post octavas Beatorum Petri et Pauli anno Domini MCCCXLVIII. nomine et vice ipsius domini Regis suique Consilii, et omnium et singulorum suorum subditorum et fidelium, et omnium et singulorum, qui quoquomodo fuissent vel essent obedientes, sequaces vel favorabiles domino Regi prefato ex una parte; et Egregii et sapientes viri domini Nicolaus Volpe, Stephanus Belligno, et Rajnerius de Musto, honorandi cives Venetiarum, Tractatores, Procuratores et Syndici predictorum domini Ducis et Communis Venetiarum, ut

apparet per veras et authenticas litteras eiusdem domini Ducis bulla eius plumbea pendenti munitas datas die tertio presentis mensis Augusti MCCCXLVIII. nomine et vice eorundem domini Ducis et Communis Venetiarum, et pro omnibus et singulis Civibus, subditis, fidelibus, devotis, ac omnibus et singulis, qui quoquomodo fuissent vel essent obedientes, sequaces vel favorabiles eidem domino Duci et Communi Venetiarum ex altera. Predicti Procuratores et Syndici, et quilibet eorum procuratoriis et syndicariis nominibus antedictis ex certa scientia et non per errorem, omni modo, jure et forma, quibus melius et efficacius potuerunt, fecerunt, inierunt, statuerunt et firmaverunt firmas, veras et puras treuguas et concordiam inter predictam dominum Regem, ac eius Consilium, Barones, subditos, fideles et obedientes predictos, et dominum Ducem et Commune Venetiarum, subditos, fideles, devotos et obedientes ipsius de omnibus et singulis guerris, discordiis, dissensionibus, rancoribus, litibus, controversiis, questionibus et querelis, que hactenus fuerunt, vel ad presens sunt, seu esse possent causa et occasione quacunque inter partes predictas vel earum subditos et fideles et obedientes predictos. Que quidem treugue integraliter, firmiter, inviolabiliter et inconcusse, ac continue perseverare et durare debeant et observari usque ad octo annos proxime sequuturos, promittentes dicte partes et quelibet earum sibi vicissim nominibus antedictis, ac pro se ipsis, et omnibus et singulis suprascriptis, ipsas treuguas et concordiam inviolabiliter, pure et veraciter attendere et observare, et attendi et observari facere, et contra ipsas nullo modo facere vel venire. Item voluerunt, et contente fuerunt et promiserunt dicte partes et quelibet earum dictis nominibus sibi vicissim per solemnem stipulationem, et per totum tempus dictarum treuguarum, videlicet octo annorum, dicte partes vel alia earum, non facient vel inferent, nec fieri seu inferri facient, nec consentient per aliquos suos vel alios sub ipsarum nomine vel colore modo aliquo vel ingenio aliquam guerram, iniuriam, molestiam, gravitatem et damnum personaliter vel realiter sibi vel hominibus, civitatibus, castris villis et locis, quas et que predicte partes et quelibet earum, et subditi et fideles, devoti et obedientes earum, et cuiuslibet

earum tenent et possident. Item quod quelibet partium predictarum et earum subditi et fideles, et quicunque alii suprascripti possint et valeant ire, transire, stare et redire per terram vel per aquam securi et sine impedimento, gravitate et damno per causam predictarum et cuiuslibet earum, et ipsarum omnium, et subditorum, fidelium, devotorum et obedientium predictorum. Item quod Comes Paulus Clisie, Scardone et Dalmisii cum suis, et cum bonis et locis, que tenet et possidet, sit et esse debeat in treuguis supradictis. Et predicta omnia et singula promiserunt attendere, et inviolabiliter observare et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa de jure vel de facto sub pena centum marcarum stipulatione premissa totiens committenda, quotiens fuerit contrafactum; et soluta vel non soluta predicta omnia et singula firma perdurent et inviolabiliter observentur, obligante una parte alteri nominibus antedictis sibi vicissim per solempnem stipulationem omnia bona dictarum partium et cuiuslibet earum, mobilia et immobilia, presentia et futura. Item quod Serenissimus dominus Rex promittat et juret, et promittere et jurare faciat viginti de maioribus Baronibus et Consiliariis suis, predicta omnia et singula inviolabiliter observare et facere observari. Et eodem modo quod Inclitus dominus Dux promittat et juret, et promittere et jurare faciat viginti de majoribus Senatoribus et Consiliariis suis predicta omnia et singula inviolabiliter observare et facere observari. Et de predictis fiant patentes littere hinc et inde munite sigillis et bullis authenticis et veris partis cuiuslibet predictarum hinc ad festum Beati Francisci Confessoris proxime venturum quod est die IV. Octobris proxime subsequentis. Item ex nunc dicti Syndici et Procuratores nominibus supradictis et auctoritate eis in hoc competenti inter se communiter et concorditer firmaverunt, statuerunt et ordinaverunt, quod treugue predicte in suprascripta forma ex nunc sint et inviolabiliter observentur per dictas partes usque ad terminum supradictum Beati Francisci proximi, usque ad quem ordinatum est, in predicta fieri et compleri per principales personas et partes predictas, ut superius est expressum. Et si juramenta et promissiones predicte non fierent per dictas principales personas ad terminum supradi-

ctum; in dicto casu omnia et singula suprascripta habeantur pro non factis, et non sint alicuius efficacie vel vigoris. De premissis autem omnibus et singulis facta sunt eiusdem tenoris duo publica instrumenta, unum per me Johannem Christianum, Notarium infrascriptum, datum et exhibitum prefato domino Duci et Communi Venetiarum, seu predictis Tractatoribus et Syndicis dicti domini Ducis et Communis Venetiarum nominibus antedictis; et alterum per Raphaynum de Caresinis Notarium datum et exhibitum prefatis dominis Ambaxiatoribus recipientibus nomine prelibati domini Regis.

(Jegyzői jegy.) Ego Johannes Christianus de Comasinis Imperiali auctoritate Notarius Publicus, et assumptus ad predicta pro parte dictorum Ambaxiatorum domini Regis, omnibus suprascriptis presens fui, et ea rogatus scribere scripsi et meo signo consueto signavi.

(»Pactorum« V. kötett 212. lev.; »Copia de Commermoriali« IV. köt. 2. része 341. sk. lev.)

F) A fegyverszünetről a velenczei köztársaság részéről készült okmány. 1348.

In Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem MCCCXLVIII. indictione prima die Martis V. mensis Augusti Venetiis in contrata Sancti Marci in domibus Ecclesie Sancti Marci habitatis per infrascriptos Ambaxatores, presentibus prouidis viris Johanne Christiano Notario infrascripto, electo et assumpto pro parte infrascripti Serenissimi Regis, et rogato de infrasscriptis vna mecum Raphayno Notario infrascripto, electo et assumpto in Notarium pro parte infrascripti Inclyti domini Ducis et Communis Venetiarum, conficere eiusdem tenoris publicum instrumentum; nec non Lucha de Medio Sancte Marie Formose filio quondam ser Nicolai de Medio, Zanino Amiso quondam ser Bertucii de Bota Sancti Johannis Noui, Petro Sancto Ducatus Venetiarum Scriba; Stephano filio quondam Dimitrii, Cosma filio quondam Laurentii, ambobus de Hungaria, familiaribus infrascriptorum dominorum Ambaxatorum; et aliis testibus vocatis specialiter

et rogatis, ad laudem, gloriam et honorem Eterne Trinitatis, et Beate Marie Virginis, et totius Curie Celestis. Cum procurante inimico humani generis discordie, controversie, questiones, lites et litigia diversimode stb.(szóról szóra mint E. alatt) alicuius efficaeie vel vigoris. De premissis autem omnibus et singulis facta sunt eiusdem tenoris duo publica instrumenta, vnum per me Raphaynum Notarium infrascriptum, datum et exhibitum prefatis dominis Ambaxiatoribus recipientibus nomine prelibati domini Regis; et alterum per Johannem Christianum Notarium datum et exhibitum prefatis dominis Tractatoribus et Sindicis domini Ducis et Communis Venetiarium recipientibus nominibus antedictis.

(Jegyzői jegy.)

Ego Raphaynus de Caresinis Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venetiarum Scriba predistis interfui, et ea rogatus publice scripsi, et meo signo solito roboraui.

(»Copia de Commemoriali« IV. köt. 2. r. 344. lev.)

G) A velenczei köztársaság követet küld Magyarországba, ki előtt I. Lajos király ratifikálja és esküvel erősitse meg a fentebbi fegyverszünetet. 1348.

Nos Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum etc. Dux etc. Noverint vniuersi presentes litteras inspecturi; quod nos cum nostrorum Consiliorum solempnitatibus opportunis constituimus et specialiter ordinamus in nostrum Nuncium et Syndicum specialem providum virum Nicoletum de Lambertis Aule nostre Notarium ad comparendum coram Serenissimo domino Ludovico Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Rege, et eius Curia, et recipiendum nomine nostro, et nostri Communis quaslibet stipulationes, promissiones et obligationes factas vel fiendas nobis pro parte dicti domini Regis et eius Curie super quibuslibet discordiis, guerris, controversiis et differentiis, que hactenus inter Suam Maiestatem suosque subditos et devotos obidientes quomodolibet verse forent, seu etiam verterentur; et ad recipiendum et fieri et

prestari videndum quelibet sacramenta facta, vel fienda per Regalem Excellentiam antedictam seu eius Nuncium super inde. Promittentes firmum habere, quicquid per dictum nostrum Nuncium factum fuerit in predictis. Datum in nostro Ducati Palatio MCCCXLVIII. indictione prima, die V. mensis Augusti.

(»Pactorum« V. köt. 219. sk. lev., »Copia de Commemoriali« IV. köt. 2. r. 347. lev.)

H) I. Lajos magyar király esküvel erősíti meg a kötött fegyvernyugvást. 1348.

Nos Lodovicus Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, nec non Dalmacie, Chroacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Princepos Salernitanus, et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus vniuersos et singulos presentes et futuros has nostras patentes litteras inspecturos volumus non latere: Quod cum hostis antiquus humani generis inimicus assidue bonum pacis et amoris, concordie et dilectionis inter humanum genus unionem vexare conetur, et in his Altissimus, cunctorum bonorum exhibitor, fidelium suorum oculos in lucem dirigens, eos in viam pacis et tranquillitatis inducit, confirmatque in dileccionem et concordiam mentes suas. Sane cum post guerras et discordias, lites et controversias dudum versatas inter Excelsam Nostram Serenitatem ex una parte, et Inclitum Ducem Venetorum Andream Dandulo et Communitatem eorundem ex altera intervenerint concordie, compositiones, et treugue inite, terminate, facte, et firmate per nostros solempnes Ambaxatores et Nuncios, et per Syndicos, Procuratores et Nuncios eiusdem Incliti Ducis et Communitatis predicte in Civitate Veneciarum ipsarum compositionum, concordiarum et treuguarum tenorem et formam in presentibus nostris litteris fecimus annotari, secundum quod in publico instrumento ex parte Incliti Ducis et Communitatis predicte de hiis trenguis et concordiis Serenitati Nostre, confecto per Raphaynum de Caressinis Publicum Imperiali auctoritate Notarium et eiusdem Ducatus Scribam vidimus contineti; cujus instrumenti tenor per omnia talis est:

In Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem MCCCXLVIII. indictione prima die Martis V. mensis Augusti Veneciis in contrata Sancti Marci stb. (következik a fegyverszünet ünnepélyes okmánya mint F. alatt.)

Nos Ludovicus premissa Dei gracia Rex prescriptus una cum viginti Baronibus infrascriptis de dignioribus et magis prepositis Regni nostri negociis, juravimus corporaliter tactis Sacris Scripturis, et jurejurando firmauimus et promisimus Nicoleto de Lambertis Syndico, et Procuratori et Nuncio eiusdem Incliti Ducis et Communitatis predicte ad hec Syndicatum ab eis et plenum mandatum habenti, et proinde misso ad presentiam Nostre Serenitatis, easdem compositiones, treuguas et concordias firmas, ratas, et gratas habere et tenere, et haberi facere et teneri per cunctos et universos nostros subditos et fideles, ac omnes, qui quoquomodo fuissent et essent favorabiles, obedientes, vel sequaces Nostre Clementie, ac eisdem treuguis, composicionibus et concordiis non contrafacere vel venire, nec contrafieri vel veniri facere per predictos vel aliquem predictorum et infrascriptorum nobis fidelium eciam aliqua racione vel causa, directa vel indirecta, aut dolo malo vel fraude, potius eas inviolabiliter, veraciter et pure observare promittimus et attendere inconcusse, ac attendi, observari et facere usque ad tempus octo annorum, sicut per eosdem Syndicos, Ambaxiatores et Nuncios et Procuratores partium predictarum tractate, composite, promisse et ratificate fuerunt, et secundum formam et continentiam predicti instrumenti exinde confecti, de quo supra fecimus mentionem. Nomina autem Baronum et Procerum Regni nostri, de quibus supra faciunt presentes nostre littere mencionem sunt hec, videcilet: Dominus Nicolaus Palatinus Regni Hungarie predicti et Judex Cumanorum, dominus Stephanus Wajvoda Transilvanus et Comes de Zolnok, dominus Oliverius Magister Tavarniorum nostrorum Regalium, item dominus Johannes Ecclesie Wesprimiensis et dominus Nicolaus Ecclesie Nitriensis Electi confirmati, dominus Tatamerius Prepositus Ecclesie Albensis Aule nostre Vicelancellarius, Paulus Magister Tauarnicorum Reginalium, Dominus Nicolaus Triurus Magister Pincernarum nostrorum Comes

Barsiensis, dominus Rivoalba(?) Magister Dapiferorum, dominus Dyonisius Agazonum nostrorum, dominus Thomas quondam Wajvoda nunc Comes de Crasso et de Kewe, dominus Nicolaus Stephani quondam Banus Slavoniae, Dominus Andreas filius Loche Comes Siculorum et de Brassow, dominus Thomas Petri Comes Liptoviensis, dominus Cyko Comes Borsodiensis, dominus Petrus Phar Comes de Vngvar, dominus Ladislaus dictus Sos Magister Dapiferorum domine Regine, dominus Stephanus Prepositus Budensis, dominus Johannes Gumurinensis et Chengradiensis, et dominus Leustachius Dispensator noster. In quorum omnium firmitatem, fidem et evidentiam pleniorem has nostras patentes litteras fieri mandauimus et sigilli nostri authentici appensione muniri. Datum et actum in Civitate nostra Budensi octauo die mensis Septembris, anno MCCCXLVIII. supra scripto.

(»Pactorum« V. köt. 215. lev.)

I) I. Lajos magyar király Tamást milkói püspököt követnek küldi Velenczébe, ki előtt a doge a köztársaság nevében ratifikálja és esküvel erősítse meg a fentebbi fegyverszünetet. 1348.

Nos Ludovicus Dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Dalmatie, Chroatie, Rame, Servie, Galicie et Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, memorie commendamus et tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis, quod ad recipiendum juramentum, quod Inclytus Princeps dominus Andreas Dandulo Dux nomine suo proprio personaliter, et nomine totius Communis Venetiarum cum viginti Senatoribus et senioribus seu principalioribus super observandis ordinamentis, treuguis, pactis, et dispositionibus inter nos et eosdem Ducem et Commune Venetiarum, ac nostros et ipsorum sequaces, fideles et devotos per venerabilem in Christo patrem Nicolaum Ecclesie Nitriensis Electum confirmatum, et dominum Johannem Alexandri Comitem Chengradiensem et Suiuinensem (?) nostros Procuratores et Syndicos speciales apud eosdem Ducem

et Commune Venetiarum factis, et publicis instrumentis, ac tandem nostris litteris exinde confectis, stabilitis et firmatis facere debent, sicut et nos similiter cum viginti nostris potioribus Baronibus super observacione earundem usque ad tempus octo annorum, sicut per eosdem Syndicos, Ambaxiatores et Procuratores nostros tractate, promisse et ratificate, fuerunt, ac secundum continentiam et formam predicti instrumenti nostri exinde confecti corporaliter iuravimus, venerabilem in Christo Patrem dominum fratrem Thomam Electum Milchoviensem dilectum nostrum et fidelem in Veneciis ad eosdem et in medio eorumdem duximus transmittendum. Constituentes ipsum et preficientes nostrum Procuratorem in premissis, Ambaxiatorem, ac Syndicum specialem, legitimum atque verum; ratum, gratum et firmum presentibus nos habituros promittentes, quicquid per eundem dominum fratrem Thomam Electum Procuratorem, Ambaxiatorem, et Syndicum specialem in premissi juramenti exactione et acceptatione per eundem domiuum Ducem Venetorum et suos viginti Seniores principaliores exhibendi, ac litterarum seu publicorum instrumentorum exinde super juramento quo supra exacto confectione, nec non nomina conjuratorum Senatorum et seniorum ac principaliorum sicut nostris litteris ex parte nostra datis continetur conscriptum, actum fuerit, atque ordinatum in persona Nostre Maiestatis. Datum Bude feria sexta proxima post festum Nativitatis Virginis Gloriose anno Domini MCCCXLVIII.

(»Pactorum« V. köt. 220. lev.)

K) A velenczei kormánytanácsnak ezen esküre vonatkozó határozata. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die vigesimo octavo Septembris. Capta: Cum in treuguis et concordio tractato inter dominum Regem Vngarie seu eius Ambaxatores et nos inter alia caveatur, quod ipse dominus Rex cum viginti de maioribus suis ipsas treuguas es concordiam ratificabit et approbabit, et personaliter cum dictis viginti Baronibus iurabit corporaliter ipsas treuguas servare; et quia dictus Dux e contrario cum viginti de Nobilibus Veneciarum debeat similiter ipsas

ratificare et iurare; et sicut audistis, ipse dominus Rex Vngarie cum viginti Baronibus suis iuraverit et prestiterit sacramentum debitum ex parte sua: vadit pars, quod dominus Dux et Consiliarii, Capita de XL, Advocatores Communis. Procuratores Ecclesie Sancti Marci et Sapientes pro factis Regis Hungarie debeant in presencia Ambaxatorum dicti domini Regis huc missorum propterea facere similiter sacramentum pro parte nostra, de quo sacramento fiant dictis Ambaxatoribus littere nostre patentes in simili forma suarum. Et quia videtur deficere unus ad numerum de viginti, suppleatur de aliis Procuratoribus super Commissariis, qui sunt in terra per texeras.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. B.)

L) Dandulo Endre velenczei doge megerősíti a fentebbi fegyverszünetet. 1348.

Nos Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum etc. Dux etc. Vniversos et singulos has nostras patentes litteras inspecturos volumus non latere: Quod cum hostis antiquus humani generis inimicus assidue bonum pacis et amoris, concordie, et dilectionis inter humanum genus vexare conetur, et his Altissimus, cunctorum bonorum exhibitor, fidelium suorum oculos in lucem dirigens, eos in viam pacis et tranquillitatis inducit, confirmatque in dilectionem et concordiam mentes suas. Sane cum post guerras et discordias, lites et controversias dudum versatas inter Serenissimum et Excellentissimum dominum Ludovicum Dei gracia Hungarie, Jerusalem, et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Regem, Principem Salernitanum, et Honoris Montis Sancti Angeli Dominum ex una parte, et Nostram Serenitatem nostramque Communitatem ex altera intervenerint concordie, compositiones et treugue inite, tractate, facte et firmate per solemnes Ambaxiatores et Nuncios eiusdem Serenissimi domini Regis, ac per Syndicos, Procuratores, et Nuncios nostros nostreque Communitatis predicte in Civitate Venetiarum, ipsarum compositionum, concordiarum et treuguarum formam et tenorem in presentibus nostris litteris fecimus annotari, secundum quod in publico

instrumento ex parte eiusdem Serenissimi domini Regis de his treuguis et concordiis Serenitati Nostre confecto per Johannem Christianum de Conmasinis Pu. Im. auct. Notarium vidimus contineri. Cujus instrumenti tenor per omnia talis est.

In Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem MCCCXLVIII. mensis Augusti die Martis V. stb. (következik a fegyvernyugvásnak ünnepélyes okmánya, mint E. alatt.)

(A többi hiányzik.)

(»Pactorum« V. köt. 221. lev.)

M) A velenczei kormánytanácsnak rendelete, hogy az I. Lajos magyar királylyal kötött fegyverszünet alattvalói által megtartassék. 1348.

Anno MCCCXLVIII. II. indictione, mensis Octobris die secundo. Vniuersis et singulis notum sit, quod ad laudem, reverentiam et honorem domini nostri Jesu Christi, et Genitricis sue Virginis Gloriose, ac Beati Marci Apostoli et Evangeliste protectoris nostri, inter Serenissimum Ludovicum Dei gratia Hungarie Regem pro se et suis subditis, et omnibus, que quoquo modo fuissent vel essent obedientes, sequaces vel favorabiles ipsius Regis, et Ducale Dominium pro omnibus et singulis civibus, subditis, fidelibus, devotis, obedientibus, sequacibus vel favorabilibus suis firmate sunt et solemniter iurate ex utraque parte tregue vere et pure et concordium usque octo annos proxime futuros, in quibus quidem treguis per utramque partium est promissum, quod per totum tempus dictorum octo annorum aliqua partium non facient vel inferent, nec inferri per aliquos suos vel alios sub ipsorum nomine vel colore facient vel consentient modo aliquo vel ingenio aliquam guerram, iniuriam, molestiam, gravamina, rem et damnum personaliter vel realiter sibi vel hominibus, Civitatibus, Castris villis, locis, quas et que predicte partes et quelibet earum, et subtiti et fideles, et quicunque vel suprascripti possint et valeant ire, transire, stare, redire per terram, per aquam, secure et sine impedimento, gravitate vel obstaculo, dummodo transeant sine damno et lesione partium predictarum, et cuiuslibet earum, et ipsorum fidelium, subditorum, devotorum et

obedientium predictorum; item quod Comes Paulus Cliscie, Scardone et Dalmisie cum suis et cum bonis et locis, que tenet seu posside sit et esse debeat in treuguis predictis. Quare dominus Dux mandat et precipit, ut ipse tregue per omnes et singulos cives, subditos et fideles devotos, obedientes, sequaces ac favorabises suos debeant secundum earum continentiam integraliter observari. Publicata fuit in scalis Rivoalti per preconem supra consalum.

(Az »Estratti dai notatorii del Collegio,« czimű okmánycsomóból a velenczei nagy levéltárban.)

267.

IV. Kelemen pápa Pétert, veronai püspököt diplomaciai megbizással küldi I. Lajos magyar királyhoz. 1348.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Vngarie Regi illustri salutem etc. Dudum dilecto filio nostro Bertrando tituli Sancti Marci Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, dedimus per nostras litteras in mandatis, quod ipse ad tuam presentiam se conferret, tibique ad ea, que per venerabilem fratrem nostrum Stephanum Archiepiscopum Colocensem, et dilectum filium Johannem Electum Bosnensem, tunc Archidiaconum Orodiensis, ac Prepositum Budensis Vesprimiensis Diocesis Ecclesiarum, Nuncios tuos ad Sedem Apostolicam transmissos successiue, Tua nobis Sublimitas intimarat, pro parte nostra respondere curaret. Et deinde cum Legatus idem infirmitate proprii corporis impeditus, et Legationis sue negoriis occupatus, ad presentiam tuam personaliter se conferre non posset: Nos ad ea, que per te fuerant, ut predicitur, intimata, sufficienter et plene respondere volentes, decreuimus venerabilem fratrem nostrum Petrum Veronensem, tunc Viterbiensem, et bone memorie Matheum Veronensem Episcopos, tunc in humanis agentem, ad te specialiter propterea destinare. Cumque illi ad iter necessariis preparatis disponerent aggredi viam suam; idem Matheus Episcopus, sicut Domino placuit, rebus fuit humanis exemptus. Postmodum vero intellecto, quod tu, fili caressime, de

Regno Sicilie ad partes Vngarie te duxeras tansferendum, providimus eundem Petrum Episcopum Veronensem cum aliquo alio, quem sibi adiungere intendimus, ad te in Vngariam mittere, et ad intimata huiusmodi per eos tibi plenius respondere; qui prestante Domino celeriter arripient iter suum. Datum Avinione idibus Julii, Pontificantus nostri anno septimo.

In eodem modo Elisabeth Regine Vngarie, Stephano nato clare memorie Caroli Regis Vngarie, et aliis.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

268.

I. Johanna siciliai királyné Tarentói Lajosra ruházza át a siciliai királyi hatalmat. 1348.

Johanna stb. confert potestatem Regalem Ludouico de Tarento viro suo. MCCCXLVIII. die VII. Augusti.

(A »Registri Angioini« A. 356. sz. a. Reg. Johannae et Ludovici cz. kötetéből 156. lev., az olasz kir. »Grande Archivio«-ban Nápolyban.)

269.

A florenczi köztársaságnak Tarentoi Lajos 1348.

Magnificis et prudentibus viris Prioribus Artium, Vexillifero Justitie, Consilio, Populo et Communi Civitatis Florentie, carissimis amicis nostris.

Amici carissimi stb. — — — — (Dopo aver detto il suo felice e applaudito ritorno nel Regno, da relazione delle sue vittorie contro i suoi ribelli, che tenevano le parti degli Ungheresi e contro i suoi nemici stb.) — — Misimus preterea versus marittimam Sclauonie galeas quinque ad hostes illarum partium offendendos, et ad prohibendum versus Regnum hostibus in illo morantibus totius assistentie presidium et fomentum. Alie quoque galee numero septem, et quinque plures Neapolim tum ad artactionem obsessorum in castris, tum ad agendum aliud, sicut Deus ministrare voluerit, reman-

serunt. Quarum armata, cum tanta difficultate, sumptibus etiam a solito quadruplicatis facta est, propter contagiosam epidemiam, que terras et loca generaliter incolis vacuavit; quod alia armata magna cum sumptibus consuetis expensis multo facilius processisset stb. Data Troye die vigesimo septimo Septembris secunde indictionis.

Rex Jerusalem et Sicilie.

Az »Atti publici dell' Archivio delle Riformagioni« Cod. XVI, Cl. XI. dist. 1., a florencz levéltárban.)

270.

Miczbán István calabriai herczeg. 1348.

De Stephano Vngaro.

Ludouicus et Johanna etc. Generali Capitaneo et Justitiario Calabrie presenti et futuris fidelihus nostris etc. Querelam grauem — — — — — — de Giracio fidelis nostri propositam in nostra curia nouiter audiuimus inter alia continentem, quod eo agente pridem sub comitiua nobilium Comitum Montisalci et Sinopilj pro Nostre Maiestatis obsequijs aduersus Stephanum Vngarum, qui se faciebat Ducem Calabrie nominari, nonnulli de ciuitate Giracij et quartario Sancti Paulj predicto Stephano contra reuerentiam et fidelitatem nostri nominis adherentes, et sub eius tirampnia — — — — — — — — — ad domos exponentis ejusdem armata manu accesserunt hostiliter, ipsasque diruentes et dantes in predam, abstulerunt abinde mobilia omnia et victualia in illis sistentia, dampnificantes ipsum propterea in vncias auri centum. Cuius rei causa exponens idem dampna incalculabilia supportauit, perindeque quodammodo factus pauper, prouiderj sibi per nos de oportuno remedio suadente iustitia humiliter supplicauit. Nos autem excessus et crimina vndecunque clareant, remanere nolentes inulta, fidelitati vestre de certa nostra scientia presentium tenore committimus et mandamus, quatenus ad denunciacionem predicti exponentis de premissis excessibus et dampnis datis ex officio Curie aduersus commissores illorum generaliter et specialiter inquiratis

constitutione et capitulo Regni contrarijs, si refragantur, in aliquo non obstantibus quoquomodo; et quos inde culpabiles inquisitio ipsa dabit, compulsis eis primo ad restitutionem et mendam — — — — — allatarum rerum et huiusmodi dampni dati, sic puniatis ipsos et castigetis rigide iustitia suadente, quod eis presumpta temeritas cedat ad penam et posteris det exemplum. Et quia, sicut addicit — — — — Corradus Luciferus et Leo de Giracio, vna cum pluribus eorum complicibus atque sequacibus, prohibitis — — — — — — — — — — — eiusdem supplicantis filium insilientes hostiliter, ipsum cum quadam lancea ferrea — — taliter in pectore percusserunt, et penitus traducentes illum ad ciuitatem ipsam Giratij pro sua uoluntate captiuum priuatum in eum carcerem exercendo; addiciendo volumus et fidelitati vestre mandamus, vt ad denunciationem similem supplicantis ipsius aduersus eosdem principales, et ipsorum in hac parte sequaces et complices, de hijs de officio predicte Curie procedatis; et si exinde uobis constent, puniatis ipsos et castigetis aspre, prout delicti qualitas contingit et justitia suadebit. Datum Neapoli anno Domini MCCCXLVIII. die XXIV. Octobris secunde indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo, nostre uero Regine anno sexto.

(A »Registri Angioini« A. 356. sz. a. Reg. Ludovici et Johannae czimű kötetéből 79. l.)

271.

A florenczi köztársaságnak Tarentoi Lajos. 1348.

Magnificis et prudentibus viris Prioribus Arcium, Vexilliferis Justitie, Consilio, Populo et Communi Ciuitatis Florentie, carissimis amicis nostris.

Amici carissimi. Successus nostros in sua prosequutione felices, quos vestros reputare potestis, fecit hucusque Diuina misericordia letiores. Set verentur multi, quod dilata vestri missio subsidii, in quo nobis spem dedistis, non cedat in deteriorem partem, que sperari poterat in fauorem. Et non solum hec dilatio, set permissio destinati et destinandi sub-

sidii ad hostes in Regnum per illas partes, per quas verisimiliter potuit et posset multis remediis, peioris hostinationis (igy) dictis hostibus prohibuit incentiuum, in obstaculum nostre persecutionis votiue, et prorogationem expeditionis intente. Quo sequutum erat, quod hostes ipsi videntes, amicos nostros in assistentiam nostram remissos, et eis presto adesse presidia non ullis obstaculis impedita, magis de ipsorum intentione confidunt, que profecto exinde non inrationabiliter plus causatur. Considerantes maxime per vestrum, quod impensum fuisset vel impenderetur presidium, aliter forsitan stipendiarios nostros fuisse conatos etiam et conari ad finem optatum, quem dissimulare potuerunt et possent huiusmodi belli nostri; set nec ab examine recte considerationis excluditur, quod ubi nos amicorum nostrorum exfortio suffultos inspicerent, agendi aliud propitium eius fomitem non videret. Amplius tamen in meditationibus nostris concutimur, et fortius mentaliter perturbamur, quod interim, pendente ipsa spe subsidii et prohibitionis exfortii ad hostes eosdem, quo utinam nullatenus frustraremur, nequiuimus interdum preventionem vestram ad cautelam mereri, super aduentu dicti exfortii ad hostes eosdem nouissime, presertim quo de Lombardia per Romandiolam transeuntes, mille bastutas, instantes iam quasi pre foribus, sicut fertur aduenturas pro Vngaro notorio hoste nostro, in auxilium gentium suarum in Regnum fideligne nobis inscriptio patefecit. Actendite, quesumus, si dicti Vngari notorii hostis nostri concepta nequitia, vestre, sicut credimus, conscientie non ignara, debuerit vel debeat vestre prudentie studia, sicut hactenus, circumspecta ad fingendum, ut ita loquamur, nunc seducere. Cui post invalescentiam vulneris nequiret faciliter medela competens forsitam se offerre; nec pensare possumus, quod valeat alicuius fiducie spes perdendi, vbi non remansit experimentaliter quid sperandi. Et propter hoc idem Vngarus illis necessitudine iungitur, qui debent a nobis et vobis omni conversatione disiungi, quorum sinistra iam quibusdam preuiis certis indicijs preuidetur intentio, ad communis honoris et status subuersionem, quod Deus aduertat, omnimodam festinare. Vos igitur ortamur amicos, ut expositam communis cause condi-

tionem discrimini non negligatis saltem in tempore, qui ante tempus non sine multis vestris nostrisque periculis illi consulere distulistis. Exurgite, precamur, et agite ; ne, quod absit, communem causam fluctus inpreuise tentationis absorbeant. In quorum salubri moderamine prudentes naute suo insistentes ministerio non dormitent. Denique donum est necessarium, ut commune opus interveniente oportuna cautione non pereat; neque velimus compulsi venire ad remedium penitudinis, quando nulla prodeat penitudo. Data in Civitate Sancte Marie sub annulo nostro secreto die primo Nouembris secunde indictionis.

Rex Jerusalem et Sicilie.

(A »Codice dei Capitoli«-ból XVI. köt. Cl. XI. dist. 1., a florenzi »Archivio delle Riformagioni«-ban.)

272.

Tarentoi Lajos és I. Johanna siciliai királynénak adománya I. Lajos magyar király siciliai híveinek javaiban. 1348.

Ludouicus et Johanna etc. Justitiario Aprutij citra flumen Piscarie fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Scire te volumus, quod nos actendentes grata plurimum et accepta seruitia Bucij Magistri Thomasij de Ortona fidelis nostri, nobis multipliciter in diuersis necessitatibus imminentibus prestitis, presertim tempore aduentus in Regnum Regis Vngarie notorij hostis nostri, necminus dispendia et dampna rerum, personeque pericula, que ipsum subijsse percepimus pro fidei nostre seruantia, sicut testimonia fidedigna testantur; in aliqualem compensationem dampnorum ipsorum, eidem Bucio ac eius heredibus vtriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis et inantea nascituris, imperpetuum bona stabilia burgensatica, que fuerunt quondam Zuczij de Salcicia, Cicci de Orto, et Sirolemnij domini Caroli, ac Andree de Francisco de Ortona, rebellium et infidelium nostrorum, adherentium et sequacium predicti Regis Vngarie, ut ponitur, ante et post aduentum eiusdem Regis per proditionis et rebellionis eorum huiusmodi notam ad manus nostre Curie

rationabiliter deuoluta, quecunque sunt, et in quibuscunque consistant; etiam quod ex causa quarundam dotium assignatarum per eundem Bucium eidem quondam Cicco nomine et pro parte sororis sue in bonis eius huiusmodi pretendit idem Bucius rationale jus habere, vsque scilicet ad valorem annuum vnciarum auri decem ponderis generalis etc. dedimus, donauimus, tradidimus atque concessimus de certa nostra scientia, liberalitate mera et gratia specialj; ita quod liceat eidem Bucio, prefatisque suis heredibus de illis agere atque disponere, sicut de alijs burgensaticis bonis suis etc. etc. Datum Neapoli anno Domini Millesimo CCC.XLVIII. die VII. Nouembris II. indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo, nostri uero Regine anno VI.

(A »Registri Angioini« A. 356. sz. a. Reg. Ludovici et Johannae kötetéből 75. lev.)

273.

A velenczei kormánytanács fogadja I. Lajos magyar királynak, hogy a vele kötött fegyverszünet feltételeit teljesíteni fogja. 1348.

Anno MCCCXLVIII. die primo Decembris. Capta: quod respondeatur domino Regi Hungarie in hac forma.

Ad contenta litterarum Regie Maiestatis, quas cum deuota affectione suscepimus, effectualiter et veraciter respondemus, quod nostri moris est, et sic facere semper proponimus in futurum, inita pacta servare. Gentes siquidam vestre quecumque transire, stare et redire per quaslibet terras et districtus nostros libere voluerunt et volent, absque impedimento aliquo nostro vel gentis nostre, a quibus pocius amicabiliter recepti et tractati sunt, et omni tempore tractarentur cum expedicionibus et favoribus opportunis; et ita expresse cunctis Rectoribus et fidelibus nostris dedimus in mandatis. Mare etiam cunctis nationibus cupimus esse securum, per quod gens Vestre Regie Celsitudinis sine impedimento nostro vel gentis nostre libere navigare potuit atque potest. Verum in factis alienis nunquam nos, nisi in sedandis discordiis impedivimus, nec ad id pacti series nos astringit, sed red

dit notabiliter absolutos, quod quantum in nobis fuerit, inviolabiliter observavimus, nec intendimus ab eius federe aliqualiter deviare tum ratione fidei tum contemplacione Regie Maiestatis, affectantes hinc inde iuxta laudabilia nostrorum predecessorum vestigia nutriri favente Domino amoris et benivolentie incrementum.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból. Lit. B.)

274.

A florenczi köztársaságnak Lajos tarentoi herczeg. 1348.

— — — — — Magnificus autem vir Comes Marsici, Magnus Regni Sicilie Comestabulus penultimo dicti mensis (Novembris) applicuit ad nos de Neapoli cum ducentis barbutis electis et ultra. Et infra duos dies nobiles Neapolitani et alii, in numero quatringentorum equitum hic infallibiliter expectantur. Solum vestrum et fratrum vestrorum adventum festinum subsidii anxiis desideriis prestolamur; vt antequam hostes ipsi maiori, quod adhuc expectare dicuntur, presidio gentis fortificari valeant, et terras longa tranquillitate imbelles sibi subicere, et ex rapinis et spoliis fomentum et augmentum suarum virium, cum diminutione nostre potentie procurare, non obmictatis eligibiliter pro arbitrio nostro, sicut Deus dederit, partitum assumere. Quod dum se facile exhibens forte negligitur, breui postmodum temporis spatio difficillimum a sua conditione reddatur, et necessitatis fiat, quod electionis iam fuit. Heri habuimus noua, qualiter Stephanus Ungarus Micbanus, qui se Ducem Calabrie nominabat, obsidionem Generalis Capitanei nostri Calabrie, cum aliorum Comitum, Baronum et fidelium nostrorum illarum partium potentiam (igy) nequiens ulterius substinere, quam subierat per sex menses vel circha in terra Montis Leonis de partibus Calabrie supradictis, latenter tandem egressus cum tribus sotiis, ut abiret, cum saluti suo remedium aliud non videret, per gentes dicte obsidionis in passibus deputatas, interceptus extitit cum dictis sotiis, tribus ictibus vulneratus; et detinetur captiuus per nostrum Generalem Capitaneum su-

pradictum. Et prefata terra Montis Leonis ad pristinam obedientiam nostram rediit, preter quam in toto Ducatu Calabrie nulla inobediens alia existebat. Datum in Ciuitate Sancte Marie sub sigillo nostro secreto die primo Decembris secunde indictionis. Rex Jerusalem et Sicilie.

(A »Codice dei Capitoli«-ból XVI. köt. Cl. XI. dict. 1. a florenczi »Archivo delle Riformagioni«-ban.)

275.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király az állandó békesség megkötése tárgyában. 1348.

Serenitatis Vestre amicitie constat evidenter, quod nos vobis nunciavimus per litteras nostras, ut solempnes Ambaxiatores vestros ad habendum colloquium una nobiscum de pace perpetua, que pendentibus treuguis inter nos stabiliri possit et firmari, ad nos transmitteretis, quos Vestra Celsitudo ad nostram destinavit Majestatem. Nosque de intentione vestra, ut predicta pax perpetua inter nos posset stabiliri, eosdem Ambaxatores vestros plenarie habuimus informatos; que videlicet pax perpetuo adhuc inter nos minime potuit ordinari. Et licet, ut premittitur, predicta pax perpetua nunc inter nos nequiverit ordinari; tamen treuguas inter nos ordinatas usque tempus deputatum volumus observare. Nam si predicta pax perpetua inter nos fieri et ordinari potuisset, nos libenti animo voluissemus. Date Bude XVII. mensis Decembris. Lodovicus Hungarie, Jerusalem et Sicilie Rex etc.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 224. lev.)

276.

A florenczi köztársaságnak Tarentoi Lajos. 1349.

Nobilibus viris Prioribus Artium, Vexillifero Justitie, Consilio, Populo et Communi Civitatis Florentie, carissimis amicis nostris.

Amici carissimi. Ex erga vos zelo amicabili, quo versamur, sperabamus in animo, vestras gratas promissiones nec effectu minui, nec tempore quoquo labi; immo illa semper incrementa suscipere, sicut nostra crescit affectio, et nostra vobis in vestro casu, quod absit, simili accelerarentur subsidia, morem nostrorum predecessorum posse tenus prosequentes. Pollicitum namque vestrum gentis armigere, ac deinde promissum hore tenus, et in scriptis petitum subsidium, non speratum calidum habet motum; set apparet illud transcursu temporis quadam tepiditate frigescere, et aliquibus quesitis occasionibus annullari. Ex quo non modicum cogimur admirari, cum promissa sic, notabiliter talia, rubore quasi postposito, effectualiter evanescunt. Dolendum est etiam, quia iam dicta ventura subsidia per totam sunt Ytaliam publicata, et sic videntur deficere sine causa. Et ex hoc nonnulli unitam utrinque amicitiam dissolutam possent rationabiliter arbitrari. Nec tantum ad commune quasi negotium atque causam, quorum vos esse ex toto participes credebamus, speramus tale vestrum subsidium processurum. Set nobis in partibus longe remotis agentibus, nostrorum predecessorum meritis in considerationem aductis, tam paruum sic ventilatum subsidium largiri per vos gratantius et festinius fuissemus rationabiliter opinati. Cogimur itaque vestram amicitiam frigidatam et tepefactam zelo et spiritu feruentis dilectionis ardentius inflammare, et illam festinis rogaminibus et crebris clamoribus excitare, ut iam dicte gentis armigere nobis et nostris Ambaxatoribus totiens promissum subsidium, velit vestra caritas, et tam connexa amicitia, remotis dilationibus et anfractibus, ad nos vestrum amicum aduersitatis et consolationis sotium, cum omni festinantia destinare.

Nostri et vestri inimici sunt more solito Fogie, nec inde ausi fuerunt discedere. Statim enim cum applicuerit vestra gens, quam infra triduum expectamus, illos ibimus per aliter visitare. Electus Ungarus cum sua familia iam discessit in omine suo malo. Et similiter fecisset Vayvoda, nisi eorum assolidati Theotonici invites eum et eius filium tenuissent obsides pro habendo circha octuaginta millia florenorum auri, quos dicunt se debere recipere de aragagiis eorundem. Nos

quidem misimus quinque ex nostris galeis versus Sinuam, et quatuor alias Januensium cum consensu Communis Venetiarum post illas infra dies quindecim ac tardius transmittemus. Invenimur habere de bona cavallaria et consueta, advenis omnibus assolidatis, banderias centum tres equitum; Comites, preter Barones Neapolitanos et Reginales, alios, ac gentem nostri hospitii; qui omnes sunt simul numerus copiosus. Pedites enim ultra mille habemus de sic bonis et electis, sicut possent in Ytalia reperiri.

Que centum tres banderie equitum nostri Prelati, Comites et Barones, ac Universitates, eorum gratia reputantes guerram fore, potius eorum quam vestrum acceperunt infra eos ordinem, et taxationem fecerunt pro satisfaciendo eis, pro mensibus sex et pluribus, si expediens forte esset. Siculi sunt dispositi mictere totas eorum vires in ista guerra nostra, qui nobis grossum pecuniale subsidium iam fecerunt. Et, quod credimus ad vestram notitiam peruenisse, Sancta Romana Ecclesia ad instantiam nostram, et in favorem nostrum atque subsidium, mictit ad Regnum Legatum, dominum Cardinalem Neapolitanum, cum pecunia et gente armigera ad defensionem nostram et nostri Regni predicti. Qui faciet asperos et solempnes processus contra nostros aduersarios. Propter que omnia non alii quam felices successus et victoriosi poterunt euenire ex nostra guerra, cum adiutorio Dei, et cum nostre justitie fida spe.

Rescribentes nobis precamur de finali intentione vestra; ut sciamus veracius, qualiter nostros processus disponere habeamus. Data in Ciuitate Sancte Marie die XVI. Januarij secunde indictionis.

Rex Jerusalem et Sicilie.

(Az »Atti publici dell' Archívio delle Riformagioni« Cod XVI. Cl. XI. dist. 1., a florenczi levéltárban.)

277.

VI. Kelemen Guido bibornokot mint pápai követet küldi I. Lajos magyar királyhoz. 1349.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Quamquam dilecti filii Guidonis tituli Sancte Cecilie Presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati presentia, utpote Nobis apud Sedem eandem plurimum oportuna et utili, careamus inviti; necessariis tamen et arduis suadentibus certis causis, ipsum ad Regnum tuum Vngarie, et certas alias partes, commisso sibi in eis plene Legationis officio, providimus destinandum. Quocirca Serenitatem Tuam attente rogamus, quatenus memorato Legato in hiis, que tibi circa fauorabilem et votiuam execucionem commissorum ei negotiorum pro parte nostra viue vocis ministerio reserabit, credas indubie, et sicut filius benedictionis et gratie sic ea pro Diuine Maiestatis reuerentia, et nostre interventionis obtutu ad effectum debite prosecutionis adducas, quod Legatus idem huiusmodi negotiis, fauente Domino, feliciter expeditis, de laboribus suis cum exultatione metat et colligat, ac tandem ad Nos deferat manipulos expectatos. Datum Avinione XII. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno septimo.

In eodem modo Elisabeth et Marie Reginis Vngarie, Stephano nato clare memorie Caroli Regis Vngarie Duci Transiluano; Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopis Quinqueecclesiensi, Agriensi, Jauriensi, Varadiensi, Electis Nitriensi et Vesprimiensi.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

278.

Tarentoi Lajos és I. Johanna siciliai királynénak adományai I. Lajos magyar király siciliai hiveinek javaiban. 1349.

A) Ludovicus et Johanna etc. vniuersis presens privilegium inspecturis tam presentibus quam futuris. Benemeritis

Principem est providere fidelibus, et si gratie plenitudo suadeat, obsequiorum quodammodo gratitudo compellit. Actendentes igitur sinceritasem devotionis et fidei operosamque constantiam isto presertim turbato tempore patenter ostensam Corradi Capani de Rocca Cilenti militis fidelis nostri, nec minus advertentes grata servitia per eum nobis sub viro nobili Rogerio de Sancto Severino Tricarici Comite Generali Capitaneo Calabrie prompta solicitudine prestita contra hostes, in quibus dampna varia rerum suarum, diructiones domorum, et incommoda plurima notabiliter est perpessus, et ad que prestanda se semper exhibet promptiorem, sicut oracula plurium laudanda testatur, ex quibus maioris beneficij gratiam promeretur: in aliqualem recompensatationem dampnorum huiusmodi et expensarum, quas pro ipsis nostris obsequijs dignoscitur subijsse, bona omnia stabilia et burgensatica siue feudalia, que habebat in terra Stilj et partium eius Fredericus Guerra de Giracio miles, proditor seu rebellis Maiestatis Nostre, quorum valor annuus summam vnciarum auri duodecim generalis ponderis communiter, ut ponitur, non trasendit, ad manus nostre Curie ex causa premissa, ut fertur, legitime devoluta, seu quam primum per ipsius Frederici condempnationem, vel aliter ex quacunque iusta causa devolui contingat ad ipsius nostre Curie manus, cum hominibus, vassallis, si qui sunt, alijsue iuribus, redditibus, fructibus, obventionibus, et pertinentijs omnibus eorundem, eidem Corrado ac eius heredibus utriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, inperpetuum exnunc ut extunc damus, donamus et tradimus, et ex causa donationis proprij motus instinctu de nouo concedimus in feudum nobile, et vsque ad valorem dumtaxat annuum predictarum vnciaram auri duodecim ponderis generalis, veluti per specialem inquisitionem faciendnm exinde bona ipsa fuerint valere comperta etc. etc. In cuius rei fidem perpetuamque memoriam presens privilegium exinde fieri, et pendentibus sigillis Nostre Maiestatis jussimus communirj. Datum Neapolis etc. Anno Domini millensimo tricentesimo quatragesimo nono die X. Februarij secunde indictionis; Regnorum nostri Regis anno primo, nostri vero Regine anno septimo.

B) Ludovicus et Johanna etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Subiectorum nostrorum compendijs ex affectu benigne caritatis accedimus; quo fit, ut ipsorum petitionibus assensum facilem benignius prebeamus. Sane Corradus Capanus de Rocea Cilenti Miles fidelis noster, Maiestati Nostre supplicacit humiliter; vt cumvir nobilis Rogerius de Sancto Severino Tricarici Comes Generalis Capitaneus Calabrie, dilectus Consiliarius familiaris et fidelis noster, propter ipsius militis grata servitia prestita nobis, presertim in Calabrie partibus contra hostes, et propter dampna varia, que Corradus idem ipsis inferentibus hostibus in rebus et bonis suis multipliciter est perpessus, dederit atque concessit in perpetuum eidem Corrado et eius heredibus sub certa concessionis forma certa bona feudalia valoris, ut ponitur, annui vnciarum auri sex ponderis generalis, que Johannes Pallerius miles, olim Castellanus Castri Montis Leonis, proditor et rebbelis noster a Curia nostra sub certo servitio seu adoha tenebat et possidebat in feudum, queve sunt per proditionem seu rebellionem eiusdem Johannis ad ipsam nostram Curiam legitime devoluta, reservato Maiestatis Nostre beneplacito et assensu, dationem et concessionem huiusmodi confirmare, ipsaque bona nichilominus sibi de nouo concedere de gratia dignaremur. Nos autem eiusdem Corradi servitia gratis affectibus actendentes, porrectis nobis in hac parte supplicationibus eius benignius exauditis, dationem et concessionem easdem factas taliter per Comitem ratas habentes et gratas, illas de certa nostra scientia et specialij gratia tenore presentiam confirmámns etc. etc. Datum Neapolj anno Domini millesimo CCCXL. die X. Februarii II-e indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo, nostri vero Regine anno sexto.

C) Ludovicus et Johanna otc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Sicut boni digni sunt premio, sic et reprobi plectendi sunt penalitatis exemplo; quo frequenter producitur, ut dum merenti confertur merces muneris, custoditur iusto substantia peccatoris. Sane licet Thomasius de Aquino, dudum Laureti Comes, eiusque prede-

cessores a nobis et progenitoribus nostris pro clare fidei et servitiorum eorum meritis, impensorum specialiter memorie recolende condam domino Roberto Dei gratia Jerusalem et Sicilie Regi Illustri preter affectum dilectionis Regie Maiestatis et nostrum subsequenter multa fuerint beneficia consequuti. Quia tamen in presentiarum fidem suam in perfidiam cum tempore varians, suosque mores contrario vento flante pervertens, Regi Hungarie, hosti nostro puplico, alijsque nostris inimicis et emulis atque rebellibus cum ipso Rege invadentibus et occupantibus pridie Regnum nostrum, prout puplicum est, lateque notorium proditorie et imprudenter adesit, et cum eis contra sue fidei debitum honoremque nostri culminis temere coniuravit, et in eius obstinate prodictionis perfidia atque proteruia cum nostris inimicis et rebellibus alijsque occupatoribus Regni nostri temere adherendo, illisque cum omni fauendo assistentia qua potest presentialiter perseverat. Cuius rei causa beneficijs nostris et gratia indigno redito, et propter sui puplice et notorie proditionis et rebellionis notam adversus nos, nostrumque Regale Dominium commissam, bonis suis omnibus feudalibus et burgensaticis, que in Regno tenebat, ad manus nostre Curie rationabiliter devolutis; Nos actendentes inviolabilem devotionis et fidei puritatem virj nobilis Herrici Caraczuli de Neapolj Magni Regni Sicilie Camerarij, ac Hospitij nostri Magistri, dilecti Consiliarij, familiaris et fidelis oostri, quam erga clare memorie dominos progenitores nostros, nosque pariter in vrgentis et ardue necessitatis articulo seruavit actenus et servat illesam; considerantes quoque grata satis ardua et accepta servitia, que idem Herricus Culmini Nostro dudum exhibuit devote, nunc exhibet, et exhibere poterit prosecutione laudabilj in futurum. Cuius considerationis obtutu promptuarium nostre munifice gratie sibi procuravit pro meritis, ut apud nos per gradus habundet honoribus et amplis beneficijs successiue concrescat; eidem Herrico tamquam benemerito, et suis utriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et in antea nascituris, bona omnia feudalia, que idem Thomasius in Ciuitate Averse et Casali Trentule de territorio Auersano a Curia nostra tenuit, necminus et bur-

gensatica, queque sita ibidem propter eius puplicam et notoriam prodictionis notam adversus nos nostrumque Regale Dominium, ut predicitur, commissam, ad manus nostre Curie rationabiliter devoluta; super cuius commisse prodictionis nota, ex nunc de certa nostra scientia decernimus, declaramus et volumus ad ipsius Thomasij defensionem seu quomodolibet aliter nullam aliam inquisitionis seu probationis indaginem imposterum fieri, sed omnem eidem Thomasio super hoc et alterj pro parte sua defensionis et allegationis causam penitus denegamus; cum hominibus, vassallis, vassallorumque redditibus, domibus, pensionibus, terris cultis et incultis, planis, montibus, pascuis, molendinis, aquis, aquarumpue decursibus, tenimentis, territorijs, alijsque juribus, jurisdictionibus, et pertinentijs suis omnibus, que videlicet de demanio in demanium, et que de servitio in servitium damus, donamus, tradimus et ex causa donationis proprij motus instinctu concedimus; siquidem de novo feudo fuerit, pro eo valore annuo, qui in regestris nostris Regalibus annotatur, et si de antiquo, pro eo valore annuo, quem secundum inquisitionem de mandato nostre Curie exinde faciendam fuerunt valere comperta, de certa nostra scientia, liberalitate mera et gratia speciali, detinenda quidem per ipsum Herricum, dictosque heredes suos inmediate, et in capite a nostra Curia sub servitio perinde contingenti, ad rationem de annuis vncijs viginti pro unoquoque integro servitio militari, secundum que est de vsu et consuetudine Regni nostri; ad quod servitium prestandum premisso modo Herricus idem pro se suisque heredibus se nobis nostrisque heredibus voluntarie facere obtulit et promisit etc. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendentibus sigillis nostris iussimus communirj. Data Neapolj anno Domini millesimo CCC.XLVIIII. die duodecimo Martij, secunde indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo nostri nero Regine anno sexto.

(A »Registri Angisini« A. 356. sz. a. Reg Ludovici et Johannae I. czimű kötetében. 15. stb. lev.)

279.

A velenczei köztársaságnak Tarentoi Lajos és. I. Johanna siciliai királyné. 1349.

Magnifice vir et amici carissimi. Non insistimus verbis, quia satis amicitie vestre et in remotioribus partibus constat experimentaliter esse notum, qualiter illustris Rex Hungarie se fecit publicum hostem nostrum, Regnumque nostrum invasit, et ad iteratam invasionem per gentes suas et alios apparatus bellicos nisus est et nitiur toto posse contra reverentiam et obedientiam Sancte Matris Ecclesie reverende domine matris nostre, sub cuius virtute dextere nos prosequimur causam nostram. Quin igitur ad tollendum perverse sue machinationis fomentum, quod est hucusque visus intendere, signatas per mare certas galeas, tam de gentibus Regni nostri pro maiori parte, quam de gentibus Monachi, quam eciam aliis devotis nostris armatis providimus secundum deliberacionem nostri Consilii versus illas partes maritimas quamcicius profecturas contra ipsum hostem nostrum et gentes suas, et litis sue consortes atque participes, complices et fauctores, et ad nostram et nostrorum subditorum complacentiam nullius, quod alterius iniuriam vel offensam galearum illarum Capitaneo sub gravibus penis realibus et personalibus expresse duximus iniungendum. Amicitiam vestram affectuose precamur, quatenus Capitaneum et navigantes in galeis eisdem velitis amore nostri commendatos suscipere, et in locis et partibus vestri Dominii mandare per vestros fideles et subditos amicabiliter pertractari, ac de victualibus et necessariis aliis, que requisiverint, subveniri, videlicet nt maior vobis et vestris de galeis ipsis suppetat certitudo, contentamur et volumus stari debere ista vice processui vestro, habendo in casu forsitan, quo aliquas vel aliquam ex dictis galeis contra vos et vestros ex inopinato contingerit actentare, quod nullo modo credimus locum habere, cum de hoc specialiter supra habeant cum omni diligencie actencione cavere ipsi, et de affectatione pro honore nostro et complacent a quoquo vestro concessuri, si placet, eidem Capitaneo securitatis vestre litteras oportunas — —

— — nobis inde rescripturi. Datum Neapoli sub anulis nostris secretis die XIII. Februarii, secunde indictionis.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 230. lev.)

280.

VI. Fülöp franczia király és a bourboni herczegek közbenjárnak az I. Lajos magyar királynál fogságban lévő Anjoui herczegek kiszabadulásának ügyében. 1349.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum illustri salutem etc. Carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francie illustris, et dilecti filii nobiles viri Petrus Dux Borbonesii et Jacobus de Borbonio fratres, compatientes nimirum carissimo in Christo filio nostro Roberto Imperatori Constantinopolitano illustri super captivitate sua, quam longo iam tempore vna cum aliis Regalibus Domus Sicilie passus est et patitur, sicut nosti, pro liberatione Imperatoris eiusdem apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie efficaciter, sicut accepimus, intercedunt; dilectum filium Johannem Caprarii Canonicum Cameracensem, et nobilem virum Guillelmum Quinardi Militem, Montisconensis Diocesis, exhibitores presentium propterea destinantes. Cum autem, fili carissime, pro liberatione Imperatoris et aliorum Regalium predictorum frequenter apud Regem Vngarie memoratum instīterimus, sicut nosti nec adhuc proficere potuerimus apud illum; ac nos sperantes verisimiliter, quod saltem nunc idem Rex Vngarie Regis Francie, ac Ducis et Jacobi predictorum emollitus precibus, nostris facilius desideriis condescendat; sub spe huiusmodi apud eundem Regem Vngarie pro Imperatoris et aliorum Regalium predictorum liberacione per nostras litteras insissamus: Serenitatem Tuam attente ac affectuose rogamus. quatenus apud Regem Vngarie memoratum pro liberacione Imperatoris et Regalium predictorum dare velit Tua Sublimitas Divine pietatis intuitu et nostre interventionis obtutu operam efficacem; ita quod per efficacis tue operationis auxilium

prestante Domino, consequi mereamur effectum optatum. Ceterum dictis Canonico et Militi, ut ad Regem eundem pervenire et redire ab eo secure possint, securum conductum concedere, ac ab eodem etiam Rege velis liberaliter inpetrare. Datum Avinione idibus Februarii, Pontificatus nostri anno septimo.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

281.

Miczbán István mint magyar kormányzó Calabriában. 1349.

De Stephano Misbano, qui se faciebat Ducem Calabrie tirannice nominari.

Ludovicus et Johanna etc. Generali Capitaneo Calabrie vel Justitiario eiusdem Provincie, necnon Capitaneo Civitatis Regij suique Districtus, vel eorum alteri, fidelibus suis gratiam etc. Sicut exposuit nobis nouiter Guillelmus Morelli fidelis noster, dudum clare memorie reverendus dominus auus noster Jerusalem et Sicilie Rex illustris, dum viueret, attendens fidem, industriam, sollicitudinem et legalitatem eiusdem Gnillelmi, eum Castellanum Castri nostri Sancti Niceti duxit usque ad Maiestatis Sue beneplacitum cum consuetis gagijs per speciales commissionis sue licteras ordinandum; Nosque Regina deinde infra tempus nostri regiminis Guillelmum ipsum in eodem Castellanie offcio confirmandum duximus per nostras licteras ac etiam ordinandum. Set factum extitit et sequutum, quod insurgente turbine et exorto fremitu in ipsa Calabra regione propter adventum potissime Regis Vngarie notorij hostis nostri, et dominante tunc inibi Stephano dicto Misbano, qui se faciebat Ducem Calabrie tirannice nominarj, nonnulla castra et terre fuerunt per eundem Stephanum de facto, et motu ejusdem Stephani occupate, summisseque regimini Stephani supradicti. Dumque Guillelmus idem, tam ex sequuto mortalitatis eventu, que servientes eiusdem Castri, remanentibus ibi tantummodo quatuor pauperibus et egrotis in concursu cum defunctis alijs de hac vita subduxerat, quam devictum egritudine sui languentis, in lecto disposuisset in

anno predictum Castrum ad honorem et fidelitatem nostram, Maiestatis Nostre pro possibilitatis sue viribus custodire; impulsus tamen exortationibus Francisci Moleti compatris sui procurantis, cum non posset aliter quoquomodo resistere, Castrum ipsum predicto Francisco sub spe sibi policitationis exhibere et jure jurando de saluando Guillelmum ipsum re— — — — — — sua ponitur resignasse. Post cuius quidem resignationis quesite tractatum Guillelmus ipse de ordinatione predicti Francisci captus extitit, et in ejusdem Stephani manibus resignatus. Cuius rei causa Guillelmus idem irre — — itus carceribus, et huc et illuc per terras et loca Calabrie miserabili captivitate traductus, spatio mensium quinque,preter tormenta persone varia, que subivit, carceralia tedia non sine imminenti sibi persone periculo et perdictionis (igy) facultatis proprie seu bonorum suorum, conscendentium valorem seu summam vnciarum auri quinquaginta et vltra angustiose ac miserabiliter ponitur supportasse. Sicque Guillelmns idem nobis supplicavit humiliter, vt restitui eum ad huiusmodi Castellanie officium — — — provideri sibi de restitutione congrua rerum ipsarum sive bonorum caritate dominica mandaremus. Quia ergo de servitijs supplicantis eiusdem fidedignam informationem habemus. — — — — — — — — — — — — —
Data Neapoli anno Domini millesimo CCC.XLVIIII. die X. Martij II. indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo, nostri vero Regine anno septimo.

(A »Registro Angisini« A. 356. sz. a. Reg. Ludovici et Johannae I. kötetéből 84. lev.)

282.

Capuai Robert Altavillai gróf, I. Johanna siciliai királyné hivének jutalmaztatása. 1349.

Ludouicus et Johanna etc. vniuersis etc. Quia beneficia Principum decet esse mensura; sic eorum concessio ualidioribus est roboranda fauoribus, vt quod gratiose concessum noscitur, in maioris cautele suffragium aptius imposterum fulciatur. Sane dum in anno prime indictionis nuper elapse in par-

tibus Terre Laboris, et signanter tunc in Ciuitate Capue, propter hostes in Ciuitate Theani manentes, guerre fremitus vrgeret ad extollenda fidelium merita, qui in magna constantia extiterunt; nobili viro Roberto de Capua Comiti Altauille, dilecto Consiliario et fideli nostro, qui inter alios ad honorem et fidelitatem nostram constans in fide permansit, de Mero et Mixto Imperio ac gladij potestate et iurisdictione in criminalibus pro se et suis heredibus quandam cedulam nostram concessimus continentie subsequentis.

Nos Dei gratia Jerusalem et Sicilie Regina in recta et debita consideratione ducentes, quod hostes qui Regnum inuaxerant, et iam usque Theanum occapauerant, adeo quod pre foribus instarent, sistentes contra nos, ad vlteriorem progressum compulsi sunt sistere propter oppositam eis nostram potentiam in Ciuitate Capue in comitiua Illustris domini Ludouici de Tarento reuerendi domini viri nostri, aduertentes illos ex Comitibus et Magnatibus huius Regni, qui cum eodem domino Ludouico in sic vrgenti casu, de quo totius subuersione (igy) rei puplice rationabiliter timebatur, cum studio prompte fidelitatis, quando alij Magnates et Comites etiam moniti et solliciti negligentes comperti sunt pariter et absentes, laudabiliter militarunt, cum amplis et importabilibus quodammodo sumptibus, sicut tante exigentia necessitatis requirebat, pericula quelibet, sita quasi ante oculos non verentes. Et secundum hec signanter actento, quod hij qui pondus et estus portasse noscuntur, speciali nostra gratitudine digni sunt, non solum ad presentes, set ad posteros exemplariter transitura; Magnifico viro Roberto de Capua Comiti Altauille etc. uni ex Magnatibus predictis, qui taliter Capue personaliter interfuerunt, in testimonium fidelitatis sue et exemplum nostre gratitudinis pro se et suis heredibus etc. etc. in perpetuum in omnibus terris et locis, quas et que habet in Regno, tam ipse quam dicti heredes sui iuxto titulo in posterum habituri, Merum et Mixtum Imperium et gladij potestatem, et in Criminalibus iurisdictionem gerendam per eum et successiue per dictos eius heredes, per ministros eorum fideles discretos et prouidos duximus de certa nostra scientia et speciali gratia premissis causis satis rationabilibus exigentibus

concedendam. Reseruatis nobis, nostris heredibus et successoribus tam appellatione in grandibus a Jure permissis, quam generali Inquisitione, et alijs, si qua sunt Majoris Dominij ratione; volentes, vt secundum premissa, alio non expectato mandato, fiant exinde per . . . Protonotarium vel eius Locumtenentem nostre lictere apportune. Data Neapoli sub anulo nostro secreto die vltimo Decembris prime indictionis.

Nouiter autem prefato Comite Nostre Celsitudini supplicante, vt de predicta gratia sub magno sigillo nostro patentes oportunas licteras in potioris firmitatem roboris et habundantiorem cautelam concedere benignius dignaremur; Nos de causis motiuis in predicta cedula nostra contentis conscientiam certam habentes, ex gratis affectibus in animo deuoluentes, quod ipse Comes tam in abscentia nostra de Regno, quam in presentia subsequenter in assistentiam et fauorem recuperationis nostri honoris et status, et reintegrationem Regni nostri, discursibus hostium a sua pristina integritate diuisi, et rei puplice ipsius restaurationem felicem nedum ad pecuniales subuentiones et expositionem bonorum omnium se promptum et liberalem exhibuit, et personam suam et suorum, tam in comitiua Incliti Principis domini Ludouici Jerusalem et Sicilie Regis illustris reuerendi domini viri nostri, quam alias diuersimode, non verens periculosos et discriminosos incumbentes euentus, feruore fidei cum perseuerantia laudabili deputauit, quo munificentie nostre gratitudinem sibi cum magnis (igy) laudis preconio vendicavit, premisse concessionis nostre gratiam de Meri et Mixti Imperij ac gladij potestate, jurisdictionibus etc. sicut in prescripta nostra cedula continetur, de certa nostra scientia approbantes, illam in maioris uigoris suffragium confirmantes expresse decernimus, eandem prefato Comiti (et) dictis suis heredibus inuiolabiliter cum plena efficacia permansuram; quibuscunque ordinationibus uel rescriptis quantumcunque expressis, sub quacunque serie formaque verborum factis uel inantea faciendis etiam exigentibus considerationibus quibuscunque, uel si esset de illis uel aliqua eorum clausula de uerbo ad uerbum specialis et seriosa mentio facienda, non obstantibus quoquomodo. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Excel

lentie Nostre sigillo iussimus communiri. Datá Neapolí anno Domini millesimo trecentesimo quatragesimo nono die octauo Martij secunde indictionis. Regnorum nostrorum anno VII.

Supplicauit itaque Maiestati Nostre nouiter idem Comes, vt ad majorem efficaciam et vigorem Reginalis concessionis prescripte dignaremur eandem auctoritatis nostre presidio confirmare etc. Nos autem de premisse concessionis ac subsequenter approbationis et confirmationis Reginalis causis et motiuis habentes specialem conscientiam et expressam, qui particulariter in dicta Ciuitate Capue tunc temporis adheramus, per quod nos ipsi nobis perhibemus in testimonium, quod ipse Comes in augmentum si — — — — sue fidelitatis premisse tam in ejusdem Regine quam nostra de Regno absentia et subsequenter presentia circa recuperationem et reparationem collapsos status salutemque rei puplice dicti Regni nunc cum alijs ante nostrum et ipsius Regine in Regnum redditum, eiusdem reformationi et saluti ad honorem et fidelitatem nostram et Reginalem vacantibus, nunc nobiscum post nostrum et dicte Regine regressum cum armigerorum iuxta sui exigentiam notabili comitiua imminentibus discriminosis periculis et immensis sumptibus non pepercit, quod non solum concessorum potioris suffragium cautele promeruit, quinnimo se vberioris gratie compensatione multiplici dignum fecit; prescriptas Reginales licteras sibi et dictis suis heredibus de Mero et Mixto etc., sicut in eis seriosius continetur, dudum concessas ad ipsius cautele habundantioris vigorem pariter et effectum et in Comitis eiusdem (et) dictorum heredum tante fidei claritatem de certa nostra scientia ratificamus, approbamus et confirmationis nostre — — — roborantes. Decernentes de ipsa certa nostra scientia illas dicto Comiti suisque prefatis heredibus iuxta prefatarum Reginalium licterarum continentiam valituris efficaciter et perpetua stabilitate mansuras In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Majestatis Nostre sigillo jussimus communiri. Data Neapoli anno Domini millesimo CCC.XLVIIII. die XVII. Martij II. indictionis, Regnorum nostri Regis anno primo, nostri vero Regine anno VII.

(A »Reg. Angioini« A. 356. sz. a. Reg. Ludovici et Johannae I. k. 33. lev.)

383.

A velenczei köztársaságnak viszonya a szerb királyhoz, a byzanczi császárhoz, és a boszniai bánhoz. 1349.

Anno MCCCXLIX. die ultimo Marcii. Capta: Quod in nomine Dei pro satisfaccione et emenda damnorum, que nostri fideles et subditi de Ragusio receperunt et indesinenter recipiunt in Regno Raxie, de quibus coram nostro Dominio graviter conqueruntur, supplicantes, ut pro eorum restitucione et refformatione novitatum et molestiarum, que eis coditie irrogantur, dignaremur nostros solempnes Ambaxatores ad dominum Imperatorem Raxie destinare; mittatur unus Ambaxator solempnis ad eundem dominum Imperatorem, cui committatur, quod post salutacionem decentem, ei ex parte nostra propoxitam, exponat et dicat, quod nos, qui dudum inspeximus sincere dilectionis integritatem, opera clare fidei et magne, quod devocionis et benivolencie firmamentum, quibus predecessores eius incliti Reges Raxie, et predecessores nostri Duces illustres et Communitas intervenientibus laudabilibus hinc inde caritatis operibus viguerunt; que quidem mentibus nostris insita, nos nostraque tota Communitas conservare proposuimus cum Sua Excellentissima Maiestate et servare, quantum in nobis est, in futurum proponimus. Audivimus dudum, et incessanter audimus graves querelas et lacrimabiles nostrorum subditorum de Raguxio et fidelium dilectissimorum, dicencium, in Imperio suo per Officiales sue Sancte Corone non una, sed diversis gravitatibus et molestiis tractari, et propterea se ad dampna gravia et iacturas intolerabilis esse prolapsos, damna quoque dampnis, novitates novitatibus, et gra vitates gravitatibus continuate et indesinenter augeri. Que quidem novitates, gravitates et dampna, eis importabilia, ipsos astringunt de Regno recedere, et in ipso more solito non merchari. Pro tanto igitur nos, qui in animo semper habemus sinceritatem et fidem, bonumque pacis et concordie cum Sua Sacra Maiestate nostre mentis affectibus conservare, providimus eundem Ambaxatorem nostrum ad Suam Serenitatem Clarissimam destinare, quam volumus ex parte nostra instan-

ter orare, ut pro honore Sue Serenissime Maiestatis ad iusticie et nostre consideracionis intuitum, qui semper et omni tempore reddimur ad eius beneplacita et grata dispositi leta mente; dignetur et velit ordinare efficaciter, et cum effectu mandare, quod ipsis nostris fidelibus de Raguxio, quorum commoda et augmentum tamquam bonum proprium reputamus, et continue procuramus de hiis, que ab eis indebite sunt ablata, ac de dampnis singulis, gravitatibus et molestiis, eis per Officiales Regis irrogatis, fiat satisfaccio debita et condigna taliter, quod habeant merito contentari, et eis causa querele amplius non supersit. Mandet quoque et Sua Clara Serenitas, et ordinet cum effectu, quod ipsi Raguxie privilegiis et promissionibus gaudeant ac immunitatibus et beneficiis in Regno suo, quibus a longis retro temporibus sunt gavisi; ita ut restitutis et satisfactis dampnis quibuslibet, et ammotis gravitatibus et molestiis insolitis quibuscunque, ipsi Raguxini in Regno suo conversari possint et mercari, sicut consueverant ante has novitates et dampna, hoc cum Sue Maiestatis honorem et decus respiciet, et fructus et utilitas inde parabitur toti Regno; nos quoque quam licet promptos dudum in singulis eius beneplacitis reperire potuerit, inveniet ad eadem singulis temporibus promptiores.

Capta: Verum cum Comes et Commune Ragusii intendant mittere suos Ambaxatores simul cum nostro, et munera ipsi Imperatori, sicut eorum Ambaxatores affirmant, dictus Ambaxator noster eundo, prius vadat Raguxium, ubi, postquam eis dederit noticiam vie sue, audiat querelas eorum et dampna, que passi sunt in Imperio predicto, in quibus ipsi petunt satisfactionem, informando se de hiis, que necessaria pro eius Ambaxata fuerint, ut sciat, quid habeat facere, quidque petat; et postea prosequatur celeriter iter suum; et si dominus Imperator predictus satisfecerit Raguxeis, aut concordia intervenerit, de qua Raguxei contententur, Venecias revertatur; si autem intencionem nostram et ipsorum Raguxinorum, quas super diximus, ab eodem domino Rege habere non poterit vel complere, et essent alique differentie inter ipsum dominum Imperatorem et illos de Raguxio, scribat ip-

sas nobis, et quicquid fecerit et habuerit, et super ipsis suum consilium, et expectet nostrum mandatum.

Die VI. Aprilis. Capta: Quod pro Dei reuerentia et honore nostro, ac pro omni bona causa committatur Ambaxatori ituro ad dominum Regem Servie, quod, tacto primo et principaliter eidem Regi negocio Raguseorum et nostrorum Venetorum, pro quibus specialiter destinatur, debeat cum verbis condecentibus movere verba eidem Regi Servie de tractando concordio inter ipsum et dominos Imperatores Constantiopolis. Et si ipse Rex videbitur attendere ad ipsum concordium, et dicto Ambaxatori videbitur; notificet hoc Ambaxatori nostro Constantinopolitano, scribendo ei, quod persentiat voluntatem ipsius domini Imperatoris Constantinopolis in facto dicti concordii, trahendo ab ipso Imperatore quicquid in hoc poterit, et velociter rescribendo dicto Ambassatori, misso ad Regem. Et si ipsi Ambaxatori nostro misso in Serviam secundum ea, que habebit tam a Rege Servie, quam ab Ambaxatore Costantinopolitano, videbitur de eundo usque Constantinopolim ad dominos Imperatores pro ipsa causa concordii, vadat in bona gratia, et in hoc faciat, quicquid boni poterit. Et ad cautelam dentur sibi hinc littere credulitatis pro faciendo Ambaxiatam ipsis dominis Imperatoribus. Preterea committatur eidem Ambaxatori, quod non impediendo propterea predicta duo negocia, videlicet Raguseorum et Venetorum nostrorum, et Imperatorum Constantinopolis, sed ipsa primo et principaliter procurando; si sibi videbitur posse tentare concordiam inter dominum Regem Servie et dominum Banum Bosine, debeat dare omnem operam, quam poterit, pro bono ipsius concordii, sicut et quando sibi videbitur, possendo etiam ire ad ipsum dominum Banum, et sibi Ambaxiatam pro parte nostra facere occasione predicta, non impediendo prima duo negocia, ut est dictum. Et dentur etiam pro isto respectu sibi littere credulitatis ad predictum dominum Banum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXV. köt. 16. sk. ll.)

284.

A velenczei köztársaság levele I. Lajos magyar királyhoz. 1349.

Anno MCCCXLIX. die IV. Aprilis. Quod ad litteras domini Regis Hungarie, Jerhusalem et Sicilie respondeatur in hac forma:

Serenitatis Vestre litteras recepimus continentes, quod treugua octo annorum ob hoc inter Vestram Seneritatem et nos extiterat ordinata et firmata, ut in ipso tempore dicte treugue pax perpetua possit firmari et ordinari, et quod instanti tempore nostros Ambaxatores mittere poteramus ad vestram presenciam, et Vestra Serenitas ad nos poterat destinare etc., prout in ipsis litteris distinctius continetur. Quibus plenius intellectis et visis, per presentes ducimus respondendum, quod illud idem propositum, quod habet de pace perpetua confirmanda inter partes, nos etiam habuimus et habemus, sicut Deus plene novit; qui semper dispositi fuimus et sumus pro nostra parte, ut durante dicta treugua fieret perpetua et pura pax, per quam amor et benevolentia mutua possit in futurum recipere continuum incrementum. Et ut hoc, quod supradicitur, pateat per effectum, nisi forte casus mortalitatis, que esse dicitur in partibus Vngarie, per quem cives nostri timerent venire ad illas partes, quia de anno preterito substinuerunt casum similem mortalitatis, solempnes Ambaxatores nostros presentialiter mitteremus; sed habito, quod cessaverit, illos ad Excellentie Vestre culmem transmittemus. Verum si interim in hoc temporis intervallo aliquis modus vel aliud quodlibet videretur esse fiendúm Serenitati Vestre; potest, quicquid placet, declarare, cum semper disponamur ad vestrum quodque spectans ad conservationem pacis perpetue et mutui amoris continuum incrementum.

(A »Misti« czimű velencsei államkönyvből XXV. köt. 17. lev.)

285.

Sebenico, Trau és Spalato dalmátiai városoknak viszonya a magyar koronához. 1349.

A) In Christi nomine Amen. Anno Incarnacionis eiusdem MCCCXLIX indictione secunda die octauo mensis Maii. Regnante domino Lodovico Serenissimo Rege Hungarie; tempore etiam domini Andree Dandulo incliti Ducis Venetiarum; et venerabilis patris domini fratris Bonifacii Dei gracia Sibenicensis Episcopi; ac domini Hermolai Gradonico Egregii Comitis dicte Civitatis Sibenicensis, et suorum Judicum Bogdani condam Gregorii Stricieg, Helie condam Radovani et Nadeslai condam Georgii Crusuegnac. Congregato Consilio quindecim Sapientum Civitatis Sibenici in logia Communis prefate Civitatis pro infrascripta causa specialiter convocato, in quo interfuit predictus dominus Comes cum Judicibus et sua Curia, ac maior pars Consiliariorum dicti Consilii Sapientum, habentes plenam auctoritatem et liberam potestatem a Maiori et Generali Consilio dicte Civitatis super omnibus et singulis negotiis dicti Communis, omnes et singuli de dicto Consilio per me Notarium et Cancellarium infrascriptum singulariter et oretenus requisiti, ipsorum nemine discrepante fecerunt, constituerunt et ordinauerunt. stb. stb.

B) In Christi nomine Amen. Anno eiusdem Natiuitatis MCCCXLIX. indictione secunda. Regnante domino Ludovico Serenissimo Rege Hungarie; Excelso Magnifico Domino domino Andrea Dandulo Dei gratia inclito Venetiarum Duce; vacante Episcopatu Tragurii per mortem domini Lampredii olim Episcopi Tragurii; temporibus quidem Egregii viri domini Marci Celsi honoribilis Comitis Ciuitatis Tragurii, suorumque Judicum nobilium virorum Petrarche Stephani, Tompse Donati, Nicole Marini, et Danni Johannis Desse, die duodecimo mensis Maii, in Pleno et Generali Consilio Communis et Civitatis Tragurii sono campane et voce preconis more solito congregato in palacio dicti Communis; dominus Marcus Celsi Comes predictus de con-

sensu et voluntate omnium et singulorum in ipso Consilio existentium et ipsius Consilii vniuersi, ac ipsi omnes et singuli in ipso Consilio existentes, et ipsum Consilium vniuersum, qui totum Corpus et Commune dicte Civitatis Tragurii representant, sponte, vnanimiter et concorditer et ex certa scientia fecerunt, et ordinaverunt stb. stb.

C) In Dei nomine Amen. Anno a Natiuitate eiusdem MCCCXLIX. indictione secunda. Regnante domino Lodovico Sereuissimo Rege Hungarie, ac Domino domino Andrea Dandulo Dei gratia inclito Duce Venetiarum; temporibus venerabilis patris et domini, domini Peregnini Dei gratia Archielecti Spalatensis, Egregii et potentis viri domini Petri Memo honorabilis Comitis, ac nobilium virorum dominorum Nicole Luccari, ser Tomaxii Alberti, et Jancii Leonis Judicum Civitatis Spalati die duodecimo Maii; Egregius et potens vir dominus Petrus Memo Comes supradictus, una cum octo Nobilibus et Sapientibus ex arbitrio eis concesso per Generale Consilium Ciuitatis Spalati stb. ipsi Nobiles omnes nemine discordante ex auctoritate predicta, una cum prefato domino Comite, vice et nomine ipsius Communis et Vniuersitatis prefate Civitatis Spalati fecerunt, constituerunt et ordinaverunt stb. stb. — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — — — —
super facto unionis istarum trium Civitatum, scilicet Sibenici, Tragurii et Spalati, et omnium aliarum Civitatum, Castrorum et locorum cum quibuscunque Dominis et personis etc. etc.

(A »Liber Pactorum« czímű velenczei államkönyvből. V. köt.)

286.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1349.

Litteras Vestri Principatus Nostra Celsitudo benigne mittentis contemplatione recepit; quibus visis elicimus ex contentis in eisdem, quod nisi pestilentia seu mortalitas in Regno nostro miserabiliter vigeret, Ambaxatores vestros pro perpetua pace firmanda utique vos promtos destinare offerebatis. Super quo sciat Vestra Dilectio,

quod permissione Divina plaga hujusmodi, que ut plurimum orbem giravit universum, nunc in Regno nostro ejusdem clementia disponente cessavit; ideoque Ambaxatores vestri secure per vos mitti possunt, ut conceptum negotium salutare ad tractandum et disponendum Nos communiter hiis sollicitudinibus exuat, terrarumquo incole perpetua gandere possint tranquillitate. Céterum amicitiam vestram latere nolumus, quod cum domino Papa amicabiliter concordare speramus in presenti per Legatum fratrem et consangvineum nostrum ad hoc ad Regnum nostrum Hungarie destinatum; et Regnum nostrum Sicilie, uti sub potestate nostra habuimus et habemus sic, et possidere sine quolibet obstante laboramus. Eapropter sicut prius, sic et nunc Vestre Dilectioni supplicamus, ut homines nostros et bona eorumdem ac ad ipsos pertimentia per mare vel terram transeuntes et redeuntes sub vestra Ducali protectione habere velitis, ac ab aliis, quos scieritis eosdem molestare attemptantibus, dignemini nostri amoris ob respectum defensare. Datum Posonii VII. die mensis Juui.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 406. lev.)

287.

Dusan István szerb czár Velenczében hajókat és fegyvereket készittet. 1349.

Anno MCCCXLIX. die XX. Junii. Capta: Quod respondeatur Ambassatoribus domini Regis Raxie, quod corpora galearum, alias oblatorum ei cum furnimentis, sumus contenti eidem facere amicabiliter exhiberi pro speciali amore, quem ad Suam Maiestatem gerimus; sed de facto termini solutionis earum quem petit, offerens dare pignora, propter conditionem nostri Communis id facere non possemus, cum pecunia ipsarum galearum omnino nobis necessaria sit; nam, complacentibus nobis ei de huiusmodi galeis, oportet, quod de aliis construi faciamus, cum hiis et aliis verbis excusando nos ab hac requisitione, et similiter excusando nos a petitione hominum, quos petunt, pro dictis galeis, quos sibi concedere non

possemus propter evidentem necessitatem nostram. De armis vero, que petunt posse extrahere, complaceatur eis, solvendo dacium. Arma sunt ista: clipei more Sclavorum IV centum, lorice C, et paria manicharum de malia C.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXV. köt. 59. lev.)

288.

I. Lajos magyar királynak a velenczei köztársaság. 1349.

Anno MCCCXLIX. die XXV, Junii, Visis et cum omni dilligencia examinatis litteris mencionem agentibus de novis et condicionibus nuper emergentibus in partibus Apulee, et super ipsis habitis deliberacione, consilio et respectu, videtur sapientibus, quod super hiis sit neccessario providendum in hunc modum, videlicet quod scribatur domino Regi Hungarie in forma inferius annotata.

Capta: Alias Serenitatis Vestre litteras recepimus continentes, quod treugua octo annorum ob hoc inter Vestram Serenitatem et nos ordinata extiterat et firmata, ut in ipso tempore ipsius treugue pax perpetua posset firmari et ordinari hinc inde, et quod pro tunc instanti tempore ad presenciam Vestre Excelencie nostros Ambaxatores mittere poteramus, et eadem Vestra Excellencia ad nos etiam poterat destinare etc, prout in ipsis litteris plenius et distinctius continebatur. Ad quarum significationem per nostras responsivas litteras recolimus rescripsisse, quod illud idem propositum quod habet Vestra Serenitas de pace perpetua confirmanda inter partes, nos etiam, prout novit Altissimus, habebamus; qui semper dispositi fuimus et sumus pro parte nostra, ut durante dicta treugua fieret perpetua et pura pax, per quam amor et benivolentia mutua possit in futurum recipere continuum incrementum. Et ut predictum nostrum bonum propositum et nostra pura et mera intencio per effectum operis apparere plenius potuisset, nisi fuisset casus mortalitatis, que dicebatur vigere in partibus Hungarie, per quem cives nostri timuissent venire ad illas partes, quia de anno preterito casum sive pestem similem passi

erant, solempnes Ambaxatores nostros tunc misissemus; sed quam cito haberemus quod cessasset, illos ad Excellencie Vestre culmen transmitteremus; subiungendo etiam, quod si in hoc temporis intervallo aliquis modus vel aliud quodque esse fiendum videretur Vestre Serenitati predicte, quicquid eidem placebat, poterat declarare; quia disponebamur ad quodque spectans ad conservacionem pacis perpetue et mutui amoris continuum incrementum. Cum igitur nesciamus pro certo, utrum Vestra Serenitatis dictas nostras litteras receperit sive non, et intellexerimus, quod Divina potencia suum iudicium mitigaverit in partibus predictis Hungarie, Vestre Maiestati facimus manifestum, quod occassione tractandi omne bonum pacis et amoris ac benivolencie perpetue firmitatis sumus parati mittere ad vestram presenciam nostros Ambaxatores honorabiles; dummodo placeat Vestre Serenitati prefate nobis suis responsivis litteris declarare de loco et tempore, in quo et ad quem sint accessuri nostri Ambaxatores predicti, quibus litteris declaracionis habitis et reeeptis, nostros Ambaxatores prefatos solicite studebimus destinare.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXV. köt. 61. l.)

289.

A velenczei köztársaságnak határozatai az I. Lajos magyar királylyal kötendő békesség ügyében. 1349.

Anno MCCCXLIX. indictione secunda, die II.—V. Julii. Examinatis litteris domini Regis Hungarie super missis Ducali Dominio, et super contentis in eis habitis deliberacione et colloquio diligenter, consulunt sapientes, quod ad ipsas respondeatur per formam et ordinem infrascriptum.

Et primo ad primas litteras suas respondeatur: Capta: quomodo litteras Serenitatis Sue recepimus, in quibus Sue Excellencie nobis placuit intimare, treuguas et concordias tractatas et procuratas per Sanctissimum dominum nostrum Papam, et initas inter Suam Regiam Maiestatem et suos, et illustrem dominam Johannam et suos a Nativitate Domini proxima usque ad unum annum, nec non matrimonium contractum

inter magnificun virum dominum Ducem Stephanum honorabilem fratrem suum et dominam Mariam sororem domine Johanne predicte; de quarum missione Sue Maiestati grates agimus copiosas, et quod de predictis treuguis et concordia plurimum congaudemus, et sic letaremur de quocumque honore, exaltacione et successu prospero Sue Maiestatis predicte; et potissime de hoc letamur, considerantes et cernentes, quantum boni, commodi et status pacifici in hoc tempore tractari et operari poterit inter partes predictas, et per consequens quanta consolacio reddetur quibuslibet Christianis; propter quod regraciamur Altissimo Deo nostro, a quo factum est istud, supplicando eidem, quod in hoc suum auxilium interponat, et quod Suam Maiestatem predictam semper prosperare faciat iuxta votum; cum hiis et aliis verbis amoris et benivolencie, que conveniencia videbuntur.

Secundo respondeatur ad secundas litteras dicti domini Regis in hac forma. Capta: Vestre Excellencie litteras recepimus continentes, qualiter litteras nostras alias Vestre Serenitati missas ad responsionem quarumdam aliarum vestrarum alias nobis missarum, eadem Serenitas Vestra receperat, in quarum serie notabatur, quod disponente Divina Clemencia cessavit in partibus Regni vestri plaga pestifere mortalitatis, et quod ob hoc Ambaxatores nostri secure per nos ad Vestram Excellenciam poterant destinari ad tractandum et disponendum etc. Ad quas presentibus respondemus, quod gratias humiles et devotas refferimus Altissimo Creatori, qui dignatus est vobis et universis fidelibus restituere graciam sanitatis. Sed noverit Vestra Excelencia, quod per diversas litteras nostras datas in nostro Ducali palatio sub die XXVI. et XXVII. mensis Junii nuper elapsi Vestre Maiestati fecimus manifestum, quod postquam intellexeramus, quod Altissimus Deus in Regno vestro contulerat remedium sanitatis, eramus dispositi et parati ad presenciam Vestre Serenitatis mittere nostros Ambaxatores solempnes occassione tractandi omne bonum pacis ac amoris et benivolencie perpetue firmitatem hinc inde, dummodo placeret Vestre Serenitati predicte nobis suis responsivis litteris declarare de tempore et loco, in quo et ad quem essent accessuri nostri Ambaxatores predicti,

sed quia dubitamus, quod predicte littere nostre nondum culmini Vestre Excellencie minime fuerint presentate, iterato Vestre Maiestati predicte curavimus facere manisfestum, quod ommino sumus dispositi et parati mittere nostros honorabiles Ambaxatores, quos illico eligere decrevimus, et eos ad recessum parari facere quam cicius fieri poterit, ad presenciam Vestre Excellencie antedicte occassione pacis perpetue confirmande inter partes, ut superius dictum est. Ad punctum vero in suis litteris predictis nuper receptis, ubi requirit nos, quod gentes suas et eorum bona tam per mare quam per terram transeuntes et redeuntes in nostra proteçtione habere velimus, et eos defensare ab omnibus, quos sciremus eos velle molestare; respondeatur, prout alias responsum extitit, cum verbis generalibus, videlicet quomodo alias Sue Serenitati per nostras litteras recolimus denotasse, quod gentes sue transire, stare et redire per districtus nostros libere valuerunt et valent absque aliquo impedimento nostro vel gentis nostre, a quibus pocius amicabiliter recepti et tractati sunt, et omni tempore tractarentur cum expedicione et favoribus opportunis; et ita expresse cunctis Rectoribus et fidelibus nostris dedimus in mandatis; mare vero cunctis nationibus cupimus esse securum, per quod gens Sue Regie Celsitudinis sine impedimento nostro vel gentis nostre libere navigari potuit atque potest, in quo quidem bono proposito et velle perseveravimus, et sic in ipso perseverare intendimus tempore profuturo.

Capta: Et captis predictis partibus de scribendo domino Regi predicto in formis superius annotatis, postea successive et subsequenter procedatur in facto electionis Ambaxatorum et in forma sive commissione Ambaxiatoribus fienda, prout melius videbitur convenire.

Capta: Quod respondeatur domino Nicolao Bano Sclavonie ad litteras suas, videlicet significando eidem de missione nostrarum supradictarum litterarum, quas mittimus domino Regi predicto.

Capta: Quod pro honore Dominii provideatur honorifice Nuncio domini Regis Hungarie, qui portavit nobis litteras ipsius domini Regis, prout videbitur Domino, Consiliariis et Capitibus de XL.

Capta: Item respondeatur ad alias litteras domini Regis in hac forma, videlicet:

Per litteras Vestre Maiestatis, nobis nuperrime destinatas, Vestra Serenitas denotavit, quod Comes Paulus, frater Comitis Mladini, inclusus in composicione treuguarum factarum et ordinatarum inter Excellenciam Vestram et nos, una cum Comitibus Sclavonie, videlicet Tragurii, Spaleti et Sybenici, quoddam castrum sive fortilicium contra formam predictarum treuguarum hedificare proponit etc., prout in ipsis litteris Excellencie Vestre continebatur. Ad quas presentibus respondemus, quod novit Altissimus Deus noster, quod de hoc nullam unquam habuimus noticiam, neque aliquid sensimus de predictis; propter quod plurimum admiramur, et pro certo putamus, ipsum et Communitates predictas talia non audere preter nostri conscienciam et mandatum, qui nullo modo pateremur, quod ex parte nostra aliquid fieret contra formam predictarum treuguarum, quynimo affectavimus et affectamus, quod inviolabiliter observentur. Set super hoc faciemus diligentem inquisicionem, et si hoc invenerimus fore factum, providebimus sicut pro honore Vestre Excellentie et nostro videbimus convenire; cum simus avidi parte nostra dictas treuguas effectualiter observare pro pace opportuna et vera concordia confirmanda, ut superius dictum est. Cum hiis et aliis verbis, quibus videbitur expedire.

Capta: Quod denarii pro expensis Ambaxiatorum mittendorum ad dominum Regem Hungarie accipiantur de monte, de quo accipiuntur denarii pro expensis factorum Sclavonie.

Capta: Quod in nomine Domini Jesu Christi committatur nostris Ambaxatoribus ituris ad dominum Regem Hungarie, quod in bona gratia vadant ad presenciam Sue Excellencie, et eidem salutacionem honorabilem et decentem faciant, prout convenire videbunt pro honore et reverencia Sue Maiestatis et nostro; qua salutacione cum omni honore et reverencia et modo decenti facta, exponant, quod pro eo, quod Sue Maiestati placuit nos per suas litteras requirere de nostra Ambaxata mittenda pro pace perpetua et concordia tractanda et confirmanda inter Suam Serenitatem

et nos, nos desiderantes et qui desideramus illud idem, videlicet quod pax perpetua et concordia firmaretur inter partes, et vivere semper cum Sua Regia Maiestate in statu pacifico et quieto, prout semper viximus cum illustribus Principibus Dominis predecessoribus suis, et maxime cum bone memorie domino patre suo, deliberavimus iuxta requisicionem suarum predictarum litterarum complacere Sue Regie Maiestati, prout semper dispositi fuimus complacere, videlicet in mittendo ipsos in nostros Ambaxatores ad presenciam Sue Maiestatis predicte, ut tractatus pacis, concordie et amoris perpetui ordinari valeant et firmari, et quod ad beneplacitum et velle Sue Excellencie antedicte se offerant paratos esse ad tractatus cum Sua Maiestate; cum hiis et aliis verbis, que circa hoc eis convenientia apparebunt. Quibus dictis ulterius non procedant, sed audiant responsionem domini Regis predicti, quam circa hoc eis duxerit faciendam, sive quam fieri faciet ad quam postea respondeant prout eorum prudencie pro honore nostro et bono agendorum videbitur expedire.

Capta : Si autem dominus Rex diceret, quod quatuor Civitates Dalmacie, quas tenemus, scilicet Spalatum, Tragurium, Sibenicum et Nona, sunt sue; dicant Ambaxatores nostri, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas in maxima desolacione et pessimo statu propter continuas incursiones et derobaciones, que sibi fiebant a Sclavis et aliis, et sic ipse de plena libertate et voluntate se sponte nostro dominio submiserunt. Nos etiam attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, possedimus eas pacifice et quiete, ipsasque conservavimus et conservamus cum magnis expensis in protectione nostra cum magno bono et augmento status earum, et predecessores sui et bone memorie condam dominus genitor suus nunquam de eis nobis aliquid dixerunt, sed semper nobiscum amicabiliter vixerunt; unde rogamus, ut Sue Maiestati placeat more suorum progenitorum pertransire.

Capta : Si autem dominus Rex perseveraret in dicendo, quod ius habet in Civitatibus Dalmacie, quas tenemus, et quod contentatur de stando cognicioni et iudicio aliquorum ex Principibus mundi; dicant Ambaxatores, quod nos optamus

procedere cum Sua Maiestate per illum abiliorem et expediciorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputacionibus et cavilacionibus, inducere habeat et conservare amorem pristinum inter partes. Et licet in iure nostro plenissime confidamus, tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum in longum, et generare confusionem inter partes, que tam benivolum amorem affectant, credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone composicionis et amicabilis tractatus. Et in hoc casu possint Ambaxatores componere per modum infrascriptum. Et quia de providentia nostrorum Ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipiendi ab illo capitulo de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti.

Modus autem composicionis est iste. Capta: Remittente domino Rege et transferente in nos statim libere et expedite absque ulla condictione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor Civitatibus, et generaliter in aliis Civitatibus et locis Dalmacie, quas tenemus cum pertinenciis earumdem; possint Ambaxatores promittere inter Regem et Barones ducatos LX millia vel inde infra quam minus poterunt, facientes hoc predicto domino Rege pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis vel omnem alium modum magis tutum, cum cautelis et renunciacionibus opportunis de consilio sapientum, cum sapientes iuris dicant, quod de iure hoc fieri potest cum securitate nostra.

Capta: Et si dicti nostri Ambaxatores obtinere non possent nostram intentionem per aliquem dictorum modorum, et quod Rex diceret, quod contentatur pocius de stando cognicioni et iudicio aliquorum ex Principibus mundi, et ultra hoc peteret et requireret aliquid aliud, sive faceret mencionem de aliis terris et locis Sclavonie; quia periculosum esset, ista cito et sine aliquo respectu ad submittendum nos iudicio aliquorum, tunc dicti Ambaxatores prudenter et caute, sicut eis videbitur, audiant, quicquid ipsis peteretur, et senciant et trahant

quicquid poterunt tam de finali intencione dicti domini Regis et suorum, quam de omnibus aliis, que viderentur spectare et pertinere honori nostro et bono negociorum; et quidquid senserint et habuerint, velociter nobis scribant et suum consilium, et nostrum expectent mandatum, ut de hinc postea provideri valeat, sicut videbitur fore opus.

Capta : Preterea si cum Dei auxilio composicio fiet, procurent nostri Ambaxatores possetenus, quod dominus Rex personaliter affirmet et iuret predictam composicionem sive tractatus; promittentes, quod nos similiter affirmabimus et iurabimus personaliter, prout fecimus in facto treuguarum; et si dominus Rex pro honore sui diceret, quod, postquam presencia nostra non est ibi, intendit factum firmare similiter per sindicos eius, nostri Ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi sindici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper si in contractu seu in scripturis fiendis de predictis dominus Rex poneret in suo titulo Dalmaciam et Chroaciam, nostrum similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret sicut facit in litteris nobis missis, non nominando Dalmaciam et Chroaciam, nostri etiam taceant, dicendo solum Dux Venetiarum.

Capta : Cum optemus, ut ea, que habemus facere cum domino Rege, felicem sorciantur effectum, et propterea opportunum sit, ut Ambaxatores nostri habeant Barones, Curiones et alios, qui sunt de Consilio Regis, sibi propicios, favorabiles et benignos, tam pro habendo introytu ad dominum Regem, quam pro disponendo animos suos ad bonum nostrum; possint ultra id, quod possunt expendere inter Barones per partem suprascriptam captam de ducatis LX millia, expendere et donare de bonis nostri Communis usque ad ducatos V centum vel minus, prout melius poterunt, remanendo in sua discrecione providendi de eis illi vel illis, qui videbuntur eisdem, et in una vice et pluribus, sicut pro bono agendorum nostrorum sibi videbitur.

Capta : Et ante complementum alicuius tractatus seu composicionis, ad quem vel ad quam essent perventuri dicti Ambaxatores nostri cum domino Rege prefato, specialem faciant mencionem de Comite Paulo et nepote, ac de terris et

locis suis, videlicet quod includantur in tractatibus et composicionibus predictis, et quod non molestentur in aliquo in personis et bonis suis ullo tempore, et quod dominus Rex predictus promittat eis perpetuam pacem; si vero predictus dominus Rex hoc facere recusaret, ita quod permaneret obstinatus contra ipsos, tunc nostri Ambaxatores non procedant ad affirmacionem neque perfeccionem alicuius tractatus, sed sollicite nobis scribant, quicquid super hoc habuerint ab ipso domino Rege predicto, et nostram responsienem expectent.

Capta: Ceterum quia ista nostra negocia sunt magna et ardua, et sic strictius tangencia statum nostrum, et prout arbitrari potest, diversa pertinencia ad casus iuris forte contra nos allegari possent, et bonum atque utile sit taliter providere, quod iura nostra cum honore nostro substineantur et defensentur; propterea videtur sapientibus, fore necessarium, quod cum Ambaxatoribus nostris ituris in bona fortuna ad dominum Regem predictum mittatur quidam sapientissimus et sufficientissimus Judex Legum, qui eligatur per Dominum, Consiliarios et Capita, cui etiam provideatur pro dicta via sicut videbitur predictis Domino, Consiliariis et Capitibus, qui Judex nullo modo se valeat intromittere vel impedire in aliquibus factis Ambaxatorum, nisi solum in tantum, quantum fuerit requisitus et postulatus per Ambaxatores nostros predictos, et in illo tantum, in quo fuerit requisitus, consulat, prout sibi pro iure et honore nostro videbitur convenire.

Capta: Insuper committatur nostris Ambaxatoribus predictis, quod parte nostra faciant salutationem honorabilem et decentem ambabus Reginis, si erunt ibi, ubi erit presencia domini Regis; si vero non essent ibi, remaneat in eorum discrecione et libertate eundi ad ipsas, ubi erunt, vel non, prout videbitur eis pro maiori expedicione et favore nostre intencionis; quibus instanter recommendent negocia ambaxate eo modo et forma, quibus etiam cognoverint expedire.

Capta: Et fiant littere credulitatis pro dictis Ambaxatoribus domino Duci Austrie, et quibuslibet aliis Dominis et Communitatibus, per quorum territoria transitum facient dicti nostri Ambaxatores, nec non domino Cardinali Legato nunc existenti in partibus illis, et sibi imponantur per Dominum,

Consiliarios et Capita illa verba, que conveniencia videbuntur, referenda tam predicto domino Duci Austrie, quam quibuslibet aliis Principibus et Baronibus, quibus expedire videbunt pro maiori favore et expedicione agendorum nostrorum eisdem commissorum.

Forma electionis Ambaxatorum : Quod in nomine Domini Jesu Christi et Gloriose Virginis Matris eius ac preciosi Evangeliste sui Sancti Marci, fiant tres Ambaxatores solempnes ad dominum Regem Hungarie, qui eligantur per quatuor manus electionum in Maiori Consilio, que electio per quatuor manus fiat cum ordine et auctoritate Consiliariorum ad hoc oportuna, approbando eos ad unum ad unum in dicto Maiori Consilio, et qui habuerint plures ballotas, habendo maiorem partem Consilii, sint firmi, et possint accipi de omni loco et officio existente in Civitate Rivoalti, exceptis Procuratoribus, qui habeant de salario libras trecentas pro quolibet in primis tribus mensibus, et inde in antea centum quinquaginta in mense pro quolibet, et teneantur respondere infra tres dies postquam erunt electi, et ire ad beneplacitum Dominii ; et habeant unum Notarium cum famulo, unum interpretem, unum expensatorem, unum marescalchum, uuum cochum et subtuscoquum, et quatuor domicelos pro quolibet, et possint expendere per modum, quo expendunt nostri Ambaxatores solempnes, qui mittuntur ad creacionem domini Pape.

Electi ser Justiniano, ser Johannes Gradonico, ser Nicolaus Pixani.

Die XIII. Julii. Cum ser Justinianus Justiniano electus Ambaxiator ad dominum Regem Hungarie excuset se propter defectum persone, vadit pars stb. Electus ser Phlippus Aurio stb.

Die XIX. Julii. — — — — electus ser Johannes Steno stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXV. köt. 36. sk. ll. Az I. Lajos király vezérei és I. Johanna siciliai királyné közt kötött fegyverszünetet lásd Fejérnél Cod. Dipl. IX. köt. 1. r. 739. l.)

290.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1349.

Ludovicus Dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Rex. Celsitudinis Vestre litteris honorifice et benigne receptis, et in eisdem contentis ad plenum intellectis, inter cetera comperimus in serie earundem haberi manifeste, quod alias litteras nostras Serenitas Vestra recepisset, continentes, ut treugua annorum octo ob hoc inter Nos et Vestram Serenitatem ordinata extitisset et firmata, ut in ipso tempore ipsius treugue pax perpetua posset firmari et ordinari hinc inde, et quod pro tunc instanti tempore ad presentiam nostram Vestros Ambaxatores mittere possetis, et etiam nos ad Vestram Excellentiam possemus destinare. Et nisi epidemia seu mortalitas gentium Divina castigatione feriente in partibus Regni nostri Hungarie viguisset, qua ratione cives vestri timuissent venire ad istas partes, solempnes Ambaxatores Vestros ad nos misissetis; sed quam cito cessaret, eos ad Excellentiam Nostram occasione tractandi omne bonum pacis et amoris ac benevolentie perpetue firmitatem transmitteretis, dummodo Divina patientia suum judicium mitigasset in partibus Regni nostri, et quod per Nostras litteras responsivas tempus et locum, in quo et ad quem Ambaxatores vestri sint accessuri, Vestre declaremus Serenitati etcetera, prout in predictis litteris Vestris plenius et distinctim continetur. Ad quarum contenta Vestre Excellentie taliter duximus respondendum, quod Divina dispositione annuente epidemia seu casus mortalitatis in Regno nostro cessavit, et pro nunc incole ejusdem Regni nostri, videlicet Transilvani nobis humiliter et devote supplicaverunt, ut ad eos causa visitationis accedere dignaremur. Quibus ipsorum preces tum propter visitationem predicti Regni nostri, in quo a pluribus retro actis temporibus non extitimus, tum etiam quibusdam aliis rationabilibus causis intervenientibus in hac parte non potuimus denegare, et in hiis jam aliud facere nequimus ex causis prelibatis. Sed quamprimum de ipso Regno nostro, ubi respectu premissorum tardam moram facere non intendimus, Domino concedente revertemur; vobis per litteras nostras

tempus et locum, in quod et ad quem Ambaxatores Vestri, quos libenti animo et gratanter recipiemus, sint accessuri, et de firmatione predicte pacis una nobiscum tractaturi, studebimus declarare; quia libenti animo volumus, ut durante dicta treugua perpetua et pura pax inter nos possit ordinari et stabiliri Domino concedente. Datum in Pokus loco venationis nostre XI. die mensis Julii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 40. lev.)

291.

Prussiának kereskedése Magyarországgal 1349.

Nos Kazimirus Dei gracia Polonie Rex notum facimus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod nostris regnicolis omnibus, et presertim Civitatis Sandomiriensis, nec non incolarum et inhabitancium eandem, condicionem facere volentes meliorem, et commodis ac vtilitatibus ipsorum pro nostris viribus intendere et invigilare summopere cupientes, omnibus et singulis mercatoribus de Thorun, et partibus ac locis omnibus Terre Prussie, nec non et aliis quibuscunque locis seu partibus cuiuscunque status ipsi mercatores vel condicionis existant, cum ipsorum rebus et mercibus versus Hungariam, vel quascunque partes et loca ipsius Terre Hungarie transire volentibus, per ciuitatem eandem nostram Sandomiriensem cum rebus et mercibus ipsorum transeundi et eundi liberam et omnimodam tenore presencium ipsis damus et concedimus facultatem; nulli ipsis, si non alias quascunque transiuerunt vias, vel alicui ipsorum aliquod incommodum et impedimentum preparando. Similiter vero e conuerso, quicunque mercatores de Hungaria et eius quibuscunque locis et partibus versus Thorun et partes Prussie predictas se cum ipsorum rebus et mercibus, vt premittitur, per dictam ciuitatem Sandomiriensem transferant, libere ac secure cum eisdem rebus transeuntes. Per hoc autem nostrum mandatum Ciuitati nostre Cracouiensi in nullo penitus derogamus. In cuius rei testimo-

nium nostrum sigillum presentibus duximus apponendum. Datum Sandomiri die Sancti Bartholomei Apostoli.

(Eredetie bőrhártyán Thorn város levéltárában.)

292.

I. Lajos magyar királynak a velenczei köztársaság. 1349.

Anno MCCCXLIX. die ultimo mensis Augusti, secunde indictionis. Quod ad litteras domini Regis Hungarie, quas nunc recepimus, respondeatur in hac forma.

Capta. Regie Maiestatis litteras solito affectu mentis inspeximus, quarum series Regale propositum de transeundo in Regnum Sicilie nunciavit. Ad earum quidem significata vidimus rescribendum, quod id precipuum gratumque valde sentimus, quia Regalis Serenitas tunc, cum transitum fecit per tenutas et dominia nostra, honorem et reverentiam recepit, qui decebant Regiam Maiestatem. Nam id cordi principaliter situm habuimus, in singulis locis nostris et alibi Maiestatem Regiam honore semper et reverencia colere. Optamus quoque, ut conceptus Maiestatis Regie, et via, quam paratis in proximo in Regnum Sicilie, successus felices inveniant, et finem beatum acquirant. Ceterum Ambaxatores nostros, visitaturos Maiestatem Regiam ex insinuatione precedencium litterarum nostrarum, sensisse potuit Regia Serenitas esse paratos, quos tunc ad presenciam Regiam venire mandabimus, cum locum determinatum et tempus aptum Regia Maiestas per missos vel litteras indicabit.

(A »Mists« czimű velenczei államköny XXV. kötetéből.)

293.

I. Lajos magyar királynak a velenczei köztársaság. 1349.

Anno MCCCXLIX. die decimo Septembris, indictione tercia. Capta: quod ad litteras domini Regis Hungarie respondeatur in hac forma:

Excellentissime Rex et Princeps Illustris. Litteras Ma-

iestatis Vestre, datas in Temesvar quarto die mensis Augusti preteriti, grata mente suscepimus die nono mensis instantis. Quibus vidimus respondendum, quod Ambaxatores nostros solempnes dudum elegimus, eosque semper paratos habuimus visitaturos Regiam Maiestatem, sicut ex insinuationibus precedentium litterarum nostrarum potuit Regia Serenitas agnovisse. Et propterea sentiat Regia Maiestas, quod sollicitamus ipsos nostros Ambaxatores, quod ad presenciam vestram accedant, qui ad locum Izagrabie, quem littere vestre scribebant, quantocius sunt venturi.

Capta: Et quia facit pro favore nostro et honore domini Regis, quod ipsi Ambaxatores sint, quantocius fieri potest, ad locum Izagrabie, cum ipse sit ad ipsum locum, ut scribit, in brevi venturus, sollicitetur expedicio eiusdem Ambaxate, et quantocius fieri poterit, ipsi recedant; et detur ipsis Ambaxatoribus lignum nostrum riperie Istrie, quod conducat eos Chersum vel Arbum, in altero istorum duorum locorum, quo voluerint, et cum fuerint ibi, dimittant lignum ad custodiam suam venire, et postmodum provideant de eundo Segniam, sicut eis videbitur. Et inde sollicitent de eundo ad presenciam Regiam ad complendum ea, que sibi commissa sunt.

Capta: Quod concedatur nobili viro ser Johanni Gradonico, ituro de nostro mandato Ambaxatori ad dominum Regem Hungarie, quod possit in dicta Ambaxata pro eius consolatione ducere secum Thomam eius filium.

(A »Misti« czimű velenczei államköny XXV. kötetéből.)

294.

A velenczei kormánytanácsnak határozata, hogy követei Magyarországba útnak induljanak. 1349.

Anno MCCCXLIX. die XIX. Septembris. Capta: Quod committatur Ámbaxatoribus nostris ituris ad Regem Hungarie, quod si Rex, postquam erunt ad eum, vellet transire in Apuleam, et requireret eos, quod secum transirent; respondeant ei, quod super hoc tanquam re inopinata, et de qua nulla provisio fuit habita, non haberent mandatum aliquod

a nobis, et quod non transirent nec recederent de cotracta, ubi sunt, sine nostro speciali mandato. Et in isto casu rescribant nobis, et expectent nostrum mandatum.

Capta: Cum faciat pro nobis pro omni respectu, quod Ambaxatores nostri ituri ad dominum Regem Hungarie recedant quam cicius esse potest: vadit pars, quod statuatur eis terminus, quod omni occassione remota teneantur recessisse de Venetiis prosequuturi directe viagium suum die Jovis per diem, sub penis, sub quibus refutare non possent, cum ipsi obtulerint se ire paratos ad terminum stabilitum.

Capta: Quod committatur Ambaxatoribus nostris predictis, quod si non reperirent Regem magis infra, vadant usque Budam vel circa illas partes, pro exequendo sibi commissa; et si Regem invenirent citra Budam, et aliquo casu moveret se de inde, possint sequi et sequantur eum per partes Regni Hungarie, sicut viderint convenire pro honore nostro et bono negociorum.

Die XXIV. Septempris. Capta: Quod Ambaxatoribus nostris ituris ad dominum Regem Hungarie elongetur terminus recedendi, qui erat hodie, usque ad diem dominicum proximum per totum diem, ita quod omni occasione remota, teneantur die lune proximo ante terciam de Veneciis recesine, et directe ire ad viam suam sub penis ordinatis per aliam partem.

Capta: Quod committatur Ambaxatoribus nostris ituris ad ipsum dominum Regem, quod non impediendo propterea facta principalia ambaxiate, quando eis videbitur melius, debeant recommendace dicto domino Regi liberationem nobilis viri ser Franciscbini Justiniano filii ser Marci, et circa eam procurare id boni, quod poterunt cum honore nostro, et sine preiudicio vel sinistro negociorum, ut dictum est.

Facti fuerunt syndici nobiles viri ser Johannes Gradonico, Nicolaus Pisani, et Phylippus Aurio Ambaxatores ad prefatum dominum Regem, ad tractandum quemlibet conventiones et pacta cum domino Rege Hungarie seu deputandis ab eo, et promittendum et obligandum nos et nostrum Commune, cum clausulis et condicionibus opportunis etc.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvekből XXV. köt. 114. lev.)

295.

A velenczei követek megbizó levele. 1349.

In Christi nomine Amen. Pateat omnibus evidenter, quod Illustris et Magnificus Dominus, dominus Andreas Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Chroatie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie totius Imperii Romanie, de voluntate et consensu suorum Consiliorum Minoris, Rogatorum et de Quadraginta, ad infrascripta ad sonum campane et vocem preconis more solito solemniter congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam due partes dictorum Consiliorum, et cum eis, et homines dictorum Consiliorum de authoritate et consensu dicti domini Ducis, et cum eo unanimiter et concorditer, nemine discrepante, suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus, ac nomine et vice Commnnis Venetiarum, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Johannem Gradonico, Nicolaum Pisani et Philippum Aurio, honorabiles cives Venetiarum absentes tanquam presentes, suos et dicti Communis Sindicos, Procuratores, Actores et Nuncios Speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire, specialiter, ad eundum ad Serenissimum Principem dominum Ludovicum Dei gratia illustrem Hungarie, Hierusalem et Sicilie Regem, et ad conveniendum cum ipso domino Rege seu deputantis ab eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam et transactionem pro ipso domino Duce et Commune Venetiarum et eorum successoribus perpetuo, et pro suis complicibus, subditis, adherentibus, sequacibus et amicis, cum ipso domino Rege pro se et eius successoribus perpetuo, et eius complicibus, subditis, adherentibus etc. de omnibus et singulis litibus, querelis, petitionibus, controversiis, questionibus, discordiis; differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mixtis ubicunque, qualitercunque et per quoscunque illata et facta extiterint, et quocunque tempore; et

ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem et liberationem, qui eis vel eorum alteri videbuntur; et ad obligandum ipsum dominum Ducem et Commune Venetiarum ac suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti Sindici vel eorum alter promiserint et fecerint de predictis et quolibet eorumdem, cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciis, iuramentis, penarum adiectionibus et aliis clausulis quibuscunque consuetis vel opportunis; et ad recipiendum a dicto domino Rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino Rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocunque alio nomine datas, traditiones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quietationes, liberationes, remissiones et obligationes quascunque super omnibus et sindulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciis, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus et aliis clausulis quibuscunque consuetis vel opportunis; et ad compromittendum et conpromissum faciendum semel et pluries de et super predictis omnibus et singulis ipsorum et dependentibus et connexis ab eisdem et eorum quolibet cum ipso domino Rege seu deputandis ab eo pro se et successoribus suis in perpetuum; et ad eligendum unum vel plures arbitros et arbitratores, commissos vel amicabiles compositores, prout eis et eorum cuilibet videbitur et placebit, cum quibuscunque conditionibus, pactis et formis et modis, iuramentis, penarum adiectionibus etc., et ad emologandum et emologationem promittendum et faciendum cuiuslibet sentendie laudi, arbitrii, arbitramenti, amicabilis compositionis, que per dictos arbitros et amicabiles compositores concorditer lata vel latum fuerit, et generaliter ad predicta et omnia alia et singula tractandum, firmandum, faciendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale. Dantes et concedentes prefatus dominus Dux et Consilia supradicta eisdem suis Sindicis et Procuratoribus, et cuilibet eorum, plenam, liberam et generalem administrationem et mandatum tractandi, faciendi,

firmandi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta et connexa ac dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus Dux et Commune Venetiarum totum facere possent, si personaliter interessent. Promittentes ipse dominus Dux et Consilia supradicta pro se et successoribus suis modis, formis et nominibus supradictis michi Notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini Regis (igy) et suorum successorum, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma rata et grata habere et tenere, et inviolabiliter observare omnia et singula, que iidem Sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, promiserint, compleverint, aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium Communis Venetiarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem prefatus dominus Dux mandavit presens instrumentum publicum fieri per me Notarium infrascriptum, et eius pendenti bulla plumbea communiri.

Actum in Ducali palacio Communis Veneciarum, anno a Natiiviate Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, die vigesimoquarto mensis Septembris, secunde indictionis, presentibus providis et discretis viris ser Benintendi de Ravagnanis Ducatus Veneciarum Vicecancellario, Raphaino de Caresinis, Nicholeto del Chamino Notario dicti Ducatus, et aliis ibi presensentibus ad hoc testibus vocatis specialiter et rogatis.

(P. H.) Ego Bonifacius de Mutina Imperiali authoritate Notarius Publicus, et Ducatus Venetiarum Scriba, predictis interfui, et ea de mandato incliti domini Ducis scripsi.

Nota, quod ipsa die factus fuit similiter Sindicatus, et in personis predictorum nobilium per totum eiusdem continentie, cuius est predictus Sindicatus, preter quam in titulo, in quo dictum fuit: Andreas Dandulo Dei gratia Dux Venetiarum etc.

(A megbizó levelek vagyis »Syndicatus«-ok I. kötegéből a velenczei nagy levéltárban.)

296.

A velenczei követek útnak indúlnak Magyarországba. 1349.

Anno MCCCXLIX. die XXVI. Septembris. Capta. Cum sit captum, quod lignum nostrum Riperie Istrie conducat Ambaxiatores nostros ad dominum Regem Hungarie Chersum vel Arbum, ubi magis voluerint; quod factum fuit, ne lignum posset habere impedimentum pro nouis, que dicebantur de transitu Regis: vadit pars, quod committatur Capitaneo ligni, quod si existentibus Ambaxiatoribus nostris in Cherso vel in Arbo, habuerint, quod Rex sit ab Isagrabia supra, debeat dictos Ambaxiatores conducere Segnam, et statim redire ad custodiam suam. Si vero habuerint, quod Rex sit in Isagrabia, vel abinde infra, non conducat eos ulterius, nisi Chersum vel Arbum, sicut snpradictum est. Et Capitaneus ligni cum suo ligno recedat de loco, — — ubi deposuerit Ambaxiatores, die qua illuc applicuerit vel sequenti, omni occasione remota. et veniat ad custodiam suam.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXV. köt. 116. lev.)

297.

I. Lajos magyar királynak a florenczi köztársaság. 1349.

Regi Hungarie.

Illustris Principum. Litterarum contestus per Serenitatis Vestre gerulum nobis hodie presentatus claro famine (így) nunpciavit post gratiarum multiplicium actiones de hiis, que erga Excellentiam Vestram vestrosque devotos et subditos, quos in Regnum Sicilie contigit proficisci, honoris et benivolentie debuimus contulisse, oblationem quam facitis ad singula nostre devotioni amicabiliter placitura; addentes, qualiter Domino concedente in Regnum ipsum pro consolatione fidelium estis in mense instanti firmiter accessurus. Cuius seriem devotione solita dum ipsam recensemus, confisi, quod precessorum vestrorum vestigia per augmentationem laudabilium operum erga commoda devotorum sitis auidus imitari, deuo-

tioni nostre gaudium actulit et solamen. Quia conspicimus, quod devotionis nostre, quam erga famosam Regalem progeniem habemus, et habebimus indefesse, memores Vestra dignatur Sublimitas adventus vestri nos facere non expertes. Et quamquam, ut magnanimorum est moris, collata modica per Communitatem nostram Serenitati Vestre servitia scripseritis fuisse quam plurima, ipsa vobis acceptabilia plurimum imputantes: expromimus, quod si collatorum nobis ad invicem per inclitos progenitores vestros tamquam grati reminiscentiam obtinemus, nostro judicio sunt, licet affectuose ea fecerimus, satis parua. Set postquam gratias referre placuit, exinde ad gratiarum similes exurgimus actiones, gratiam habentes accessus, unde quem sinat opus est felicem notitiam habuisse. Sperantes, quod ex eo status et exaltatio stirpis vestre, et devotorum contemptatio, de quibus nos principaliores, et merito, reputamus, ipsorumque status, robur et requies firmiter resultabunt. Die XXVII. Septembris.

(A »Missive della Signoria« közt a »Carteggio della Repubblica« X. köt. 5. lap.; a florenczi levéltárban.)

298.

Magyarországba küldött követeinek a velenczei kormánytanács. 1349.

Anno MCCCXLIX. die X. Octubris. Cum habeantur nova satis certa, quod mortalitas maxima et orrenda est in partibus Hungarie; quod si ita est, non esset bonum exponere tanto periculo personas nostrorum Ambaxatorum: vadit pars, quod statim scribatur eis, quod si habuerint, verum esse de epydimia supradicta, in dicto casu relinquimus in libertate sua eundi et non eundi ad dominum Regem, sicut eis vel maiori parti eorum videbitur. Et si terminaverint de non eundo, velociter nobis rescribant, nostrum expectando mandatum. Et nichilominus notificent domino Regi per verba convenientia causam, quare non vadunt ad presens ad Suam Maiestatem.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvekből XXV. köt. 119. lev.)

299.

Dandulo Endre velenczei doge tudósítja a peruggiai köztársaságot, hogy Margit magyar királyné meghalt. 1349.

Andreas Dandulo Dei gracia Venecie, Dalmacie atque Croacie Dux, Dominus Quarte Partis et Dimidie tocius Imperii Romanie, Nobilibus et sapientibus viris Prioribus Artium, Consilio et Communi Perusii amicis dilectis salutem et sincere dilectionis effectum Quesiuit a nobis stb. De partibus Hungarie habemus noua, quod epidemia mortalitatis deseuit multum ibidem; et quod Regina Hungarie, consors domini Regis nuper ad Dominum transmigrauit. Rex vero usque nunc fuit in finibus Regni sui Transiluanis, et ut dicitur, breui venturus est ad quandam terram vocatam Isagrabiam versus Marinam. Alia siquidem presencialiter non habemus Vestre Benevolentie denotanda; ad cuius beneplacita in omni casu sincere disponimur, velut qui ad Vos et Communitatem Vestram singularem caritatem gerimus et amorem. Datum in nostro Ducali palacio die septimo Octobris tercie indictionis.

(Eredetie Perugia város levéltárában.)

300.

Magyarországba küldött követeinek a velenczei kormánytanács. 1349.

Anno MCCCXLIX. die IX. Novembris. Capta: quod respondeatur Ambaxatoribus ad Regem Vngarie in hac forma.

Receptis litteris vestris et earum intellecto tenore de modo, quem tenuistis, et provisione per vos facta: vestram fidelitatem et sollicitudinem commendamus, et ideo ad contenta litterarum vestrarum taliter respondemus, videlicet, quod reverso nuncio, quem misistis, si habuerit, quod Rex sit in partibus et in tali statu et convalescencia de persona, quod ad ipsum cum securitate ire possitis, iter vestrum prosequi debeatis, et perfi-

cere mandatum nostrum. Si vero haberetis, quod Rex aliter staret graviter, vel esset migratus, debeatis vos plenarie informare de condicionibus Regni, et de hiis, qui remanserunt ad gubernacionem Regni, et omnibus aliis circa ista, et sollicite rescribentes nobis, expectare debeatis nostrum mandatum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXV. köt. 134. lev.)

301.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1349.

Littere Ludovici Regis Hungarie ad Ducem Venetiarum, quas Ambaxatores Veneti in reditu suo apportaverunt Venetias.

Serenitatis Vestre amicitie constat evidenter, quod Nos vobis nunciavimus per litteras nostras, ut solempnes Ambaxatores Vestros ad habendum colloquium una nobiscum de pace perpetua, que pendentibus treuguis inter nos stabiliri posset et firmari, ad nos transmitteretis; quos Vestra Celsitudo ad Nostram destinavit Maiestatem, nosque de intentione Vestra, ut predicta pax perpetua inter nos posset stabiliri, eosdem Ambaxiatores vestros plenarie habuimus informatos. Que videlicet pax perpetua adhuc minime inter nos potuit ordinari; et licet, ut premittitur, predicta pax perpetua nunc inter nos nequiuerit ordinari; tamen treuguas inter nos ordinatas usque ad tempus deputatum volumus observare. Nam si predicta pax perpetua inter nos fieri et ordinari potuisset, nos libenti animo voluissemus. Datum Bude XVII. die mensis Decembris.

Ludovicus Hungarie, Jerusalem
et Sicilie Rex.

Kivül : Illustrissimo Principi Domino Andree Dandulo Dei gratia Duci Veneciarum, amico suo honorando.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 454. lev.)

302.

Guido bibornok és pápai követnek a velenczei köztársaság. 1349.

Anno MCCCXLIX. die XXVII. Decembris. Capta: Quod scribatur domino Legato in hac forma:

Reverendissime Pater. Et nobis et toti mundo admodum desiderabile fore debuerit, et consolabile vehementius existet, quod illustris dominus Rex Hungarie cum honore Sancte Matris Ecclesie reconciliari disponatur cum ea, et in eius redire gratiam, sicut vestre littere continebant; de quo inter alios fideles Ecclesie nos et nostra Communitas ineffabile gaudium et leticiam sentiemus. Cognoscentes proinde honorem prius Ecclesie augeri et Christianis tranquillitatis beneficium preparari; Paternitati ergo vestre regraciantes immense pro hiis, que benigne nobis est significare dignata, supplicamus Altissimo, ut ipsius Regis vota dirigere et inspirare dignetur ad ea, que pacem orbis respiciant, et Ecclesie Sancte Dei honorem pariter et augmentum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXV. köt. 146. lev.)

303.

Kibékitési kisérletek I. Lajos magyar király és I. Johanna siciliai királyné közt. 1350.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Guidoni tituli Sancte Cecilie Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato etc. Receptis nuper litteris tuis, per quas intimasti nobis, quod carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Vngarie illustris scripserat tibi per litteras suas, quarum copiam interclusam eisdem litteris tuis nobis mittere curavisti, quod ipse consenserat, quod civitates, castra, fortalicia, terre, ville ac alia loca Regni Sicilie, que sub titulo Regis detinentur ipsius, in tuis manibus tenenda per te nostro et Ecclesie Romane nomine ponerentur, letati fuimus admodum, et Omnipotenti Deo gratias egimus, quod ipse prefati Regis animum virtutis sue studio et ministerio fructuoso inclinare, vt in hiis votis nostris et tuis annuerit, est dignatus. Cum autem carissima in

Christo filia nostra Johanna Regina Sicilie illustris, sicut tibi insinuare recolimus, secreto sepe scripserit nobis, quod et tu etiam teneas in secreto, quod ipsa parata erat in manibus nostris ponere illa, que in Regno possidet memorato; et quidam Nuncij dilecti filii nobilis viri Ludovici de Tarento dixerint nobis, se credere, quod idem Ludovicus in hiis etiam consentiret: Nos hec perduci ad effectum desideratum diutius summopere cupientes, dilectum filium Magistrum Hugonem de Arpaione Canonicum Ruthenensem, Capellanum nostrum, ad Reginam et Ludovicum predictos cum certa instructione seu forma credentie per nos danda sibi decrevimus destinare, ordinantes, quod per te prius transitum faciat, ut tu quoque ipsum super agendis circa huiusmodi negocium plenius instruas et informes; per quem, cum arripuerit iter, quod erit, prestante Domino, satis cito, tibi super hiis et aliis plenius rescribemus. Tu tamen, fili, utrum prefatus Rex Vngarie libere vel sub conditione, et an perpetuo vel ad tempus illa, que de predicto Regno, vt prefertur, detinet, in manibus tuis se obtulerit vel offerat positurum; quoniam nec predicte littere tue, nec copia earundem litterarum dicti Regis Vngarie conditionem aliquam, quam ipse Rex in hiis interponi voluerit, expresserunt, clare, lucide ac distincte cum omni nobis celeritate rescribas; copiam capitulorum. si qua forsitan miserit, super hiis transmissurus, ut super hiis habita matura deliberatione Consilii, quod utilius fuerit prosecucioni negotii, consultius disponamus. Et quoniam, sicut verisimile credimus, prefatus Ludovicus nullatenus consentiret, quod ea que per Reginam eandem et ipsum in Regno, ut predicitur, tenentur eodem, in manibus venerabilis fratris nostri Anibaldi Episcopi Tusculani, Legati Sedis Apostolice, ponerentur, et de te nepote prefate Regine, ac sibi proxima sanguinis et caritatis unione coniuncto, ac ex aliis causis pluribus, vt non ambigimus, plene confisus, ad illa in manibus ponenda tuis facilius animum inclinaret; tu premissa et alia, que considerationi tue possunt occurrere, attente recogitans, graue non habeas, ut laboribus tuis labores adiciens, expectes, donec scire possimus, utrum idem Ludovicus ad ea, que, ut premittitur, per eandem Reginam et eum in Regno predicto tenentur, poni

in manibus tuis velit, ut eo casu illas descendas ad partes pro cura et custodia civitatum, castrorum, forteliciorum, aliorumque locorum huiusmodi assignandorum tibi per utramque predictarum partium assumendis, quoniam si contingeret negocium pacis, ad quam, fauente Domino, sollicite et cum omni diligencia laborare proponimus, dilationem forte recipere, pro certo antequam estivi calores advenerint, alium mittere, ac tibi licentiam dare proponimus redeundi. Desideramus enim admodum te videre, ut tua grata nobis, qua teste Deo caremus inviti, frui presencia valeamus. Datum Avinione VIII. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno octauo.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

304.

I. Lajos magyar király mint Siciliában saját nevében uralkodó király. 1350.

A) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eternj. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo, die quinto mensis Februarij quarte indictionis A ue r s e. Regnante domino nostro Lodoyco Dej gratia Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum eius Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno quarto. Nos soror Philippa Judicis Stephanj de Auersa humilis Abbatissa Monasterij Sanctj Blasij de Aversa et Conventus eiusdem Monasterij in vnum ad sonum campane in predicto Monasterio more et loco solitis congregatj; considerantes et actendentes satis grata, vtilia et accepta seruitia, que tu Nicolaus coquus dompne Angele, filius olim Bartholomej de Auersa, nobis et predicto Monasterio prestitisti etc. imperpetuum locamus et concedimus tibi et heredibus tuis legitimis etc. casalinum unum etc. etc.

B) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eternj. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo, die octauo mensis Februarij quarte indiccionis. Regnante domino uostro Ludoyco Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum eius Vngarie anno nouo,

Jerusalem et Sicilie anno quarto. Nos Bartholomeus de Symone de Auersa ad vitam per Provinciam Terre Laboris et Comitatus Molisij ad contractus Judex, Paulus de Corno Puplicus eiusdem Civitatis Averse.Notarius et testes subscripti etc. declaramus etc. etc. etc. (Haszonbérlési szerződés)

C) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eternj. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo die vicesimo secundo mensis Septembris, quarte indictionis. Regnante domino nostro Ludoyco Dei gratia Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum vero eius Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno tertio. Nos Bartholomeus de Symone deA u e r s a ad vitam per Prouinciam Terre Laboris ad contractus Judex, Paulus de Corno Puplicus eiusdem Civitatis Notarius, et testes subscripti ad hoc specialitis vocati et rogati declaramus etc. etc. (Adományzási okmány.)

D) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno a Natiuitate eius millesimo trecentesimo quinquagesimo. Regnante Serenissimo Domino domino Ludouico Dei gratia Inclito Rege Vngarie, Jerusalem et Sicilie, Regnorum vero eius Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno tertio feliciter Amen. Die vicesimo quinto mensis Septembris quarte indictionis apud C a y u a n u m. Nos Andreas de Rogerio de Cayvano eiusdem terre Caiuani suique Districtus Judex,Thomasius de Alesio de Neapolj Puplicus per totum Regnum Sicilie Regia auctoritate Notarius, et infrascripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati declaramus etc. (Peres ügyben barátságos egyezkedés.)

E) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo quinquajesimo die vicesimo septimo mensis Septemhris quarte indictionis.Regnante Domino nostro Ludoyco Dei gratia Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum vero eius Vugarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno tertio. Nos Bartholomeus de Symone de A u e r s a ad vitam per Provinciam etc. ad contractus Judex, Paulus de Corno Puplicus eiusdem Civitatis Natarius et testes infrascripti etc. Declaramus etc. etc. (Adományzási okmány.)

F) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno a Natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo. Regnante Serenissimo Principe domino Ludoyco Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum vero eius Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno tertio, die vndecimo mensis Octobris quarte indictionis apud Monasterium Sanctj Laurentij de Auersa. Nos Bartholomeus de Symone de Auersa per Provinciam etc. ad contractus Judex, Jacobus de Cruce de Neapoli Puplicus per totum Regnum Sicilie Regia auctoritate Notarius et infrascripti testes etc. etc. declaramus etc. etc. (Adományozási okmány.)

G) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno a Natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo. Regnante Serenissimo Principe domino Lodoyco Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum vero Vngarie anno nono. Jerusalem et Sicilie anno tertio, die vicesimo quinto mensis Octobris, quarte indictionis apud Monasterium Sancti Laurentij de Auersa. Nos Nicolaus Cicala de Auersa pe prouinciam Terre Latoris et Comitus Molisij ad vitam Judex ad contractus, Jacobus de Cruce de Neapoli Puplicus per totum Regnum Sicilie Regia auctoritate Notarius, et subscripti testes ad hoc specialiter vocati etc. etc. (Adományozási okmány.)

(Az itt felemlitett okmányoknak eredeti példányai találtatnak Nápolyban az olasz kir. »Grande Archivio«-ban a »Pergameni dei Monasterii soppressi« közt.)

305.

I. Lajos magyar királynak a velenczei kormánytanács. 1350.

Anno MCCCL. die XXIII. Martii. Capta : Quod respondeatur domino Regi Hungarie ad litteras suas in forma subsequenti :

Serenitatis Vestre novissime litteras (recepimus), inter cetera continentes, quatenus una galea pro stipendio in portu Senye, in qua gens vestra per mare securum transitum facere possit, transmittere velimus, dilectionis solite affectu. Super

quibus Celsitudini Vestre duximus respondendum : Quod nos ob magnam et singularem affectionem, quam ad Excellenciam Vestram et vestros gerimus et habemus, votis et beneplacitis Regiis, velut honorabilis et precipui amici nostri, in casu quolibet complaceremus libenter; sed sic Celsitudinem Vestram scire presupponimus, hoc absque aliorum evidenti iniuria vel offensa fieri et sequi non posse, et nostri ob nostras et terre nostre condiciones non interest per observanciam in casibus huiusmodi per mundum in nobis experimentaliter comprobatam, aliqua operari, que in aliorum preiudicium valeant quomodolibet redundare, verum inter discordes pacem et concordiam procurare possetenus et nutrire; et propterea Vestra Serenitas in hac parte potest et debet nos habere merito excusatos. Super negocio autem commissionis fiendo in nostris dominiis, quod gens vestra et pertinentes ad vos, super mare transeuntes ad portus nostros ubicumque voluerint, cum securitate descendere valeant, rescribimus; quod affectantes inter Celsitudinem Vestram Regiam et nos et utriusque fideles et subditos servare omnem benivolenciam caritatis semper cordi gessimus et gerimus, subditos vestros per nostros tractari amicabiliter et fraterne; et sic nostri Rectores et fideles habent a nobis specialiter in mandatis, et nunc ad maiorem cautelam iuxta Serenitatis Vestre requisitionem eisdem expresse iniunximus et mandavimus, ut gentes vestras et navigia ad partes nostras declinantes, prout in treuguis hinc inde firmatis et iuratis cavetur, ad quarum observanciam totis affectibus intendimus, habere debeant benivole et efficaciter commendatos, et quod a quibuscumque noxiis preserventur, sperantes et tenentes indubie, quod erga nos et nostros ex parte Maiestatis Vestre simile fieri et servari debeatur versa vice, quam quum aliud invenimus in subditis prefate Regie Maiestatis, qui treuguas ipsas infrigitis, nostros fideles et subditos partium Sclavonie offendere et depredari non cessent, sicut Vestre Excellencie particulariter nostras litteras recolimus pridie denotasse, de quibus a Maiestate Vestra in proximo speramus votivum et effectivum obtinere responsum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

306.

A velenczei dogenek Tarentoi Lajos. 1350.

Exemplum litterarum missarum Dominio Ducali pro parte domini Ludovici Jerusalem et Sicilie Regis, datarum Neapoli.

Eminens vir et amice carissime. Innotuit nobis, Regem Vngarie mutasse more suo fidem promissam domino Cardinali de Bononia Apostolice Sedis Legato super negotiis huius Regni, et in deceptione Sancte Matris Ecclesie ac domini nostri Summi Pontificis nequiter gloriari. Sed habemus amicitie vestre gratias immensas, quod galearum petitum per eum vobis navigium in offensam nostram et Regni solitis modis vestre prudentie recusastis, quamquam victualia per vestros subditos sibi exhibenda concesseritis, que non poterant ei commode denegari. Scitote igitur, nos gravantes in corde gerere tantam sinceritatem amicitie vestre, cupientes, nos posse in vestris honorem et complacentiam condignam gratitudinem compensare. Et quia Amiratus Regni se festinanter accingit navigaturus ad Culphum cum tribus galeis de Provintia, et duabus de Regno, ac aliis duabus de Monaco contra hostes nostros ad nostra servicia prosequenda, amicitiam vestram eadem affecteose precamur, ut dictas duas galeas de Monaco, quamdiu in societate ipsius Amirati nostri dicta nostra servicia prosecventur sine vestrorum subditorum offensa, tollerare nostri consideratione velitis, et mandare, quod in terris vestris et a subditis amabiliter pertractentur, et de refriscamento aliisque eis necessariis velint fraternaliter subvenire. Nam ipse galee, et quecumque alie nostre essent, parate forent et prompte ad omnem vestram complacentiam et vestrorum, sicut eis signanter et expresse duximus iniungendum. Data Neapoli sub anulo nostro secreto, die X. Aprilis, tercie indictionis.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 450. lev.)

307.

VI. Kelemen pápa Erzsébet magyar anyakirálynét felkéri, hogy fiánál Lajos királynál a siciliai egyenetlenségek méltányos elintézése végett közbenjárjon. 1350.

Clemens Episcopus etc. carissime in Christo filie Helisabeth Regine Vngarie illustri salutem etc. Sicut dilecti filii nostri Guidonis tituli Sancte Cecilie Presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati, frequens et grata nobis insinuatio nos instruxit, tu, carissima filia, sincere ac feruide devotionis affectum, quam ad nos et Romanam Ecclesiam matrem tuam gessisti et geris, laudabilibus studiis prosequens, et efficacibus indicans argumentis, eidem Legato in commissis promotioni sue negociis expediendis utiliter, fauorabiliter et efficaciter astitisti, de quo creatori omnium, qui hunc tibi infudit affectum, sicut debitas laudes exoluimus, et Serenitatem Tuam dignis prosequimur actionibus gratiarum. Sane quia, prout multorum insinuatio nostrum frequenter pulsauit auditum, carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Vngarie illustris natus tuus, proponit Regnum Sicilie iterum reintrare; nos quamuis insinuationi huiusmodi fidem difficile prebeamus, de ipsius tamem Regis statu et salute solliciti, Serenitatem Tuam circa hoc premonendam fore censuimus, illam attencius obsecrantes, quatenus considerans prouide, quantis prefatus Rex periculis spiritualiter et temporaliter, si, quod absit, Regnum denuo reintraret, et presertim si se dubie et rare fidei stipendiariorum committeret, subiaceret; ipsum ab huiusmodi proposito pro Diuine Maiestatis reuerentia, tue ac eius salutis intuitu et nostre interuentionis obtutu, retrahere quibus potes modis et viis omnibus cum omni sollicitudine Sublimitas Tua velit. Denique dilectos filios nobiles viros Regales Domus Sicilie, quorum detentio mentem nostram sine intermissione qualibet cruciat et anxiat vehementer, pietati tue instantissime commendamus; nostris adiicientes precibus, ut ipsorum innocentiam pensans, et attendens, quod huiusmodi eorum detentio ipsum creatorem tuum graviter offendit et provocat, quodque in nullo nobis adeo placere potes, quam in ipsorum pia benig-

naque prosecucione ac liberacione, quam per interventionem tuam consequi Domino iuuante speramus; eos Diuine pietatis obtutu, premissorum intuitu; et ipsius tue consideratione salutis benigne prosequi et tractare pie Clementia Tua velit; eundem natum tuum ad hec maternis exhortationibus et precibus, que apud eum plurimum possunt, efficaciter inducendo; ita quod et eundem creatorem tuum tibi propicium constituas amplius, ipsumque natum tuum ab omnibus eripias omnino periculis, nosque ad tua beneplacita promouenda, que Apostolicis oportunis intendimus, quantum cum Deo possumus, favoribus prosequi, reddas continuo promptiores. Ceterum prefato nato tuo super premissis scribimus, et ad ceteros articulos pro parte sua nobis per dilectum filium Paulum Archidiaconum Nitriensem Nuncium suum, latorem presentium exhibitos respondemus per alias litteras nostras, quarum copiam tibi interclusam presentibus destinamus. Datum Avinione VI. idus Aprilis Pontificatus nostri anno octauo.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

308.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1350.

Exemplum litterarem missarum domino Duci pro parte domini Regis Vngarie datarum in Segnia XVIII. Aprilis.

Serenissime Princeps, et amice carissime. Nunciastis nobis, quod castellanus de Ostrovicia pertinentibus ad vos damna intulisset; cui per litteras nostras firmissimis dedimus in mandatis, ut de omnibus damnis ad vos pertinentibus illatis satisfactio inpendatur. Ceterum noverites, nos decimo octavo die Aprilis presentis in Segnia ascensa galea gressus nostros ad Regnum nostrum Apulie direxisse; et credimus indubie, quod tregue inter nos ordinate usque tempus deputatum per Vestram Celsitudinem inconcusse observentur, nec alique molestie, et perturbationes genti nostre ad predictum Regnum nostrum post nos properanti vel de eodem redeunti, per vos et ad vos pertinentes inferantur.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 478. lev.; v. ö. Fejér. Cod. Dipl. IX. köt. 6. r. 52. l.)

309.

A velenczei dogenek Magyarország királya és kormánya. 1350.

Littere Ludovici Regis Hungarie ad Ducem Venetiarum.

Ludovicus Dei gratia Rex Vngarie, Jerusalem et Sicilie Magnifico et potenti viro Andree Dandulo Duci Venetiarum, amico suo carissimo prosperos ad vota successu

Litteras Vestre Nobilitatis recepimus, earumque contenta cum intellectu diligenti audivimus ad plenum. Ad quarum tenorem, ubi dicitis, quod plures querele receperitis a civibus Sibinicensibus, et ab aliis partium Sclavonie pertinentibus ad Vos; de dampnis et derobationibus, que per gentes nostras de Ostroviza et de Tinino in animalibus et bonis eorum nulla causa legitima precedente receperint; taliter Vestre Amicitie respondemus: quod ista damna, que proponitis, nec ex voluntate nostra, nec domini Stephani Dalmatie et Croatie et Sclavonie Ducis fratris, vel Excellentissime Principisse domine Regine genitricis nostrorum carissime, sint illata; et si qua sunt illata, ut vobis nostra puritas observandi treuguas stabilitas manifeste appareat, ecce Nobilem virum Paulum Banum vices tenentem ipsius Stephani Ducis in predictis Ducatibus, ad videndum et indagandum ea, que indebite et injuste sunt illa ad vigesimum diem mensis Maji ad partes illas deputavimus transmittendum; qui quidem Banus investigatis dampnis et injuriis lesis satisfaciet in persoua Ducis prenotati; ad quem terminum vestrum hominem transmittatis, eoram quo eodem satisfactio fieri debeat, ut tractaverit justis ordo Datum Budae die XIX. mensis Aprilis.

Similes littere misse fuerunt pro parte domini Stephani Ducis Sclavonie; et Domine Regine Vngarie ejus matris.

(A »Copia de Commemoriali« ozímű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 479. lev.)

310.

A velenczei kormánytanácsnak az adriai tengeri hajozásra vonatkozó határozata. 1350.

Anno MCCCL. die XIII. Maii. Capta: Quia pro transitu Regis Hungarie in Apuleam multa nova occurrerunt et possent in futurum occurrere, que provisionem requirent, et ista negotia comiter tangere possunt et spectare ad securitatem navigiorum et navigantium et ad securitatem terrarum Sclavonie: vadit pars, puod in novis et factis, que occurrerunt et occurrent occassione transitus dicti Regis sapientes ordinum et sapientes Sclavonie, quelibet manus per se, examinent, et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur. Et quilibet possit ponere partem; et duret hec libertas per totum mensem Junii futurum.

(A «Misti» czimű velenczei államkönyv XXV. kötetéből.)

311.

Dusan István szerb király velenczei polgárnak felvétetik. 1350.

Andreas Dandulo etc. vniversis et singulis presens privilegium conspecturis, amicis dilectis, salutem et sincere dilectionis affectum. Ducalis Magnificentia tunc sublimioris honoris suscipit incrementum, cum cives acquirit, quos exaltat decus et sublimitas Imperialis et Regie Maiestatis. Scimus namque, quod Serenissimi domini Reges Raxie ad Ducatum nostrum semper amorem intimum grata exhibicione operum demonstrarunt adeo, quod propinquitatis affinitas hinc inde antiquitus emanavit. Precipue autem presens Serenissimus dominus Stephanus Grecorum Imperator semper Augustus et Raxie Rex illustris propensius nostrum Ducatum diligere, et subiectos ipsius Ducatus honores et subiectorum nostrorum commoda graciosius promovendo. Propterea quod suis et suorum solempnium Ambaxatorum pro ipso Serenissimo domino Imperatore et Rege potencium precibus annuentes, tamquam ad Sue Maiestatis honores devota mente dispositi,

ipsum Serenissimum dominum Imperatorem et Regem cum Serenissima domina Helena Imperatrice et Regina coleterali sua, et cum Excellentissimo domino Vrosio nato suo, et cum heredibus et liberis suis in honorabiles cives nostros suscepimus atque suscipimus, et Venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro Venetis et civibus nostris, quemadmodum si in Veneciis nati forent, in Veneciis et ubique locorum deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsos sinceris brachiis dilectionis et devotionis amplexantes, et finaliter statuentes omnium consiliorum et ordinamentorum nostrorum neccessaria solempnitate servata, quod eisdem omnibus libertatibus, beneficiis et honoribus ac immunitatibus, quibus alii honorabiles cives nati Veneciis gaudere et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Imperator et Rex, et domina Imperatrix et Regina, ac natus suus prelibatus, et heredes et liberi sui in Veneciis et extra ubique plenissime guadeant et utantur. In quorum fidem et evidenciam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, bullaque nostra pedenti aurea communiri.

Datum in nostro Ducali palatio anno Dominice Incarnationis millesimo CCC. quinquagesimo, die XXV. mensis Madii, III indictionis.

(A »Copia de Commemoriali« velenczei államkönyvből. IV. köt, 2. r. 282. l.)

312.

Guido bibornok és pápai követ a magyar királyt, a velenczei dogét és a jánosrend főmestert felkéri, hogy a római katholikusok vallásos szabadságát a szerb király irányában támogassák. 1350.

Guido miseratione Divina tituli Sancte Cecilie Presbyter Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus, Illustri Principi domino Regi Vngarie, et dilectis in Christo Duci Venetiarum ac Magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani salutem et sinceram in Domino charitatem. Cum, prout fidedignorum relatione percepimus, Stephanus, qui se Cesarem

seu Regem Raxi facit communiter nominari, nonnullos Christianos in eius h gno habitantes per vim et violentiam ad eius perfidiam et ini elitatem trahat, ipsosque preter et contra formam Ecclesie faciat baptisari in Christiane fidei non modicum detrimentur Magnificentiam Vestram requirimus, rogamus, et hortamu Domino Jhesu Christo, quatenus eisdem Christianis effi offensionis pre o assistentes, ipsos non permittatis ad per Regem pre um trahi aliquo modo seu induci, qui imo Regem ipsum per vestras speciales litteras inducatis et comminatorie, si vobis nesessarie videbitur, requiratis, ut a prefato errore desistat et predicta seu similia ulterius facere non presumat. Datum Padue III. idus Maii Pontificatus domini Clementis Pape Sexti anno octavo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből IV. köt. 2. r. 483. lev.)

313.

Erzsébet magyar anyakirálynénak és István erczegnek a velenczei kormánytanács. 1350.

Anno MCCCL. die XXVIII. Maii, tercie indictionis. Quod scribatur domine Regine Hungarie in forma infrascripta.

Capta: Optabamus, Regina illustris, ut iuxta continentiam litterarum vestrarum et illustrium natorum vestrorum, pridie nobis missarum, foret in promisso termino de emenda damnorum nostris fidelibus sic provisum, sicque ex parte vestri treuguarum continentia observata, quod non fuisset vobis vel nobis proinde ulterius laborandum. Et quia Maiestas Vestra prorogationem satisfactinois ipsius per suas litteras noviter quesisse videtur, cum ea, qua decet reverentia respondemus, quod ex parte nostra data est et dari proponitur in futurum omnis occassio, per quam inter Vos, Serenissimos natos vestros et nostrum Commune, sicut nostri predecessores fecere, benivolentia nutriatur. Verum Maiestati Vestre cupimus esse notum, quod dum post damna ipsa ad nostram noticiam foret productum, quod tam in partibus Apulee quam

in mari per navigia tansfretancia facte fuerant per gentes domini Regis Hungarie nostris fidelibus contra formam treuguarum alique novitates, mirati quodammodo maxime pro hiis, que late promiserat Regia Celsitudo super observatione treuguarum, providimus iam ante receptionem litterarum vestrarum ad ipsum transmittere nostrum Nuncium Specialem, notificaturum amicabiliter, que facta erant, et requisiturum reformacionem eorum et satisfactionem damnorum, de quibus supra mentio facta est. Propter quod, et quia eciam extimamus, quod sit honor vester et suus, quod tam satisfactio predicta quam reformatio aliorum, que contra treuguam forent quomodolibet attentata, amoto ulterioris dilationis obstaculo, subsequantur; Celsitudinem Vestram rogamus attentius, quatenus attendentes, quod fideles nostri, qui damna pertulerunt predicta, in desolatione sunt, et multa pro eis miseria constituti, expectantes cotidie satisfactionis remedium iam promissum; dignemini de ipsa satisfactione sic debite et effectualiter, sicut bene sciveritis, providere, quod habeamus exinde merito contentari, et de pleniori observatione treuguarum sic efficaciter subditis vestris cunctis tradere in mandatis, quod illa, quam optamus inter vos et nos amoris et dilectionis integritas conservetur. Scitis enim, quod ex parte nostra in nullo unquam casu vel tempore est a pura earum observantia aliqualiter deviatum.

Quod similiter respondeatur domino Duci Stephano, mutatis mutandis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

314.

VI. Kelemen pápa Valentei János genuai kormányzónak segítségét I. Johanna siciliai királyné és Tarentoi Lajos részére igyekszik megnyerni I. Lajos magyar király ellen. 1350.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Johanni de Valente Gubernatori Januensi salutem etc. Fidedigna multorum relatio ad nostrum nouiter perduxit auditum, quod eo qui pacis auctor et actor est, procurante inter carissimam

in Christo filiam nostram Johanuam Reginam Sicilie illustrem et dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Tarento virum suum ex parte vna, et te ex alia, discordia, que occasione Civitatis Vigintimiliensis oriri verisimiliter timebatur, extincta pax inita est, prestante Domino perpetuis temporibus duratura; de quo tanto gaudemus amplius et letamur, quanto procul dubio pax huiusmodi, sublatis dispendiis, que discordia minabatur, bona plurima pollicetur. Cum autem, fili, sicut accepimus, in eadem specialiter pace actum sit, quod iidem Regina et Ludovicus Civitatem eandem tibi facient restitui libere ac dimitti: Nobilitatem tuam hortamur in Domino attentius deprecantes, quatenus eorum in hac parte libertatem considerans, et attendens, quot ipsi peccatis exigentibus negotiorum oneribus pregravantur, eis de aliquarum galearum et balistariorum subsidio aduersus Ludovicum Regem Vngarie illustrem, qui sui prosecutor arbitrii Regnum Sicilie seu terram citra Farum, Dei timore postposito, et penis ac sententiis, quibus se ac alios multos implicauit et implicat, omnino contemptis, lacerare non desinit, premissorum intuitu, ac pro reverentia Principis Apostolorum et nostra, quorum Regnum et terra huiusmodi specialis hereditas existunt, postquam dicte Civitatis restitutio et dimissio libera fuerit facta tibi, velis liberaliter subvenire. Ceterum quia tu certas galeas quorundam Ciuium seu districtualium tuorum ad servitia et stipendia Regine ac Ludovici predictorum existentium velle diceris reuocare; Nos attendentes Regine ac Ludovico, nec non Regno seu Terre predictis graue proinde periculum imminere, precibus et exhortationibus nostris adicimus, ut galeis seu gentibus galearum huiusmodi licentiam ad seruitia et stipendia huiusmodi remanendi, quamdiu eis placuerit, gratiose concedas. In hiis enim eo nobis amplius placebis; quo dictis Regine, Ludoyco et Regno compatimur amplius, et eorum negotia non aliter quam propria reputantes, illa prosequimur fauoribus oportunis. Datum Avinione VI. kalendas Julij Pontificatus nostri anno nono.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

315.

A velenczei kormánytanács Dusan István szerbiai czárt és István boszniai bánt egymással kibékiteni igyekszik. 1350.

Anno MCCCL. indictione III. die XI. Julii. Capta: Quia est honor noster pro omni respectu et maxime propter magnam affectionem, quam ad nos ostenderunt per effectum tam dominus Rex Raxie quam eciam Banus Bosne, interponere nos de concordio inter eos: vadit pars, quod in bona gratia pro dicta causa, et etiam pro procurando conservationem et bonum nostrorum fidelium Ragusii et locorum suorum, quos semper promptos invenimus ad nostra mandata, mittantur duo solennes Ambaxatores, qui euntes Ragusium, et informantes se de novis, vadant tam ad dictum Regem Raxie quam ad dictum Banum pro parte nostra ad procurandum quiatem et concordium inter eos, et quod cessent novitates, ad quas alterutrum utraque pars videtur intendere, incipiendo et possendo se ab invicem separare et ire unus eorum et ambo, sicut sibi videbitur pro bono negotiorum; et si, concedente Domino, poterunt partes reducere ad concordium, redeant; sin autem, trahant ab eis, que poterunt, et rescribant, expectantes nostrum mandatum; procurantes suo posse, quod interim a novitatibus ex utraque parte cessetur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

316.

I. Lajos magyar király, mint siciliai király pártfogása alá veszi a német rend javait és jogait Siciliában. 1350.

Lodoycus Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rex, Capitaneis Ciuitatum nostrarum Manfridonie, Barolj, Bari, et Monopulj, nec non vniuersis et singulis Justitiarijs et Officialibus quibuscunque Regni nostri Sicilie presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam et bonam voluntatem. Loca religiosa pijs affectibus prosequentes, intuitu Maiestatis Diuine incitamur et merito ad illa benignitatis nostre oculos clemen-

ter reuoluere, dignisque fauoribus ampliare, et ab vsurpatoribus quibuscuuque, ne detrimentum indebite patiantur, nostro brachio manutenere potenter et viriliter defensare. Hac itaque consideratione commotj, et premissa que suadet ratione suasi, Preceptores, Gubernatores, Fratres, et Ministros Ordinis Militie Sancte Marie Theotonicorum, et bona quecunque ad ipsos spectantia et in Regno nostro Sicilie sistentia, sub defensionis nostre vmbra suscipientes et digne; volumus, vobisque et vestrum cuilibet tenore presentium sub obtentu gratie nostre, de scientia nostra certa, firmiter et expresse mandamus, quatenus dicte Religionis homines, loca et bona quecunque in predicto Regno nostro sistentia, sic velitis efficaciter suscipere commendata, quod officiorum vestrorum temporibus nulla eis fiat iniuria uel offensa, nec consequi ualeant detrimentum; manutenentes et defendentes homines, loca et bona predicta ab illicitis molestatoribus quibuscunque justi fauoris presidio non minus viriliter quam potenter; nec permictentes Ordinem et Fratres predictos bonis predictis uel aliquo ex eisdem per quempiam indebite spoliari; et siquidem spoliati fuerint, illos in possessionem pristinam suadente iustitia inducatis, et inductos nostro nomine defendatis; debitores quoscunque dictorum Ordinis et Fratrum ad satisfactionem eius, ad quod tenentur eisdem, cogatis instanter tantum summaria fide sumpta, si aliud rationabile non obsistat, audentes in contrarium per impositiones penarum et exactionem illarum per arta juris remedia compescendo, dictisque Ordini et fratribus, ac factoribus et procuratoribus eorundem, assistatis opere, consilio, auxilio et fauoribus oportunis. Presentes autem licteras post congruam inspectionem earum penes presentantem volumus remanere efficaciter inantea valituras. Datum in campis in obsidione Ciuitatis Auerse anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo die decimo Julij III. indictionis, Regnorum nostrorum Vngarie anno octauo, Jerusalem et Sicilie anno tertio.

(Eredetie a »Pergamene dei Monasterj soppressi« közt, az olasz kir. Grande Archivioban Nápolyban.)

317.

Erzsébet magyar anyakirálynénak a velenczei kormánytanács. 1350.

Anno MCCCL. indictione III. die XXIV. Julii. Capta: Quod respondeatur ad literas domine Regine Hungarie in hac forma:

Litteras Maiestatis Vestre gratanter recepimus, et earum continenciam intelleximus diligenter. Ad quas presentibus respondemus, quod placuit nobis et multipliciter gratum extat de satisfactione dampnorum ordinata fieri in termino nostris fidelibus per dominum Banum, et pro ipsa habenda iuxta vestrarum litterarum seriem mandabimus illuc mitti, rogantes omni affectione qua possumus, quatenus mandare dignemini, quod ipsa satisfactio, non sine lesorum incommodo expectata diucius, amodo, ut speramus, expedite et integraliter fiat eis, ita quod habeant contentari; et Castellanos et subditos vestros admonere, et taliter ordinare, quod imposterum a dampnis nostrorum abstineant, sed cum eis potius amicabiliter conversentur et vivant, mutuis sibi serviciis complacentes, ut exinde inter partes benivolentia causari possit uberius et augeri, pro quo nos ad quequam vestra et Serenissimorum filiorum vestrorum beneplacita propensius disponetis. Ad id vero, quod a nobis quesivit Vestra Sublimitas, ut homini vestro, quem cum equis et aliis rebus ad Excellentem dominum Lodoicum natum vestrum in Apuleam vultis transmittere, securum transitum per mare, ne ab hostium vestrorum navigiis impeti possit, exhibere vellemus; rescribimus, quod vobis et Serenissimis natis vestris, novit Deus, optamus in cunctis nobis honeste possibilibus complacere, velut qui ex parte nostra proponimus servare cum eis illam dulcedinem karitatis, quam cum Serenissimo condam bone memorie patre suo et aliis precessoribus suis servavimus inconcusse. Sed cum galee nostre, ad Culphi custodiam deputate, sint ad partes Orientis longe remotas pro arduis factis nostris in proximo profecture, et potentia predictorum emulorum vestrorum in navigiis maritimis presentialiter tanta sit, quod nullam vestris vel nostris fidelibus sine ipsarum galea-

rum nostrarum presentia tutelam exhibere possemus, quin ymo in hiis, que non mediocriter tangunt nos, opportet sub dissimulatione transire: placeat Serenitati Vestre iusta ratione premissa, etiam quia, ut novit Vestra Sublimitas, pro condictionibus nostris ab omni partialitatis suspicione nos omnino summopere precavere, nos in hac parte excusatos habere merito super inde, quos profecto in quolibet casu honoris vestri, in quantum cum nostra conservatione possemus, inveniretis omni tempore sincere dispositos et paratos. Pro nuncio vero vestro, quem ad nos distinare proponitis, non erat expedieus securitatis litteras impetrari, cum tam ratione treuguarum, quam etiam antique dilectionis intuitu, vigentium hinc et inde, nuncios vestros semper videamus alacriter, et tractari faciamus pro vestra reverencia favorabiliter et benigne. Nicholominus iuxta requisitionem vestram litteras nostras patentes remittimus, per quas tute venire, stare valeat et redire, et ordinavimus, quod die XIII. mensis Augusti proximo, sicut statuit lator preśens, in Segnia erit navigium nostrum sufficiens, super quo secure ascendere poterit et venire, et in eius reditu similiter ei de necessaria securitate providere curabimus, cupientes vobis Vestre Maiestatis in hiis et aliis nobis possibilibus complacere. Datum die XXIV. Julii, III. indictionis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

318.

István szlavoniai herczegnek védlevele a kölni és rajnamelléki kereskedők számára. 1350.

Stephanus Dei gracia tocius Sclavonie, Croacie et Dalmacie Dux fidelibus suis vniuersis Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, Officialibus, et aliis cuiusuis dignitatis et preeminencie hominibus, tam in terris quam super aquis tributa habentibus, et eorum tributariis nunc constitutis et in futurum constituendis, quibus presentes ostendentur, salutem et graciam. Noueritis, quod mercatores de Sancta Colonia et de Ciuitate Hoy ac de aliis partibus Reni ad Nostre Sublimitatis accedentes presenciam, exhibuerunt Nobis

litteras Excellentissimi et Magnifici Principis domini Ludouici Regis Hungarie fratris nostri karissimi, in quibus inter cetera vidimus contineri, quod ipsi tributum seu teloneum de bonis et rebus eorundem eo modo dare et persoluere deberent, prout mercatores Pragenses dant et persoluunt. In litteris autem eorundem Pragensium per Serenissimum Principem dominum Karolum quondam Regem Hungarie, genitorem nostrum karissimum eis concessis taliter continetur: Quod in primo introitu ad metas dicti Regni Hungarie in Alba Ecclesia in wlgari Wyuar nominata debet solui octouigesima de rebus mercimonialibus; item abinde siue in Saaswar siue in Sanche de quolibet curru mercimoniali, qui vulgariter rudas dicitur, debet solui vnus latto siue tria pondera; item de quolibet curru aynuchas dicto medium tributum seu medius latto; et abhinc in Jablunchza circa Castrum Korlathkw debet solui solummodo tributum pontis, itaque de quolibet equo vel boue trahente currum vnus denarius Vyennensis; item de pecudibus vendicioni exponendis, scilicet duabus maioribus similiter vnus denarius Wyennensis; item de quatuor paruis animalibus, sicuti ouibus, capris et et porcis, similiter vnus denarius Wyennensis et non plus; item abinde in loco Bikzad siue in villa Beyn debet solui tributum sicut in Saaswar et in Zynche de curribus mercimonialibus tantum; preterea a ciuitate Tyrnaviensi usque Budam in locis infrascriptis debet exigi tributum similiter de curribus mercimonialibus modo supradicto, primo in Farkashyda, postea in Semcy, item in villis Archiepiscopi Strigoniensis Nyarhyd et Vduard vocatis, item vltra Danubium ex ista parte in Strigonio, postea in villa Sancti Jacobi pre Castro Veteris Bude, et in ponte Ciuitatis Budensis debent tributa exigi solummodo de curribus, prout superius est expressum. Hoc tamen declarato, quod in locis tributorum supradictis nulla fieri debeat religacio curruum, preterquam in Ciuitatibus, in quibus tricesime sunt constitute; que omnia loca tributorum tam ciuibus Brunensibus de Regno Bohemie, quam ciuibus Tyrnauiensibus referentibus sciuisset idem dominus Rex genitor noster esse a tempore Bele Regis instituta legitima, et omnia fore iusta. Quibus quidem litteris Regalibus exhibitis, iidem mercatores in eo quod vos contra

premissam ordinariam commissionem dicti domini Karoli in certo suorum Baronum deliberatiuo Consilio factam, in eisdem suis litteris Regalibus expressam in viis eorum et iustis itineribus procedentes in locis vestrorum tributorum per superfluas tributarias exacciones nimium infestaretis, nobis conquesti extiterunt. Vnde cum absente ipso domino Rege fratre nostro karissimo totalis cura sui regiminis et Regni gubernacula tum jure naturali exposcente, tum eciam ex ipsius Regalis benigna admissione Nostre incumbi dinoscitur Maiestati; nosque in absencia eiusdem domini Regis fratris nostri nouitates non velimus in Regno fieri aliquales: fidelitati vestre et vestrorum quorumlibet Ducali edicto precipiendo damus in mandatis, quatenus ipsos mercatores de Sancta Colonia, et de Ciuitate Hoy, ac de aliis partibus Reni cum rebus mercimonialibus per Hungariam iterantes (igy »itinerantes« helyett) seu procedentes per ampliores exacciones tributarias ab hiis, que in premissis Regalibus litteris seriatim exprimuntur, molestare et perturbare nullatenus presumpmatis; sicut nostram indignacionem grauiter incurrere formidatis. Datum Bude in festo Sancti Laurencij anno Domini MCCC quisquagesimo.

(Eredetie bőrhártyán, melynek hátára a pecsét van nyomva, Köln város levéltárában. V. ö. gyűjteményünk I. kötetét 343. l.)

319.

Cola di Rienzo-nak nyilatkozata Endre siciliai király haláláról. 1350.

Verus Tribuni libellus contra scismata et errores scriptus ad Archiepiscopum Pragensem.

Reverende Pater et Domine. Inter varios et multiplices laqueos stb.

Quanta sub cura huius regiminis Summi Pontificis sit in Regno Apulie, quod solum vocatur Regnum Ecclesie, novis temporibus facta strages, non ignorat mundus. Prohdolor! non ignorat, qualiter quondam Rex Robertus decedens innocentem illum agnum Regem Andream legitimum in Regno constituit successorem, et in Regem statuit legitimum coro-

nari; et cum pro coronatione ipsius Summus Pontifex LX millia vncias auri vel citra pro coronationis mercede quereret et haberet; tandem ad instantiam aliquorum Ecclesie Cardinalium, volentium nequiter et violenter Ducem Duracii eorum consanguineum Regem fieri, et ad petitionem Karoli Artus ipsius quondam Roberti Regis filii, ut creditur, naturalis, qui pro impeditione coronationis XL millia vncias auri thesauro sacratissimo cumulauit, fuit coronatio protracta et tandem adeo impedita, donec habuerit tempus acceptum innocentem illum martirem morte inaudita et pessima cruciandi. Que inde sint orta irrecuperabilia, detestabilia et nephanda mala stb. dico verissime sine fine videntibus certe afflictis oculis meis stb. (1350. 15. Augusti.)

(»Collectio Epistolarum Nicolai Tribuni Romani«, Pelzel kézirati hagyatékában.)

320.

Erzsébet magyar anyakirályné és István herczegnek követe Velenczében. 1350.

Anno MCCCL. die XXIV. Augusti. Capta: Quod Ambaxatori domine Regine Hungarie et Ducis Stephani respondeatur, quod optavimus et optamus ex parte nostra treuguas inviolabiliter observare, et pro effectuali observatione ipsarum districte mandavimus nostris fidelibus et subiectis, ut gentes et subditos domini Regis Hungarie euntes, stantes et redeuntes tractent amicabiliter et honorent, et sic servatum est per eos, sicut eius Excellentia potest nosse. Si vero in mari publico gentes dicti domini Regis damna vel iniurias ab aliquo receperunt, hoc nobis occurrit molestum, qui optamus, ut navigentes quilibet securitate fruantur; sed non potest vel debet ex eo nobis aliquid imputari pro eo, quod in alienis discordiis, exigentibus condicionibus nostris, nunquam nisi in pacificandis eis, cum possumus, nos aliqualiter ymiscemus, nec ex forma treuguarum ad id ullactenus obligamur, nec voluimus aliqualiter obligari, dum in confectione treuguarum ipsarum per Ambaxatores suos exinde fuissemus specialiter

requisiti, velut re, que apud nos predictis respectibus difficilis et impossibilis extitisset. Ad secundum capitulum de pace tractanda etc. respondeatur, quod fuit nobis et est desiderium speciale cum ipso domino Rege firmam pacem et veram dilectionem habere, et ex parte nostra data est hucusque et dari intenditur opera efficax circa hoc; et sicut notum est, pluries misimus nostros solemnes Ambaxatores ista de causa, volentes cum dicto domino Rege vivere in sincera benivolentia et amore, sicut fecimus cum progenitoribus suis. Et propterea placet nobis et multipliciter gratum extat, quod dicta Regina mater sua interponat se et laborat pro dicta pace complenda. De modo vero et via tenenda circa hoc relinquimus Maiestati Sue, in qua viget summa prudentia, que melius cognoscere poterit ad agendum; nam in nobis semper inveniet omnem bonam dispositionem ad ea, que bonum pacis et conservationem ac augmentum amoris hinc inde respicere dignoscuntur.

Die XXVI. Augusti. Capta: Quum Ambaxator domine Regine Hungarie et Ducis Stephani, audita responsione sibi facta per nos ad primum capitulum ambaxate sue, replicando instabat, ut super damnis et iniuriis gentibus suis transeuntibus in Apuleam per mare irrogatis deberemus providere, subiungens aliqua ex damnis predictis data esse in portubus nostris et sub nostra protectione: vadit pars, quod respondeatur ei, quod nos gravat, ut diximus, de damnis prefatis, et maxime si in nostris portubus vel territoriis, ut asserit, facta forent; sed cum de hoc nunquam fuerit nobis ulla noticia, ymo sit protinus nobis novum, intendimus, licet tamen non credamus, posito quod hoc foret, teneri per treuguas de damnis datis per alios super inde plenam informationem cum diligenti inquisitione recipere, qua habita proponimus secundum ea, que invenerimus, providere et facere circa hoc, quicquid debuerimus et tenebimur ex forma treuguarum, ad quarum observationem fuimus, sumus et esse intendimus prompte dispositi et parati.

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. B.)

321.

Dusan István szerbiai czár és István boszniai bán közt a kiegyezkedés nem sikerül. 1350.

Anno MCCCL. indictione IV. die XXVIII. Septembris. Capta: Cum per litteras Ambaxatorum nostrorum missorum ad Regem Raxie et Banum Bossine habuimus, quod nullo modo de concordio inter partes sperant, et quod mora sua est cum expensis maximis et in minus honoris nostri Dominii: vadit pars, quod rescribatur dictis Ambassatoribus, quod libenter voluissemus, quod aliqua compositio facta esset inter dictas partes, ut cessassent errores et scandala inter eos. Sed intellecto tenore litterarum suarum, confidentes de providentia sua, relinquimus in discretione et arbitrio suo, si per ea, que habuerint, viderent posse procurare aliquod bonum inter ipsas partes eundi et faciendi, sicut eis videbitur pro honore nostro. Et si videretur eis, quod mora eorum non esset opportuna, et quod dicta nostra intentio fieri seu obtineri non possit: volumus, quod, recommendatis instanter domino Regi Raxie terris et locis nostris et omnium subditorum nostrorum cum verbis decentibus, et accepto commeatu decenti, Venetias revertantur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből)

322.

A sienai köztársaságnak a florenczi kormánytanács a Siciliából visszatérő I. Lajos magyar királyról. 1350.

Senensibus.

Regis Hungarie accessum ad urbem diebus elapsis prescivimus, non ea de qua scribitis militia sotiati; preter que nil aliud de eius assumendo itinere vel intentione sua potuimus indagare. De quibus si nos contigerit aliqua sentire imposterum, vestre care amicitie notum fiet. Preterea armigeram potentiam pro vestris placitis tenemus assidue preparatam opportunis casibus quantum erit expediens occursuram, teneri

vestram et augeri, si expediti (igy) similiter postulantes. Datum Florencie die XXX. Septembris IIII. indictionis (helyesebben III. indictionis vagyis 1350.)

(Cod. X. Signori. Carteggio. Missive. Registri.; a florenczi levéltárban.)

323.

I. Lajos magyar király seregével visszatérvén Siciliából, a velenczei területen a köztársaság követei által megtiszteltetik. 1350.

Anno MCCCL. die X. Octubris. Capta: Quum per ea, que habentur, dominus Rex Hungarie est futurus in Verona, et inde, ut creditur, iturus in Regnum suum per viam Tervisane, et honor noster sit, ipsum honorare; vadit pars, quod eligantur VI Ambaxatores ad honorandum et sociandum dictum dominum Regem cum illa commissione de verbis benevolis et amabilibus, que Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus, vel maiori parti videbuntur; et habeant quatuor domicelos pro quolibet, unum Notarium, unum expensatorem et unum choquum.

Electi Ambaxatores: ser Johannes Delyhyno procurator, ser Stephanus Mariono, ser Nicolaus Venerio, ser Hermolaus Gradonico, ser Marinus Superantio, ser Pancratius Georgio.

Die undecimo Octubris. Capta: Cum in alio transitu, quem fecit Rex Hungarie per terram, fuerit concessum nostris Ambaxatoribus missis ad eum, quod si vellet intrare aliquam Civitatem vel Castra nostra, haberent dicti Ambaxatores libertatem permittendi eum intrare cum illa gente, que sibi videretur cum securitate locorum nostrorum; vadit pars, quod committatur Ambaxatoribus nostris nunc ituris ad eum, quod, si dictus Rex voluerit intrare in aliquam civitatem vel locum nostrum, sumus contenti, intrante ipso cum illa quantitate gentis, que videbitur Rectoribus locorum, quo intrare voluerit, pro securitate illorum. Et sic scribatur dictis Rectoribus.

Item committatur dictis Ambaxatoribus, quod circa fac-

tum liberationis Comitis Pauli, et pro negociis aliquorum nostrorum civium et fidelium, qui habent facere coram predicto Rege Hungarie, expediti de negocio principali ambaxate sue, sicut et quando eis videbitur tempus aptum, procurent quicquid boni poterunt.

(A velenczei »Secreta Consilii«-ből Lit. B)

324.

A velenczei köztársaság követe, hogy I. Lajos magyar királyt a genuai szövetségtől elvonja. 1350.

Anno MCCCL. die ultimo Decembris. Capta: Quod pro omni bono respectu mittatur aliqua discreta persona ad dominum Regem Hungarie ad exponendum, quomodo nuper sensimus, quod inter ipsum et Januenses fiat tractatus de armamento aliquarum galearum declinaturarum ad partes Segnie. Et quia firmiter tenemus, quod Maiestas Sua predictum vel alium tractatum non iniret in nostrum preiudicium vel sinistrum ratione treuguarum, quas habemus cum eo; disposuimus Maiestati Sue denotare, quod Januenses sunt capitales et publici hostes nostri, et ipsos et eorum bona vbique persequimur propter notabiles iniurias nobis factas ab eis. Et propterea quilibet adventus galearum et navigiorum suorum tam ad partes Segnie, quam alio, esset in manifestum damnum et periculum nostrum et fidelium nostrorum, nec possemus pro honore nostro desistere, quin contra eos procederemus. Propter quod requirimus et rogamus Excellenciam Suam, quatenus dignetur et velit a quolibet tractatu vel communicatione cum dictis nostris inimicis, et a quolibet favore eorum effectualiter abstinere, ut honor Maiestatis Sue in observancia pura et integra treuguarum firmatarum hinc inde plene conservetur illesus, et nos, qui nunquam potuimus aliquo casu vel tempore ad violacionem ipsarum induci, ad honores suos uberius disponamur. Et audiat dictus nuncius responsionem eius, et senciat, quicquid poterit. Et si habuerit responsionem conformem intencioni nostre, bene quidem; sin autem, rescribat et expectet, ubi ei videbitur, nostrum mandatum. Et hoc, qnod sen-

timus, notificetur etiam domino Ludoviso et Regine (Sicilie) per aliquam personam secretam, sicut videbitur Domino, Consiliariis et Sapientibns, vel maiori parti, sine scriptis tamen.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. B.)

325.

I. Lajos magyar király mint Siciliában saját nevében uralkodó király. 1351.

A) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno a Natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo primo. Regnante Serenissimo Principe domino Lodouico Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilis Rege, Regnorum vero Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno tertio, die tertio decimo mensis Januarij quarte indictionis, A u e r s e. Nos Bartholomeus de Symone de Auersa per Prouincias etc. ad vitam Judex ad Contractus, Jacobus de Cruce de Neapolj Puplicus per totum Regnum Sicilie Regia auctoritate Notarius; et subscripti testes ad hoc specialiter vocati etc. declaremus etc. etc. (Adományozás.)

B) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno ab Incarnatione eius millessimo trecentesimo quinquagesimo primo. Regnante Serenissimo Domino, domino nostro Ludouico Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege Regnorum uero Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno quarto feliciter Amen, mense Aprilis die quinto decimo eiusdem quarte indictionis apud Vicum. Nos Alferius de Cioffo Annalis Judex predicte Terre Vici et casalium eiusdem; Petrus Longus Puplicus per Provinciam Terre Laboris et Comitatus Molisij etc. Regia auctoritate Notarius, et testes subscripti illiterati de predicta terra Vici ad hoc specialiter vocati etc. etc. etc. (Eladási szerződés.)

C) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Amen. Anno a Natiuitate eiusdem millessimo trecentesimo quinquagesimo primo. Regnante Serenissimo Principe domino Ludouico Dei gratia Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege; Regnorum uero

Vngarie anno nono, Jerusalem et Sicilie anno quarto; die nono mensis Junij quarte indictionis A u e r s e. Nos Petrus de Anillo de Auersa per Provinciam Terre Laboris etc. ad vitam Judex ad Contractus, Jacobus de Cruce de Neapoli Puplicus per totum Regnum Sicilie Regia auctoritate Notarius, et subscripti testes etc. etc. (Adományozás.)

D) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eterni Amen. Ab Incarnatione eiusdem anno millessimo trecentesimo quinquagesimn primo, die vicesimo septimo mensis Augusti quarte indictionis A u e r s e. Regnante domino nostro Lodouico Dei gratia Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum uero eius Vngarie anno decimo, Jerusalem et Sicilie anno quarto. Nos Bartholomeus de Symone de Auersa per Proninciam Terre Laboris etc. Puplicus Notarius et infrascripti testes ad hoc specialiter vocati etc. etc. etc (Adományozás.)

E) In nomine Domini nostri Ihesu Christi Dei Eterni, anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentessimo quinquagesimo primo die quinto mensis Octobris quiute indictionis. Regnante domino nostro Ludouico Dei gratia Serenissimo Vngarie, Jerusalem et Sicilie Rege, Regnorum uero eius Vngariano decimo, Jerusalem et Sicilie anno quarto. Nos Bartholomeus de Symone de A u e r s a etc. etc. Judex, Paulus de Corno Puplicus eiusdem Civitatis Notarius et testes subscripti etc. etc. etc. presenti scripto publico. etc. etc. etc. (Adományzás.)

(Az itt felemlített okmányoknak eredeti példányai börhártyára irva találtatnak az olasz kír. Grande Archivioban Nápolyban a »Pergamei de Monasteri soppressi közt.)

326.

A velenczei kormánytanács válasza I. Lajos magyar királyhoz küldött követének jelentésére. 1351.

Anno MCCCL. die VIII. Februarii. C a p t a: Quod respondeatur Bernardo Notario et Nuncio nostro misso in Hungariam, quod intellectis licteris suis et responsione Regis ad ambaxatam nostram: volumus, quod pro parte nostra dicto

Regi respondeat, quod teste Deo, cui nichil extat occultum, cum omni diligentia et studio hactenus curavimus et curamus observari facere treuguas initas et iuratas hinc inde, nec reperiri poterit cum veritate, quod in lesionem earum ex parte nostra aliquid sit commissum, et sic amicabiliter eas servare proponimus, etiamsi ab alio requireremur in contrarium; quia si aliter facere temptaremus, esset in preiudicium animarum nostrarum et perpetuam infamiam nostri honoris; et si forte aliquid contra eas factum esset, id preter nostram conscientiam processisset, et essemus parati omnia indebite facta facere reformari, sicut iustum esset. Et similiter credimus, nec dubitare possumus ullo modo, quod ex parte Maiestatis Sue pro salute et honore suo treugue, que sic Deo iurate sunt et promisse, plenarie servabuntur. Ad id vero, quod pro parte ipsius Regis subiungitur, quod appetit amiciciam et pacem habere nobiscum pocius quam cum aliquibus aliis; respondeatur, quod semper optavimus amiciciam et pacem cum quolibet, sed eam principaliter et maxime optavimus et optamus cum Maiestate Sua, (qualiter) habuimus cum progenitoribus suis, qui semper nos amicos et devotos carissimos reputarunt, et sic intendimus habere et servare cum eo, quando Sue placeat Maiestati, et facere ex parte nostra quicquid fuerit faciendum, ut firma pax et perpetua benivolencia sequatur hinc inde. Et audiat responsionem suam; et si Rex fuerit contentus de ipsa responsione, dictus noster Nuncius redeat Venecias; si autem non contentaretur, rescribat, et de novis omnibus, et maxime tangentibus facta nostra, et nostrum expectet mandatum.

Et informetur dictus Nuncius de liga facta inter Regem Aragonum et nos contra Januenses.

(A velenczei »Secreta Consilii Rogatorum«-ból Lit. B.)

327.

I. Lajos magyar királynak a velenczei kormánytanács. 1351.

Anno MCCCLI. die IV. Aprilis. Capta: Visis et examinatis litteris missis Bernardo Notario, et responsione, quam nobis fecit, et etiam litteris domini Regis Hungarie, consulunt

sapientes, quod tam pro honore domini Regis, quam nostro eidem domino Regi scribantur littere infrascripte:

Maiestatis Vestre litteras nuper suscepimus, quarum intellecto tenore sub compendio respondemus: Quod gerentes in votis, sicut semper et gessimus, ut inter Vestram Excellentiam et nos solida pax et sincera pervigeat, quemadmodum inter utriusque predecessores illibata viguisse dinoscitur; gratum habemus, quod Ambaxatores Vestre Serenitatis et nostri in partibus Segnie pro ipsius pacis compositione conveniant. Verum de termino temporis statuendo pro honore Celsitudinis Vestre, quia decens est, in vestro relaxamus arbitrio; nam quandocunque de intentione Regia certificati fuerimus super hoc; eos, qui pro parte nostra venturi fuerint, mittere procurabimus in termino stabilito, dispositi mente sincera ad omnia, que ad pacem inducendam benivolentiamque augendam hinc inde possent quomodolibet redundare.

Capta: Quod scribatur Bernardo Notario, qualiter recepimus litteras domini Regis et suas, et quod eidem Regi respondemus per litteras presentibus alligatas, quarum exemplum sibi mittimus interclusum, ut de ipsis litteris informatus reddatur. Mandantes sibi, quod si dominus Rex nobis vellet rescribere, quod mittere deberemus Ambaxatores nostros in aliquo tempore per ipsum taxato, accipiat litteras ipsas, et informet se de intentione dicti Regis quam caucius poterit, et veniat Segniam, quas nobis mittat illinc, nostrum expectans mandatum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

328.

A florenczi köztársaságnak I. Johanna siciliai királyné és Tarentoi Lajos. 1351.

Magnificis viris Prioribus Artium, Vexillifero Justicie, Rectoribus, Consilio, Populo et Communi Ciuitatis Florentie, carissimis amicis nostris.

Magnifici viri et amici karissimi. Ex illo sinceritatis instinctu, quo vos erga Regiam Domum nostram excitari confidimus, sicut hinc inde propagatus a precessoribus affectus exi-

git, et zelus naturalis benivolentie plus astringit: cupimus vos nostrorum felicium subcessuum reddi participes; quod debet ratio facere quorumlibet contingencium non expertes. Noueritis quidem, Magnum Regni Sicilie Camerarium et collegas suos, Numptios nostros, vigesimo primo nuper elapsi mensis Martij de Curia Romana Neapolim peruenisse, tam cum bullis de vniuersali concordia plene perfecta cum Rege Vngarie per ministerium Dominice Sanctitatis, que sequenti die XXIII. eiusdem, presente multitudine copiosa publicate fuerunt; quam similiter cum bullis aliis coronationis nostre in instante festo Penthecostes ea conficta ratione celebrari provise, qua nostri amici et alij diuersimode nobis coniuncti hunc diem festum prescire valeant, et erga nos causam obliuionis eorum per significationis negligentiam non impingant. Affectaremus namque, quod dispositio temporum exposceret, ut in solempnitate huiusmodi, que in vita nostra semel contingit, ex parte vestra visitatio esse posset. Quamuis sollicitare vos ad honores nostros non expediat, quos eorundem subcessuum indiuidua participatio ad ipsam honorificationem invitat. Super quo Angelum de Senis, Cambellanum et familiarem nostrum dilectum, latorem presentium, relaturum etiam premissa oretenus magis plene ad vos duximus destinandum. Data Neapoli sub anulis nostris secretis die VII. Aprilis quinte indictionis

Rex et } Jerusalem et
Regina } Sicilie.

(A Cod. XVI. Cl. XI. dist. 1. Archivio delle Riformagioni, a florenczi levéltálban.)

vadant cum ligno riperie Segniam, et ibi conveniant et tractent cum Ambaxatoribus dicti Regis cum illa commissione et libertate, quibus iverunt ser Johannes Gradonico et socii ad ipsum Regem mutatis et correctis mutandis et corrigendis. stb.

Die XIX. Madii. Capta: Facti fuerunt sindici viri nobilis Johannes Contareno, Marinus Faletro et Marcus Cornario Ambaxatores ituri Segniam pro factis Regis Hungarie ad providendum et firmandum omnia, que fuerint opportuna in negociis sibi commissis pro parte nostra cum solempnitatibus omnibus opportunis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből; a hol ezen követek 1351. május 19-e alatti megbizó levelének szövege is találtatik.)

330.

A velenczei kormánytanácsnak utasitása Segniában lévő követei számára. 1351.

Anno M[illegible]CLI. die sext[illegible]nii, IV. indictione. Capta:
Quod scrib[illegible]mbaxatori[illegible]tris, qui sunt Segnie, in
forma infr[illegible]
Inte[illegible]ligent[illegible] vir nobilis Marinus
Fale[illegible]oster.[illegible]suit de hiis, que gesta
era[illegible]baxa[illegible]ni R[illegible] Hungarie, ad
q[illegible] m co[illegible] re[illegible]us cum nost-
r[illegible] Rog[illegible]olumus, ut
[illegible]cti R[illegible]eis, debea-
[illegible]ere[illegible]o non est
[illegible]d e[illegible]llegantes
[illegible]ll[illegible]scretioni
[illegible]isterent,
[illegible]ontenta-
[illegible]e obser-
[illegible]compro-
[illegible]t deter-
[illegible] parte

git, et zelus naturalis benivolentie plus astringit: cupimus vos nostrorum felicium subcessuum reddi participes; quod debet ratio facere quorumlibet contingencium non expertes. Noueritis quidem, Magnum Regni Sicilie Camerarium et collegas suos, Numptios nostros, vigesimo primo nuper elapsi mensis Martij de Curia Romana Neapolim peruenisse, tam cum bullis de vniuersali concordia plene perfecta cum Rege Vngarie per ministerium Dominice Sanctitatis, que sequenti die XXIII. eiusdem, presente multitudine copiosa publicate fuerunt; quam similiter cum bullis aliis coronationis nostre in instante festo Penthecostes ea conficta ratione celebrari provise, qua nostri amici et alij diuersimode nobis coniuncti hunc diem festum prescire valeant, et erga nos causam obliuionis eorum per significationis negligentiam non impingant. Affectaremus namque, quod dispositio temporum exposceret, ut in solempnitate huiusmodi, que in vita nostra semel contingit, ex parte vestra visitatio esse posset. Quamuis sollicitare vos ad honores nostros non expediat, quos eorundem subcessuum indiuidua participatio ad ipsam honorificationem invitat. Super quo Angelum de Senis, Cambellanum et familiarem nostrum dilectum, latorem presentium, relaturum etiam premissa oretenus magis plene ad vos duximus destinandum. Data Neapoli sub anulis nostris secretis die VII. Aprilis quinte indictionis

Rex et } Jerusalem et
Regina } Sicilie.

(A Cod. XVI. Cl. XI. dist. 1. Archivio delle Riformagioni, a florenczi levéltálban.)

329.

A velenczei kormánytanács követeket küld Segniába, kik ott I. Lajos magyar király követeivel tanácskozzanak a véglegesen kötendő békességről. 1351.

Anno MCCCLI. die V. Maii, IV. indictione. Capta: Quod in Christi nomine eligantur tres solempnes Ambaxatores pro factis, que habemus facere cum domino Rege Hungarie, qui

331.

I. Johanna siciliai királyné és Tarentoi Lajosnak a florenczi köztársaság. 1351.

Regum inclite. Ambaxator Serenitatis Vestre ad partes Ungharie pridem accedens presentiam nostram adhiit, quedam deuocioni nostre referens pro parte Serenitatis affate. Post que de predictis partibus gressu felici repatrians, denuo se nostro conspectui presentauit, dicens; concordiam esse perfectam inter Serenitatem Vestram et inclitum Regem Ungharie. De quibus consideratis, quod guerrarum discriminibus et ceteris, que per discordiam suscitantur, presertim inter eos, quos natura sanguinis ydentitate coniunxit, finis imponitur, quodque captivorum Regalium liberatio est verisimiliter secutura, que pre ceteris deuotis Regiis nobis extitit molestissima et gravosa, letati sumus ingenti gaudio et exultatione vehementi; Deo, cui omnia serviunt, gratias peragentes. Et quia Eiusdem Oratori expositione prudente dedimus responsionem Vestre Maiestati oretenus referendam; breuiter harum pagina transeuntes, supplicamus Eidem, quatenus devotionis nostre recordes, dignemini Communitatem Nostram et Nos inter devotos Regios conservare; qui quantum possibilitas nobis adesset, habemus animos Regiis placitis irremissibiliter complacere. Data Florencie die XII. Junii IIII. indictionis.

(Filza X. dist. I. Signori Carteggio. Missive 10. sz.; a florenzi levéltárban.)

332.

A velenczei kormánytanácsnak határozata a magyar királylyal kötendö békesség tárgyában. 1351.

Anno MCCCLI. die ultimo Junii. Capta: Auditis et intellectis hiis, que exposuit nobilis vir ser Marcus Cornario, Ambaxator noster, et etiam de facto Notarii nostri missi ad dominum Regem Hungarie; consulunt sapientes, quod idem ser Marcus redire debeat Arbum ad socios suos, et per con

cordium vel per texeras unus ipsorum trium ibi debeat remanere pro eundo ad dictum Regem in casu, quo sibi per Dominium foret impositum, et alii duo statim Venecias revertantur. Verum ille, qui remanebit, expectet ibi responsionem dicti Notarii missi ad dictum Regem, et rescribat ea nobis, et expectet nostrum mandatum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből.)

333.

A florenczi köztársaságnak I. Johanna siciliai királyné és Tarentoi Lajos. 1351.

Magnificis viris Prioribus Artium et Vexillifero Justicie, Consilio, Populo et Communi Ciuitatis Elorencie, carissimis amicis nostris.

Magnifici viri et amici karissimi. Presupponimus in ipsis partibus notorie diuulgatum, cum hic per Papales bullas innotuerit circumquaque, qualiter concordia cum Rege Vngarie nobiscum per manus Sanctitatis Dominice in Romana Curia est firmata. Propter quam raptores et predones aliqui, qui hostilibus discursibus, rapinis et predacionibus assueti sunt modernis temporibus omnem substantiam fidelium regnicolarum aurire, efficiuntur ad huius Regni egressum penitus renitentes ulterius de dicti Regis Vngarie titulo iam diffisi, nunc hic nunc ibi se conferendo ad invicem, sicut eis extorquendi questus crudelitas persuadet, nec non pariter advocando ab extra confederatos alios, vel quacumque instigacione trahendos secum in malignitate non dispares, set pocius in iniquitate conformes; cum tedeat ipsos eius, quod suas manus euaserit, non quod rapiendo eorum procax peruersitas intercepit. Et dum sic eorum de Regno exitum differre conantur, dampna continue magis noxia non postponunt, ut si vel eos contingat invitos recedere, non reperiatur ad effundendum virus contra quos vbicunque voluerint, eorum bursas vacuas, quas de sanguine et facultatibus innocentium et miserorum Regni pauperum habent excoriando refectas; vel si compelli nequiuerint ad recessum, magis sibi sentiant incenturum (igy). Et quia

omnibus vinuersaliter et specialiter hodiosi effecti sunt, qui hodio cunctos habent; et cessante iam inter dictum Regem Vngarie et nos contencionis causa, per dictam concordiam iam sopita, sit Regnum faciliter pristine reintegracioni et votiue reformacioni expositum, et ad plenam fidelitatem nostram non vereantur aliud, nisi morsum prementis eos thirampnidis violentum: Amiciciam Vestram affectuose precamur, quatenus pro expellendis dictis predonibus et raptoribus totaliter Regnum per hostiles discursus hinc inde lacerantibus, velit Vestra Sinceritas maius exfortium, quod posse viderit per Civitatem excolj, de Marchia Anconitana vel aliunde, sicut decreueritis, in partes Aprutij, in quibus personaliter esse deliberauimus, quia magis expedientia urgent ibi, sub spe huiusmodi vestri exfortii, de cuius confidimus missione, celeriter in nostrum subsidium destinare, et ingressum ad Regnum tam societati cuidam inique, que in Forliuio dicitur propterea congregari, quam alteri genti suspecte, simile forsitam intendenti sollicite prohibere, tam per numptios ad amicos vestros locorum, per que transituri essent, quam alias, sicut expedire ipsa Sinceritas Vestra censebit stb. Data stb. III. Julii IIII. indictionis.

(Cod XVI. cl. XI. dista I. Archivio delle Riformaggioni, a florenczi levéltárban.)

334.

Griptai Miklós Siciliában, I. Johanna királynénak hive, adományúl nyeri De Molinis Miklós I. Lajos király hivének javait. 1351.

Ludouicus et Johanna Dei gracia Rex et Regina Jerusalem et Sicilie etc. Nicolaus de Gripta miles stb. (pro servitiis praestitis) maxime tempore invasionis Regni facte per Regem Vngarie et gentem suam, habet omnia bona feudalia et burgensatica, que fuerunt quondam Nicolai de Molinis puplici rebellis nostri, qui puplice a fidelitate nostra delirans, adhesit hostibus nostris, et hostiliter nostros fideles extitit persequutor, inferendo eisdem dampna, oppressiones et ostilitates in eis exercendo; que tam per puplicam notam rebellio-

nis ipsius Nicolai de Molinis, in qua vsque ad mortem perseuerans in ipsa reb-"lione extitit, quam per mortem ipsius sine legitimis heredibus, ex suo corpore derelictis sunt ad manus nostre Curie legitime et rationabiliter devoluta etc. Datum Neapoli — — — — anno Domini MC..LI. die VII. Julii IIII. indictionis.

(A »Registri Angioini« F. 357. sz. a. Reg. Ludovici et Johanne kötetéből. 66. l.;)

335.

I. Johanna siciliai királyné és Tarentoi ... és ... mánya Capuai Adenulfo Jakab számara 135..

Ludouicus et Johanna etc. Jacobo de ... carissi- pua stb. pro sue fidelitatis constantia, et ... quoque captionis sue et amissionis bonorum ... quam incurrit tempore exterminii et incursionis C... tis Capue facte per immanes Vngaros et Theotonicos notorios hostes nostros; et deinde pro ipsa fidelitate seruanda ad Ciuitatem Neapolis cum vxore et filijs suis confugiens elegit pocius in ipsa Ciuitate Neapolis misere viuere, sub Maiestatis Nostre tutamine, quam subsidiis dictorum hostium Capue commorancium adherere stb. (habet duodecim uncias auri annuas ponderis generalis) Datum Neapoli (anno Domini) MCCCLI. die XX. Julii IIII. indictionis.

(A »Registri Angioini« F. 357. sz. a. Reg. Ludouici et Johannae I. kötetéből 89. lev.; az olasz kir. Grande Archivioban Neápolyban.)

335.

Tarentoi Lajosnak a florenczi köztársaság. 1351.

Domino Regi Loysio.

Inclite Regum et Princeps. Etsi fame divulgantis preconio ad noticiam nostram peruenerit, concordiam inter dominum Regem Ungarie et vos esse auctoritate Dominica confirmatam : nichilominus tamen id verum esse cognoscimus per

litteras, quas ... iter Vestra Excellentia destinauit. De quarum contextu ... ti fuimu... ut decet dev... s filios de patrum et dominorum ... sperítatibus gratulari. Verum quia presidium nostrarum ger... m, quod conclusiue postulauit ipsarum series, mictere non valemus: quodammodo est conversa letitia in merorem. Et ut ... cusatos Vestra Sublimitas nos admictat: noveritis, quod Mediolanensis Dominus facto tractatu cum singulis Ytalie Ghibellinis nobis finittimis et remotis, cum fere tribus millibus equitibus, et copiosa peditum comitiva hiis diebus nostrum ... rritorium hostiliter fere vsque ad januas circuivi... uen si gentes suspectas versus Regnum pro- in ... iuxta scriptionis vestre seriem occuremus, pro... o circa p... ssibilia ad Regias obsequelas. Scriptum Flo- ex... Augusti IIII. indictionis.

subs... dist. 1. Sign. Carteggio, a florenczi levéltárban.)

337.

Volfart Ulrik, Nápolyban I. Lajos magyar királynak egyik volt német vezére, Magyarországban a Vöröskői Volfárt családnak alapitója. 1351.

Nos Ulricus de Wolfurt Comes Musuniensis, Castri Ferrei et Supruniensis, necnon Castellanus in Owar, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quod nos sana deliberacione prehabita propter bonum pacis Judici, Juratis ac Vniuersitati Ciuium in Suprunio liberam assignauimus potestatem, omnes profugos, spoliatores, seu quoscumque nociuos homines subsecvcionibus occidendi et captiuandi; insuper si in quibuscunque municionibus, villis, possessionibus profugi spoliatores seu nociui experirentur per eosdem, illic eosdem per nostros judices persequendi liberam habebunt facultatem; et medio tempore illam municionem, villam uel possessionem possunt premunire, et exinde nostrum Judicem Nobilium ad se conuocare, eiusdemque in presencia contra eosdem in iusticia procedendo. Et quicunque nostrorum judicum ausu temerario se opponere precogitaret, ita quod inmediate post expostulacionem ipsis suum subsidium non impartiret,

ita quod prefati nociui medio tempore premunirentur; ex tunc prefati ciues contra eosdem secundum jura Ciuitatum plenariam habebunt potestatem in iusticia procedendi. In cuius rei testimonium presentes duximus nostri sigili munimiue roborari. Datum in Suprunio anno Domini M.CCC.LI. feria quarta post Inuencionem Sancte Crucis.

(Eredetie bőrhártyán Sopron város levéltárában, pecsétjének körülirásával »Sigillum Vltrici de Wolfforth«. Volfart Ulrik Lajos királynak egyik leghivebb vezére volt, ki később Magyarországban letelepedvén; itt is a királynak hasznos szolgáltatokat tett; p. o. még 1352. János veszprémi püspökkel mint követ VI. Kelemen pápánál Avignonban. L. 340. sz. a.)

338.

I. Lajos magyar királynak a florenczi köztársaság. 1351.

Inclito Principi et Serenissimo Domino, domino Lodouico Dei gracia Hungarie etc. Regi dignissimo sui deuotissimi Priores etc.

Aduertentes antiqua modernaque seruicia nobis et Uniuersitati nostre per vestram illustrem progeniem placidis affectibus attributa, et eorundem ex gratitudinis debito non ignari, ad excellentem presenciam Regiam subscriptos conciues nostros tam sapientes quam nobiles et prudentes sincera confidencia dirigentes, Vestram Celsitudinem cordialiter exoramus, quatenus expositam et narratam eorum pro parte deuocionis nostre circa ea, que eisdem referenda commisimus, audienciam benignam et credulam exhibere placeat tanquam nobis, qui Regiis beneplacitis semper animos paratos habuimus, et totis affectibus perhenniter intendimus conseruare. Datum Florencie die secundo Octobris.

Nomina sunt D. Paulus Vectori miles et
Marcus de Strozzis.

(Filza X. List. 1. Signori Carteggii. A florenczi levéltárban.)

339.

Erzsébet magyar anyakirálynénak a velenczei kormánytanács. 1351.

Anno MCCCL. die quinto Novembris. Capta: Quod ad litteras domine Regine Hungarie respondeatur, quod multum placet nobis et reddimur consolati, quod Serenissimus dominus Rex natus eius in Regnum cum salute redierit, de cuius honoribus, salute et successibus felicibus, tanquam qui sinceritatem et benivolentiam cum illo tenemus et tenere semper intendimus, consolamur. Ad Ambaxatam vero dicatur, quod ad presens non mitteremus nobiles cives nostros ad tam longum et grave viagium propter sinistra et periculosa tempora regnancia hyeme presenti. Verum estatis nunc instantis tempore veniente poterit providere.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből)

340.

János veszprémi püspök és Volfart Ulrik vasmegyei főispán, mint I. Lajos magyar királynak követei Avignonban VI. Kelemen pápánál. 1352.

Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Venientibus nuper ad presentiam nostram venerabili fratre nostro Johanne Episcopo Vesprimiensi, et dilecto filio nobili viro Vlrico de Wolford Comite Castri Ferrei Nuncijs tuis, quos et litteras tuas nobis exhibitas per eosdem contemplatione tua benigne recepimus, et que ipsi Nuncij nobis pro parte Magnitudinis Tue viue vocis ministerio prudenter et prouide retulerunt, et eedem littere continebant, diligenter auditis et placide intellectis, Serenitatem Tuam super eo, quod te in negotio Regni Sicilie, nec non liberationis dilectorum filiorum nobilium virorum Ludouici et Roberti de Duracio, quos dicti Episcopus et Vlricus, habentes ad hoc a te mandatum sufficiens, tuo nomine liberarunt, votis et exhortationibus nostris sic liberaliter con-

formasti, eo plenioribus et uberioribus prosequimur actionibus gratiarum; quo progenitorum tuorum deuotionem et fidem ad Romanam Ecclesiam Matrem tuam inviolabiliter habitam, in te propagatione laudabili derivatam, et sentimus affectu, et effectu palpamus; Regi Regum, per quem viuis et regnas, preces deuotas et humiles offerentes; vt ipse, qui hunc tibi infudit animum, te in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate conseruet, ac te Regnumque tuum preservet a noxiis, successibus felicibus augeat, et thronum Regium fortius roboret, ac perpetua stabilitate confirmet. Sed quamuis, carissime fili, super hiis mentem patris tue puritas deuotionis exhilaret, et operum tuorum effectus ad tua commoda et honores extollenda nos excitent, et quadam propensiori cura constituant promptiorem: quia tamen in carissimi in Christo filii Roberti Imperatoris Constantinopolitani illustris, et dilecti filij nobilis viri Philippi de Tarento germani sui, sperata liberatione vota nostra suspensa sunt, nos eorum innocentie conscii, et proinde anxii de dilata eorum deliberatione per amplius, Pietatem Tuam iteratis prouidimus precibus exorandam; sperantes indubie, quod tu, qui paternis monitis et exhortationibus in maioribus paruisti, nos in minoribus ab exauditionis gratia non repelles. Et ideo Serenitatem Eandem rogamus et hortamur attentius, per viscera misericordie Dei, ac per aspersionem sui pretiosi sanguinis affectuosius obsecrantes, quatenus infra pia pectoris tui claustra reuoluens, quod erga dictos Imperatorem et Philippum, vtpote vna tecum ex eodem, et ipso quoque propinquo stipite descendentes, decet te mitius et gratiosius agere, ac eis velut innocentibus clementiam, quam maxime Catholici Principes velut decentem eos frequenter exercent in criminosos, etiam non negare, vt gaudium nostrum ex omni parte tuis filialibus et deuotis operationibus impleatur, pro Diuine Maiestatis reuerentia, tui honoris intuitu, et nostre interventionis obtutu, non habito respectu ad promissiones, si quas idem Imperator libertatis auidus Culmini Tuo minus prouide minusque consulte fecisse pretenditur, restituas concupite diutius libertati. Per hoc enim fame titulis clarioribus corruscaberis, et creatorem tuum sic tibi constitues propitium amplius, quod sicut verisimiliter est

sperandum, et in presenti felicioribus successibus affluas, beneficio vite letaberis longioris, et in futuro eterne glorie participium sortieris; et non solum nobis, sed et carissimo in Christo filio nostro Johanni Regi Francie illustri, cuius iidem Imperator et Philippus consanguinei germani sunt, et cuius Imperator ipse consanguineam, sororem Ducis Borbonesii habet vxorem, ceterisque Regalibus Domus Francie, quibus tu quoque nexu sanguinis es astrictus, et qui, ut super hoc apud te instaremus, nos instantissime rogauerunt, et continuis ac importunis precibus sine intermissione fatigant, Tua Sublimitas complacebit, ac nos et illos tibi quodam strictiori debito propensius obligabis. Datum Avinione XI. kalendas Februarii Pontificatus nostri anno decimo.

(IV. Kelemen pápa regestáiból.)

341.

György magyar ágostonbarátnak a Magyarországban lévő Anjou herczegek iránti hűsége. 1352.

Nel tempo che stavano cattivi nelle mani del Re d'Ungaria li Regali del Regno furono assistiti e serviti da molti; fra quali si segnalò fra Giorgio Vngaro dell' ordine Eremitano di Santo Agostino, qual' insieme con suoi fratelli e madre si erano continuamente adoprati al servitio di quelli, e particolarmente alle persone dell' Imperatore di Constantinopoli e Filippo di Taranto fratelli del nostro Re Lodovico, e portando questo religioso co tali ossequij alla noticia de' nostri Regi li riconvenne d' impetrarli dal Pontefice qualche Prelatura in Ungheria o altrove, lo fecero questi con molta efficacia.

(Alife Miklós, Arcani storici del regno di Giovanna I. Regina di Napoli, kézirat Amalfiban Camera Máté úr birtokában 169. lev.)

342.

A velenczei nagytanácsnak határozata genuai és magyarországi ügyei tárgyában. 1352.

Anno MCCCLI. indictione VI. die XVII. Februarii. Capta: Cum in factis, que habemus facere cum Januensibus, non videatur adhuc aliquis finis determinatus, et utile ymmo necessarium sit pro statu nostro habere super ipsis factis et super aliis novitatibus, que possent nobis occurrere durante presenti guerra, consilio electarum et solemnium personarum, quia modicum valent vires nostre, nisi facta nostra sano et salubri consilio dirigantur: vadit pars, quod in nomine Jesu Christi eligantur triginta sapientes per electionem in Maiori Consilio, qui cum domino Duce, Consiliariis et Capitibus de XL habeant tam super factis, que habemus facere cum Januensibus, quam super hiis, que habemus vel haberemus facere in futurum cum Rege Hungarie, seu sequacibus vel complicibus suis, et super omnibus dependentibus vel pertinentibus ad eam, plenissimam libertatem consulendi, providendi, terminandi, ordinandi, mittendi, expendendi, revocandi, faciendi omnia et singnla, que ipsis vel maiori parti utilia videbuntur pro honore nostro et conservatione fame et status nostri, sicut haberet et habet istud Consilium. Et conveniant omni die in mane, exceptis festis solemnibus, ad campanas et horas ordinatas sub pena soldorum viginti pro quolibet, salvis occasionibus exceptatis, et etiam aliis diebus et horis, quando vocati fuerint sub eisdem penis. Et non intelligantur congregati nisi due partes fuerint congregate, et possint accipi de omni loco et officio, exceptis Judicibus Palacii, Patronis, Pagatoribus et Consulibus, non accipiendo ultra unum pro officio et unum pro domo; et illi, qui deficient, fiant in Maiori Consilio. Et si steterint octo diebus de non veniendo ad Consilium, sint extra; nec exeant de terra sine licencia Dominationis, sicut erat de Consilio de XXV. Et duret dictum Consilium per VI menses, circa finem quorum venietur huc, et providebitur, si debuerit plus durare, vel non. stb.

(A velenczei nagytanács regestáiból; a velenczei levéltárban.)

343.

I. Johanna siciliai királyné és Tarentói Lajos királynak rendelete Szent Marciali Péter pápai biztos részére, ki á pápától a magyarok által Siciliában birt városok, várak és helységek átvételére volt kiküldve. 1352.

Ludouicus et Johanna Dei gratia Jerusalem et Sicilie Rex et Regina, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Prouincie et Forchalquarij ac Pedimontis Comites . . . fideli nostro gratiam et bonam voluntatem. Sanctissimus in Christo Pater et clementissimus Dominus noster dominus Summus Pontifex nobilem virum Petrum de Sancto Marciale militem deputatnm per eum ad recipiendum, custodiendum, regendum et gubernandum nomine suo Ciuitates, Castra, villas, fortellicias et loca alia Regni huius, que per Regem Vngarie seu nomine suo tenentur, ponenda et effectualiter resignanda in manibus eiusdem Domini nostri, secundum formam concordie inter eundem Regem Vngarie et nos per Sue Sanctitatis ministerium reformate prouidit de ordinatione nuntiorum et procuratorum vtriusque partis florenos vinginti singulis diebus a die sui recessus de Romana Curia, computandis in antea quamdiu exinde premisse vacauerint, et donec ad eundem Dominum nostrum rediuerit, percepturum pro suis et familie sue necessitatibus commodius supportandis, ipsaque oportuna pecunie quantitas inter Vniuersitates Regni prefati communiter diuidi deberet, maxime quia multum vtilitatibus eorum accrescit ex concordia memorata, eisque magnum releuamen ex trecentorum milium florenorum iuxta primas conuentiones soluendorum remissione succedit; provt hec omnia in bullis Dominice Sanctitatis eiusdem plenius continentur. Cum igitur ex deliberatione attenta nouiter habita processerit, quod quelibet Prouincia — — — — — partem quantitatis pecunie, in qua pro collectis seu generalis (igy) subuentionibus consueuit taxari, soluere propterea debeat, sicut visum est posse tollerabiliter supportari: Nos de tua fide, industria, sollicitudine et legalitate confisi te in Provinci — — — — ad faciendum fieri taxationes easdem, illasque recolligendum, exigen-

dum ac ad satisfaciendum eidem Petro exinde duximus tenore presentium, sicut subsequitur, statuendum. Volentes, tueque fidelitati committentes et mandantes expresse, quatenus statim receptis presentibus ad Prouinciam ipsam et singulas earum et cuiuslibet ipsarum te personaliter conferens, tuis suasionibus secundum premissa indicas easdem ad recipiendum sine excusatione aliqua, gratanter prompte tranxacciones dicte — — — — partis eius summe pecunie, ad quam collecta seu subventio generalis ascendit, tam ob reuerentiam dicte Sanctitatis, quam nostro intuytu, quam etiam pro tanto eis exinde quomodo prouenturo, tuque circa recollectionem et exactionem pecunie propterea contingentis cum omnimode diligencie et solicitudinis studio per omnem cohercionis modum quem expedire cognoueris, vtare procures et intendere vigilanter, et etiam incessanter, ut in habitione dicte pecunie negligentia nequaquam interueniat, et circa satisfactionem ipsi Petro impendendam defectus quomodolibet non contingat ad impedimentum tanti bonj, quod secum faciliter traheret irremediabile interesse, quodque soluentibus de quantitatibus per eos soluendis competentes tuas facias apodixas. Nos enim ad alias Prouincias huius Regni Commissarios nostros alios consimiles destinamus, deinde uero ipsi Petro de mense in mensem computando, a die — — — — — imediate preteriti mensis Martij primo de Curia Romana recessit, sicut exinde nobis constat, predictos florenos viginti de auro per diem de prefata pecunia ad manus tuas exinde proventura sine aliqua diminutione exibeas et exoluas, recepturus de hijs, que sibi solueritis, apodixas. Nec ommissurus facere quaternum vnum contempturum nomina terrarum et locorum, et quantitatem per vnamquamque Vniuersitatem taliter soluendam, vbi et quo die, et per manus quorum, necnon quicquid ipsi Petro per te solui contingerit, particulariter et distincte, quem sub sigillo tuo in camera summarie audientie rationum huius Regni penitus presentabis, ut de omnibus inibi informatio plenaria habeatur. Et ne te contingat in premissis proprijs sumptibus laborare, tibi gagia dnrante nostro beneplacito ad rationem de — — — — — per mensem harum serie stabilimus; que tibi ualeas de ipsa pecunia auctoritate presentium retinere in tuo computo acceptanda;

si autem aliquid penes te de dicta pecunia forsitan contingerit remanere, illam ad nostram Cameram deferes vel mittes, seu conuertes, sicut dirigenda tibi nostra mandata alia continebunt. Cedulas autem dictarum generalium subventionum siue collectarum in Provincia supradicta tibi sub sigillis nostris fecimus assignari. Ecce harum serie dictis Vniuersitatibus prefate Provincie et singulis earundem damus expressius in mandatis, quod tibi in premissis pareant, efficaciter obediant. Datum Neapoli — — — – Anno Domini MCCCIII. die XII. Aprilis secunde indictionis Regnorum nostri Regis anno IV., nostri uero Regine anno X.

(A »Registri Angioini« F. 357. sz. a. Reg Ludovici Johannae kötetéből 156. lev.)

344.

I. Lajos magyar király néhány siciliai hívének emléke. 1352.

A) Ludouicus et Johanna etc. Regenti Curie Vicarie Regni, et Judicibus eiusdem Curie, necnon Justitiarijs Terre Laboris et Comitatus Molisij, ceterisque Officialibus alijs, ad quos spectat et spectare poterit, per ipsum Regnum Sicilie constitutis presentibus et futuris, fidelibus nostris gratiam etc. Nicolaus de Ysernia Dominus Castri Ciuitenoue de Comitatu Molisij fidelis noster Maiestati Nostre reuerenter exposuit, quod olim eo agente in predicto Castro suo, quod inmediate et in capite a Curia nostra tenet sub fidelitate ac deuotione nostri nominis et statu regionis ipsius ex incursibus hostium discriminose languente Bertrandus de Mocca rebellis et infidelis noster ad Castrum ipsum cum gente sua se contulit, et captis violenter tam terra ipsa quam eius predicto domino, Nicolaum ipsum percussum in actu captionis huiusmodi carcerj mancipauit, petens ab eo magnam et amplam pecunie quantitatem. Set factnm esset ponitur et sequutum, quod eodem Nicolao carceribus subiacente in potestate eiusdem Bertrandi, Robertus de Molisio rebellis et proditor noster, tractante et ordinante Johanne de Ebulo milite cum eo in eadem rebellionis specie similiter concurrente, sibi fieri fecit pro re-

demptione persone ipsius Nicolaj quoddam puplicum instrumentum veditionis predicti Castri Ciuitenove pro vnciis auri triginta, quod re uera ualere poterat et valet vncias quingentas et vltra; quod quidem instrumentum seu uenditionis contractum Nicolaus idem — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — — — — — —
nobis supplicauit, ut prouidere sibi super hoc tam iuste quam eque caritate dominica dignaremur. Nos igitur consulto Judicio advertentes, quod venditionis predicte contractus factus taliter ipso iure censetur inualidus atque nullus, omnique caret fulcimento vigoris, propter ipsius quoque Nicolaj deuotionem ac fidem pro quibus persone sue pericula, squalores, carceres, rerumque suarum dispendia cum patienti animo pertulisse perpendimus, sicut relatio fidedigna testatur, et alias fidelium nostrorum emergentibus casibus caritate dominica fauorabiliter occurentes; volumus et fidelitati vestre de certa nostra scientia presentium serie commictimus et mandamus expresse, quatenus vos seu vestrum alij, quos adirj continget, vocatis euocandis, siquidem venditionem ipsam per vim et metum, velut premittitur, extortam, cum eo casu talis venditio tamquam nulla in supplicantis predicti dispendium rationabiliter non substitat, contractum ipsum summarie de pleno, sine strepitu et figura Judicij omni processus cauillatione remota, nullum existere auctoritate presentium decernatis ac etiam declaretis — — — — — etc. etc. Datum Neapolj per Sergium domini Vrsonis de Neapolj etc. Anno Domini MCCCLII. die vltimo Maij V. indictionis, Regnorum nostri Regis anno IIII., nostri Regine anno X.

(A »Registri Angioini« F. 357. sz. a. Reg. Ludovici et Johannae kötetéből 88. l.)

B) Ludouicus et Johanna etc. Justitiario Terre Ydronti, Baiulis, Magistris Juratis Terre Genose de eadem Prouincia Terre Ydronti, alijsque Officialibus partium Apulie, ad quos spectat, vel eorum alterj, presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam etc. Conparuit nouiter coram nobis Notarius Johannes Judicis Petri de eadem Terra Genusij fidelis noster, sua nobis tam pro se quam nomine et pro parte presbiterj

Mathie, Nicolai et Stephani Judicis Petrj, fratrum suorum vtrinque coniunctorum, expositione demonstrans, quod et iam dudum eadem terra Genusij intercepta per gentem Vngaricam, aliosque eorum complices et sequaces nostros, emulos et rebelles, et vsque ad hec tempora successiue, et nunc etiam detempta indebite occupata, exponens ipse volens fidelitatem nostram inuiolatam seruare, a tempore captionis terre eiusdem, vna cum eisdem fratribus suis eorumque familijs a terra eadem aufugerunt eorum relinquendo bona, proprium incolatum, nostram fidelitatem seruando, et eisdem nostris emulis in nichilo obedire volendo; sicque per eorum fugam infrascripti homines de eadem terra Genusij eorum juribus non contenti, manus violentas eorum aliqui in subscriptis bonis mobilibus ipsorum fratrum more predoneo iniecerunt eorum aliqui subscripta bona iocalia et stabilia Marie vxoris dicti exponentis, ac alij nonnulla alia bona mobilia et suppellectilia ipsorum fratrum a Malospino, qui terram ipsam sub velamine et tirampnico dominio Regis Vngarie tenuit atque tenet nequiter impetrantes bona ipsa corporaliter adipiscendo, tenendo, possidendo, in vsus proprios conuertendo, in ipsius exponentis dictorumque fratrum suorum graue preiudicium atque dampnum. Super quo per exponentem ipsum, tam pro se, quam nomine et pro parte dictorum fratrum suorum, nostre prouisionis remedium suppliciter implorando, fidelitati vestre tenore presentium iniungimus et mandamus, quatenus visis presentibus, dictaque terra Genusij ad nostram fidelitatem, sicut speramus, conuertj reducta, de predictis summarie fide sumpta sine libellj oblatione, litis contestatione, strepitu et figura Judicij vocatis et vocandis, dictos omnes et singulos detemptores et ablatores dictorum bonorum fratrum ipsorum, et ad quos bona ipsa expressis causis deuenta esse dicuntur, ad restitutionem faciendam eisdem fratribus de bonis eisdem, quatenus ad eorum quemlibet subscripto modo spectara dignoscitur, mobilibus videlicet si estant et si non estant de valore ipsorum, necnon de bonis stabilibus ac fructibus medio tempore exinde perceptis per eos, omni qua expedit arta et debita districtione cogatis; sicque fratres ipsos reclamandi materia Nostro Culmini vlterius non inducat, et scribendj iterato ex-

27*

inde non sit opus. Presentes autem licteras post habitam inspectionem earum restituj volumus presentantj, premisso modo efficaciter in antea valitura. Nomina uero dictorum detemptorum dictorum bonorum et predantium, et bona eadem hec esse asseruit, videlicet Johannes de Genusio miles habuit et habet oves centum; Alexandria neptis ex filio ipsius Johannis militis habuit et habet ac tenet pro dodario suo omnia bona jocalia Marie vxoris ipsius Notarij Johannis, ac suppellectilia domus eorundem fratrum, que valere asseruit dictus exponens florenos auri quinquaginta,necnon petiam vnam vinee sitam in pertinentijs eiusdem terre Genusij, in loco obi dicitur Luce, cuius hos dixit esse fines, videlicet vineas Thomasij, Notarij Nicolaj, viam vicinalem, et alios eius confines; ex concessione eis exinde facta per dictum Malumspinum Notarius Nuncellus habuit et habet vegetes sex diuersarum specierum et capacitatum; Vrso Carricellus habuit ordej salmas triginta. Datum Neapolj per Sergium dominj Vrsonis etc. anno Domini MCCCLII. die primo Junij V. indictionis, Regnorum nostri Regis anno IIII., nostri uero Regine anno decimo.

(A »Registri Angioini« említett kötetéből 119. l.)

C) Ludouicus et Johanna etc. Capitaneo Terre Sancti Seueri presenti vel futuro fideli nostro etc. Querelam Andree et Lillj de Sancto Andrea in Stagnis, nostrorum fidelium nuper in auditorio nostro propositam audiuimus continentem, quod ipsi in presentis guerre et turbationis tempore, volentes Nostre Maiestatis dominio fidelitatis debitum inconcusse seruare, et cum integritate deuotionis in illius perseuerare constantia, prefate terre Sancti Andree omnes homines vniuersaliter Vngarys alijsue nostris hostibus Regnum inuadentibus sub rebellionis specie adeserunt, incolatu relicto bonis eorum omnibus stabilibus et mobilibus, que obtinebant inibi, derelictis, ad ipsam Terram Sancti Seueri mansionem ipsorum per repentine absentationis suffragium transtulerunt; subscripti ex dictis hominibus Sancti Andree, eiusdem Maiestatis Nostre rebellibus, exponentes eosdem propterea capitali odio et ho-

stili more persequentibus, accedentes ad domos habitationis prefatorum exponentium in prefata Terra Sancti Andree positas, et asportatis abinde predoneo more cum certis mobilibus bonis repertis ibidem, existentibus non modici precij seu valoris, domos easdem ignis incendio concremarunt, arbores nichilominus oliuarum et viridaria exponentium prefatorum in tenimento dicte terre sistente perperam incidente, in dictorum exponentium totale depauperationis dispendium et desolationem extremam; sicque exponentes predicti taliter dampnificati et lesi, Celsitudini Nostre supplicauerunt humiliter, ut cum inuasio iam dictorum hostium propter ipsorum a Regno dissessu iam concesserit, et facta per eos occupatio sit per consequens reuocata, quod restitutionem integram predictorum ablatorum ac resarcionem condignam et debitam illatorum dampnorum super bonis dampnificantium seu excedentium subscriptorum eis fieri iubere secundum justitiam dignaremur. Nos qui exponentes eosdem zelantes taliter cultum nostre deuotionis et fidei nedum in eorum debita obtinenda iustitia specialj tenemur prosecutionis assistentiam confouere, set proinde retributione condigna et merita premiare ipsorum in hac parte, supplicationibus inclinati, fidelitati tue harum serie commictimus et mandamus expresse, quatenus vocatis euocandis, et de premissis summarie que expedit fide sumpta subscriptos commissores illatorum dampnorum ac ablatores rerum mobilium predictarum, tam ad restitutionem ipsorum ablatorum mobilium si extant, et si non extant competentis et rationabilis precij eorundem, memoratis exponentibus integraliter faciendam, et ad satisfactionem seu resarcionem condignam et debitam dampnorum illatorum predictis dampna passis, cum perceptis fructibus medio tempore seu que percipi exinde potuerunt super bonis eorum, omni qua expedire videris arta et fauorabili districtione compellas; ita quod non expediat vlterius exinde tibi scribi. Nomina uero dictorum dampnificantium hec esse ponuntur; videlicet Corradus Guillelmi teste Antonius Nicolaj Greci, Jacobus et Johannes frater eius, Robertus Angeli Caracecce, Johannes Nicolai, et Johannes Canis de predicta Terra Sancti Andree in Stagnis. Da-

tum Neapolj per Sergium domini Vrsonis etc. Anno Domini MCCCLII. die primo Junij V. indictionis, Regnorum nostri, Regis anno IV., nostri uero Regine anno X.

(A »Registri Angioini« emlitett kötetéből 88. l.)

D) Ludouicus et Johanna etc. vniuersis presentis indultj seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Si benignitas Principis per culpe deliramenta cadentibus clementer ignoscens misericordie januam aperit, et in contractis per inordinate voluntatis excessum pio instinctu lenitatis veniam pollicetur; tunc eius solium fulcimentis validis decorat et roborat, cum facte pollicionis gratiam pertinentis instantia perficit et per effectum sue largiflue liberalitatis adimplet. Sane ex inuasione et occupatione hostilj aduersus nos facta de dicto Regno Sicilie dudum per Illustrem Vngarie Regem tunc puplicum hostem nostrum, suosque valitores et gentem quamplures ex Ciuitatibus et locis, ac Magnatibus et singularibus personis alijs Regni eiusdem Sancte Romane Matris Ecclesie obedientia et reuerentia perimpensa, nostrique nominis fidelitate postposita, quinpotius abiurata, patenter eidem Regi sueque genti per rebellionis ac infidelitatis et notorie offensionis actum temere adheserunt, Maiestatis Nostre constituentes se infideles pariter et rebelles, pro quorum hostium offensionibus et conatibus reprimendis adeo innuentium agendorum impellens necessitas nos coegit, et perinde curas innumeras distraxit ad alia, quod debitus cultus Justitie ministrarj non ualuit, nec illius impensio commode potuit exercerj; quinimmo ipsa necessitate vrgente data neglectui proinde vbique locorum Regni eiusdem delinquendj impune quodammodo laxatis habenis causata est status euersi commotio turbulenta. Successiue namque ad causandum bonum vniuersalis concordie inter nos dictumque Vngarie Regem in Romana Curia consumate per manus Apostolice Sanctitatis, ad inductionem ipsius dominj nostri Summi Pontificis, et per reformationem collapsi status Regni eiusdem cum Magnatum et aliorum Consiliariorum assidentium nobis deliberatione matura quoddam ante assumptum per nos dyadematis honorem fecimus generale indultum et remissionis edictum eisdem rebellibus plena-

rie innoscendo; quod namque edictum post solij dictum assumptum per nos Regalis Throni fastigium et apicis Dyadema, per quoddam nostrum edictum aliud cum deliberatione consulta modificandum duximus, declarantes ad illos ex ipsis rebellibus debere dictam remissionis gratiam se extendi, qui infra mensem a die facte nostre Coronationis computandum inantea personaliter ad obedientiam uenirent, ipsamque remissionis gratiam peterent; aliosue insuper fideles ceteros gradus cuiuscunque, status uel conditionis existentes, Vniuersitates insuper terrarum et locorum aliorum Regni eiusdem quoruncunque, qui et que ipso turbato guerre tempore in nostra fidelitatis constantia perstiterunt (így), ob quod apud nos gratiarum profecto rependia meruerunt, ab eiusdem mansuetudinis nostre participio volentes exfici non expertes, per ipsum edictum aliud de commissis criminibus omnibus generalem remissionem etiam fecimus; dummodo, vt predicitur, ad ipsam obedientiam uenirent et peterent, prout in edictis eisdem premissa omnia latius describuntur. Nouiter uero subscripti de Castro Abatis Casalis Aquarelle partiales et Malandreni infra dictum terminum stabilitum et mensem ad nostram presentiam venientes Maiestati Nostre supplicauerunt cum spiritu deuotionis actente, ut cum ipso durante guerre tempore et ante etiam tempus guerre eiusdem effrenatum insequentes appetitum proprium et inordinatum voluntatis, exponentes se lapsui tum per partialitatis dissidium tum etiam per delinquendi et excedendi modum alium plura commiserint enormia crimina, homicidia, excessus, disrobationes stratarum, violentias, incendia percussiones etc. etc.; quod dignaremur cum eis misericorditer agere, ipsosque ad dictam remissionis gratiam iuxta dicti secundi edicti tenorem admictendo eisdem per nostras relaxationis licteras indulgere. Nos itaque ex ea que premittitur virtute clementie disponentes in hac parte pie lenitatis cultum prosequi, misericordie januam dictis supplicantibus aperire ipsorum supplieatione cum gratia benignius exaudita subscriptis omnibus et eorum cuilibet etc. etc. omnes offensas et culpas etc. etc. de certa nostra scientia et speciali gratia iuxta prefati edicti formam, mentem et seriem benigne remictimus et misericorditer relaxamus etc. etc. Datum Nea-

polj per manus Sergij domini Vrsonis de Neapolj etc. anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo die XV. Junij V. indictionis, Regnorum nostri Regis anno IIII. nostri uero Regine anno X.

(A »Reg. Angioini« emlitett kötetéből 46. l.)

E) Ludouicus et Johanna etc. gratis vtilibus devotis seruicijs, que Saninus Juliani de Stornaria Nostro Culmini in exaltatione nostri nominis et honoris hactenus, signanter pridem in Turri Trium Sanctorum obsessa mensibus pluribus per Vngaros ac alios aliarum partium nostros emulos prestitit etc. (habet donationem redditus annui unciarum auri duodecim.) Datum Neapoli anno Domini MCCCLII. die V. Junii V. indictionis, Regnorum stb.

(A »Registri Angioini« emlitett kötetéből 44. l.)

F) Ludouicus et Johanna Dei gratia Rex et Regina Jerusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Prouincie et Forcalquerij ac Pedimontis Comites vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Sicut virtuosa Principis circumspecta benignitas gratias habet conferre pro meritis; sic considerare debet actentius, ut quod ex causa maxime benigne conceditur, subsistentie debite inconcusssum robur obtineat, et per cuiusuis aduersi casus succedentiam alicuiusuis infrictionis dispendium non pauescant, Licet igitur viro Magnifico Petro Pipino, Lucerie et Vici Comiti, ac Baronie Sancti Seueri Domino dilecto nostro dudum condigne eius exposcentibus meritis Ciuitatem Sancte Marie olim Luceria nuncupatam, sitam in Prouincia Capitinate, cum hominibus, vassallis, juribus, fortellicio, mero et mixto Imperio, rationibus et pertinentijs suis omnibus, donandam duximus gratiose; quia tamen ad presens de reducendo Corradum Lupum Theotonicum ad nostre reconciliationis gratiam eandem Ciuitatem Sancte Marie ex hostilj inuasione et occupatione olim facta per eum presentialiter detinentem de nostro specialj beneplacito cum certis pactis et conuentionibus tractatus habetur, ne donatio ipsa nostra de predicta Ciuitate eidem facta, uti pretangitur, occasione tractatus eiusdem et

pactorum ipsorum aliquod recipiat infrictionis seu reuocationis dispendium, aut alie innouationis nocumentum, set vt in sui persistat efficacia debita, nec ab eius perinde decidat stabilitate mansura. Propterea ad supplicationem iamdicti Comitis factam deuotius proinde apud Regium nostrum Culmen declaramus harum serie, et de certa nostra scientia declarando decernimus, ac apertius iudicamus : quod vigore, occasione, ratione seu causa dicti tractatus et concordie, nec minus et habitorum pactorum inter nos, nostramque Curiam seu alios vice et nomine nostro, prefatumque Corradum, ac habendorum et firmandorum inantea quouismodo dicte iamfacte donationis per nos Comiti supradicto de predicta Ciuitate Sancte Marie; Comiti donatario ac juribus eius omnibus et possessione sibi super ipsa Ciuitate dicte donationis pretextu quomodolibet competentibus nullum possit, valeat, neque debeat preiudicium generare; quinimmo pacta ipsa eorumque quelibet, in quantum effectum seu vigorem premisse nostre donationis possent seu valerent elidere uel alias eneruare, aut eidem modo quocunque preiudicialiter derogare, eiusque tollere subsistentie firmitatem, reuocamus, irritamus, annullamus et retractamue, ipsorumque vim et efficaciam negando penitus vacuamus In cuius rei testimonium dictique Comitis cautelam presentes licteras exinde fierj et pendentibus Maiestatis Nostre sigillis jussimus communirj. Datum Neapolj per Sergium domini Vrsonis de Neapoli militis, Juris Ciuilis Profexoris, Magne Curie Magistri Rationales, Viceprothonotarii Regni Sicilie anno Domini M.CCC.LII. die X. Julii V. indictionis, Regnorum nostri Regis anno III., nostri uero Regine anno X.

(A »Registri Angioini« említett kötetéből 44. l.)

G) Clemens Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Quamquam olim in aduentu priorum Nunciorum tuorum ordinauissemus, et carissimo in Christo filio Ludouico Regi Sicilie illustri dedissemus expressius in mandatis, quod ipse cum illis de suo Regno Sicilie, qui tibi contra eum adheserant, misericorditer ageret, et omnem offensam et culpam remittens eisdem, ipsos

fauorabiliter et gratiose tractaret: nuper tamen super hoc litteris tuis benigne receptis, et que circa materiam huiusmodi pro parte tua dilectus filius Paulus Electus Gurcensis nobis exposuit, intellectis; cupientes ea, que per nos ordinata et iniuncta sunt, illibate servari, scripsimus et iniunximus eidem Regi per alias litteras iterato, vt ipse omnes, qui Magnitudini Tue, vt premittitur, adheserunt; et specialiter dilectos filios Vrsillum Minutulum Canonicum Neapolitanum, quem consideratione tua in Capellanum nostrum recepimus, et Petrum de Bellante, pro quibus nobis scripsisti vltimo, benigne ac amabiliter prosequatur, et in nullo eis occassione adhesionis tue penitus sit molestus. Et non dubitamus, quod ipse Rex, sicut alias nobis scripsit, in hoc mandatum nostrum realiter et effectualiter obseruabit. Datum Avinione idibus Julii Pontificatus nostri anno vndecimo.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

H) Ludovicus et Johanna Dei gratia etc. vniuersis presentis indulti seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Principalis Clementia, dum censura Juris per lenitatis intuitum se amabiliter obicit, rigorem iustitie cum moderamine librate prouisionis emollit; quo fit, ut non solum leuibus et excusabilibus indulgeatur excessibus, verum plerumque graues culpe et manifesta facinora, cum dispensatiua prudentia mitigentur. Sane Matheus Buccarellus dictus Caforius de Mutula, fidelis noster, pro se et subscriptis alijs Maiestati Nostre exposuit reuerenter, quod ordinato dudum per Nostram Maiestatem Justitiario et Vicario ac Capitaneo ad guerram viro nobili Goffrido Larchario de Janua Principatus Tarenti, et in eisdem partibus, prout ad eius spectabat officium, volente ad honorem et fidelitatem Maiestatis Nostre predicte justitiam ministrare in homines dicte Civitatis Tarenti et alios in ipsa Ciuitate; que necessaria tunc erant ad guerram temporibus ipsis turbatis ordinare aduersus nostros emulos et rebelles in dictis partibus discurrentes, homines dicte Ciuitatis Tarenti, nedum obedire recusarunt Goffrido prefato, ymmo opposuerunt se in vniuerso et particulari viriliter contra eum. Et inter alia,

dum Goffridus idem sub Nostre Maiestatis nomine resideret in Castro Ciuitatis predicte, homines ipsi cohadunata gente more rebelium cum banderijs explicatis dictum Castrum inuadere et capere satagerunt, faciendo ibi diuersa oppugnacula, cum trabuccis, lapidibus et balistis, ut possent expugnare castrum predictum, et offendere nostros fideles de mandato nostro existentes in custodia dicti castri. Super quibus requisitis ipso exponente, necnon Jordano de Aduersa per eundem Goffridum tunc Justitiarium, Vicarium et Capitaneum, ut prefertur, ut congregato gente armigera vndecunque in maiori quantitate qua possent, ipsi Goffrido succurrerent, necnon dictam Ciuitatem Tarenti, et homines Ciuitatis eiusdem, ac ipsorum bona opprimerent ac inuaderent et auferrent, vt ipsi Tarentini diuerteretur a dictis inuasionibus, et ad obedientiam dicti Goffridi, et Nostre Maiestatis per huiusmodi vexationes forsitan possent trahi, tam ex hoc quam ex alijs liuoribus et motiuis diuersis, data materia scandali inter dictos Tarentinos exparte vna, et predictum exponentem, ac subscriptos aliosque consanguineos, amicos, stipendiarios et secuaces exponentis eiusdem ex altera, instigante humani generis inimico, operante etiam conditione predicti temporis sic turbati, succreuerunt odia uaria, discessiones, et scandala hominum et tumultuosa discrimina, quod alterutrum insurgentes ad arma exorte fuerunt inuasiones, cedes, percussiones, disrobationes, dampna, iniurie, volentie, diructiones domorum, incisiones arborum fructiferarum, et extirpationes vinearum, aliaque diuersa et nephanda delicta huiusmodi miserabiliter fuere sequuta, vniuersaliter et particulariter inter parter easdem, ex quibus dicti Tarentini dampnificatos et offensos non modicum se reputare feruntur. Subiunxit etiam idem exponens quod ipse (et subscripti alii) amici, consanguinei et sequaces sui aliax exigente malitia temporum et certis emulationibus uigentibus in dicta prouincia et — — — — — — — — — — deliquisse ponuntur, ac delicta huiusmodi et alia commisisse. Et propterea pro se et dictis alijs Nostre Maiestati supplicauit humiliter, ut eis et cuilibet ipsorum de benignitate solita et speciali gratia remicteremus omnes et singulos excessus predictos, et penas que possent exinde resultare, ipsosque ad

bona eorum ac famam in statum pristinum redduceremus, in quo erant antequam predicta commissa taliter dicerentur. Nos autem Dei sequentes vestigia, qui non vult mortem peccatorum, set vt conuertatur et viuat, ac Sancte Matris Ecclesie, que suum gremium nullj claudit; de predictis, que aduersus predictos Tarentinos et bona ipsorum commissa ponuntur per eundem Matheum et alios veridice informati, repperimus exponentem eundem, ac dictos subscriptos, et alios eius, vt premittitur, amicos, consanguineos etsequaces in premissis et alijs, que per eos aduersus dictos Tarentinos et bona ipsorum commissa ponuntur, fuisse et esse inculpabiles et insontes, et si forsam inuenirentur quomodolibet excessisse, illud contigisse ex culpa et nequitia ipsorum Tarentinorum, causam et ortum dantium in premissis. Quapropter presupponentes indubie rem sic esse, eisdem supplicanti ac subscriptis, et alijs et cuilibet ipsorum, de certa nostra scientia et speciali gratia remictimus, indulgemus et totaliter relaxamus etc. etc. Datum Neapolj per Sergium domini Vrsonis de Neapolj militis Magne Curie Nostre Magistri Rationalis Vice-Prothonotarij Sicilie anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo die nonodecimo Augusti quinte indictionis, Regnorum nostri Regis anno quarto, nostri uero Regine anno decimo.«

[(A »Registri Angioini« említett kötetéból 67. l.)

I) Ludovicus et Johanna etc. Paleologius dictus Caualíarius miles familiaris et fidelis Johanne Regine stb. (érdemei tekintetéből) habet omnia bona quondam Damiani Spallicis et Meulj de Porticella de Trano ad manus nostre Curie per ipsorum proditionem et rebellionem notoriam legitime deuoluta etc. Datum Neapoli anno Domini MCCCLII. die penultimo Augusti V. indictionis.

(A »Registri Angioini« említett kötetéből 70. l.)

345.

VI. Kelemen pápa a tatárok és litvánok ellen Magyarországban is keresztes háborút hirdettet. 1352.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi, et ... Cracouiensi ac ... Wratislauiensi Episcopis salutem etc. Nuper carissimus in Christo filius Kazimirus Rex Polonie illustris per litteras et nuncios suos nostro Apostolatui patefecit, quod gens perfida Tartarorum in tenebris ambulans, carensque lumine Catholice veritatis, profana cogitatione considerans, quod Regnum Polonie, quod a fidelibus habitatur, est in ultimis Christianorum finibus constitutum stb. dictum Regnum et Christianos habitatores ipsius invadere presumpseruit stb.: propter quod prefatus Rex etc. nostrum in hac parte, et per nos promptum fidelium aliorum subsidium humiliter implorauit. Nos igitur stb. fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum per vos et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares Ordinum quorumcunque, quas ad hoc ydoneas esse noueritis, in eisdem Polonie, et Vngarie et Boemie Regnis contra prefatos Tartaros, et quoscumque alios infideles invadentes seu offendentes predictum Regem et Regnum Polonie et habitatores ipsius proponatis iuxta datam vobis a Deo prudentiam verbum crucis et venerabile signum eius tam eiusdem Regis, quam aliorum fidelium incolarum Regnorum predictorum illam deuote suscipere volentium humeris affigatis; eosdem vestris exhortationibus stb. Datum apud Villam Nouam Auenionensis Diocesis idibus Maii Pontificatus nostri anno decimo.

(VI. Kelemen pápa regestáiból.)

346.

A velenczei kormánytanácsnak határozata Clissa és Scardona várak megszerzése ügyében. 1352.

Anno MCCCLII. indictione VI. die VIII. Septembris. Capta: Cum castra et loca Clissii et Scardone sint utilissima

ymo necessaria ad conservationem terrarum et status nostri in partibus Sclavonie, et stantibus eis in manibus Comitisse subiacent manifestis periculis, sicut per experienciam visum est: vadit pars, quod scribatur Provisoribus nostris Sclavonie, quod libenter vellemus, quod dicta loca pro omni bona causa forent in protectione et custodia nostra; et propterea vellemus, quod cum illis verbis et modis, qui sibi convenientiores et utiliores videbuntur, debeant conferre cum dicta Comitissa, et eam suo posse inducere, quod ipsa ponat et tradat dicta castra in protectione et custodia nostra, donec eius filius ad etatem legittimam fuerit, cum illis avantagiis, promissionibus, convencionibus et modis, qui viderentur decentes. Ostendendo, quod hoc dicitur solum pro evitandis periculis et damnis, que leviter possent ipsi et filio pervenire: quia tales persone auderent contra eam et filium facere novitatem, que contra nos, si scirent, loca custodiri et salvari per nos, non auderent modo aliquo attentare. Et vellemus, quod circa hoc ipsam hortari debeant, et trahere ab ea finalem intencionem suam, et illam seriose nobis rescribere quam cicius esse potest, et eorum consilium. Verum quia ipsi Provisores diu fuerunt in partibus Sclavonie, et potuerunt sentire et cognoscere multum de disposicione et intencione sua, relinquimus in eorum discretione tangendi verba prefata ipsi domine vel non tangendi, sicut eis pro honore et bono nostro habito in omnem partem respectu melius videatur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVI. kötetéből)

347.

A genuai dogének I. Lajos magyar király. 1352.

Magnifico viro et potenti domino Johanni de Lauente Duci Januensi amico suo honorando Ludouicus eadem gracia Hungarie Rex.

Magnifice vir et amice honorande. Prouidum virum dominum Nicolaum Beltramis Communis Januensis Cancellarium, Nuntium vestrum in facto lige, vnionis et confederacionis inter Nos, ac Vestram Magnificenciam et Commune

Januense habende, ad nos transmissum, vestri contemplacione et sue legalitatis intuitu benigne recepimus, et legaciones per eundem nobis relatas ad plenum intelleximus. Ad quarum seriem per honorabilem virum dominum Gregorium Canonicum et Thesaurarium Ecclesie Varadiensis, Doctorem Decretorum, Capellanum nostrum specialem, quem ad tractandum et firmandum dictam ligam, vnionem et confederacionem inter nos mutuo habendam ad Vestram Magnificenciam destinauimus, vobis duximus respondendum, Datum Bude vicesima die mensis Septembris.

(Eredetie a turini olasz kir. levéltárban. Mélt. báró Nyáry Albert dr közleménye.)

348.

A Magyarország és a genuai köztársatág közt kötendő szövetségnek pontozata. 1352.

Tractatus ad dominum Regem Vngarie.

Sumus contenti de fare ligam cum lo segnor Rey alo offensione de lo Veneciam secondo lorde parlao a meser Maistro Freynego in questo modo.

Primeramente che noi se troueremo a nostro poey inter lo golfo lo pu che noy potremo dar ogni offenssion de le terre, le quale tenneno li Venetian, secondo lo dico segnor Rey per terre cum le soe genti per uia ordenaa, quando lordem sera dayto inter noy e lo dito segnor Rey, abiando in le terre de lo dito Rey, chi sum a la marina apategao reste scamento per le nostre galee, azo che per defecto de victualia le nostre galee no perdesem lo tempo, o che la via e la speysa, chi sera monto grande, no fosse fayta inderno.

Item che per lo segnor Rey secretamente sea dayto in trattao a lo nostro sindico presente lo modo e la condicion de quele terre chi seam pu afabel a devener conquistat, e vnde le galee poessem meio auer reducto e refrescamento per pu segurta de le ditte galee. E ancor quale sum quele terre, donde elo a pu amixi; etiam de qua sum quelle le quae pu lengeramente se porriam inugir. E questo digamo per pusor

raxom. La primera si e, che quando devegnua ' inuagisse vn logo, li altri se inugissan poa pu lengeramente 'altra raxom si e, che possando tosto inugir vn logo, e spe' 'rmente cum galee, se eli sa payra de proueir monco, e poa grande afano instar in proa cum galee, como manifesta mena se sa, sea per li temporai, sea per le grande speyse, che menan galee. E per altre raxom a say, che se porrean dir, per che a meste che queste cose se fazan cum grandissimo ordem e secrato e, che la caualaria fose a si tosto a lo opoxito, com' l galee se demostrasem; o forsa auansi se mostrase la cauala. , mostrando de dar atento a vn logo per ferir sagazamente a vn altro.

Semo contenti, che ogni terra, che tene la Venecia, sea de lo Rey; romagnando noy franchi e liberi in lo so ' ey la roba e li prexom conquista per le galee; sea de le ' lee la roba conquista cum loste de terra e cum le galee in ' me sea per mare.

Se per auoituram fazando questa ligha, e lo requerise tempo, questo lasemo anoy, semo contento a lo pu longo per agni doi, e per questo tempo semo contenti de no far paxe sini a dor agni senza soa voluntate. E questo poi prometer seguramenti e da li auanti no, et versa vice.

Se mereyuermente abia inimixi li Catalan et sequaces ipsorum.

Item se sea in memoria de aregoroar a lo segnor Rey de defendre, che li agereanti Toeschi no zeysse a Venexia in questo, in principio ne serea grandissimo fouor.

(Eredetie a turini olasz. kir. levéltárban. Méltoságos báro Nyáry Albert ur közleménye.)

349.

Magyarország és a genuai köztársaság közti szövetség. 1352.

In nomine Domini Amen. Milessimo tercentesimo quinquagesimo secundo die vigesima secunda Octobris. Ad honorem et laudem Omnipotentis Dei, ipsiusque Beate Matris Virginis Gloriose; nec non ad honorem et exaltationem Serenissimi

Principis et domini, domini Ludouici Dei gratia Hungarie Regis etc.; et ad honorem et exaltationem Magnifici Domini domini Johannis de Valente eadem gratia Ducis Januensium etc. et Communis Janue; et ad destructionem et desolationem inimicorum et emulorum ipsorum domini Regis, et Ducis ac Communis Januensis; et potissime Ducis et Communis Venetiarum ad destructionem.

Venerabilis vir dominus Gregorius Canonicus et Thesaurarius Ecclesie Varadiensis, Decretorum Doctor, Ambassiator, procurator et Nuntius ipsius domini Regis, habens ab ipso domino Rege plenum et sufficiens mandatum ex forma duarum litterarum patencium ipsius domini Regis, quarum vna est munita sigillo magno ipsius domini Regis cum cera crocea et fillo serico, cuius sculptura apparet ab uno latere figura Regis tenentis in manu dextra virgam cum lilio in cacumine, et in manu sinistra pomum rotundum cum cruce superius; et in qua facie dicti sigilli apparent littere continentie iscripture, videlicet »Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie Dalmatie Croatie«; in alia vero parte dicti sigilli apparet quoddam scutum cum duabus crucibus; et in dictarum parte circumcirca apparent littere continencie huiusmodi — — — —;. et que littera data legitur Bude hoc anno die vigesimo mensis Septembris. Alia vero ipsarum data legitur Bude hoc anno die decimo octauo mensis Septembris; et est munita sigillo ipsius domini Regis parvo in quadam cera rubea, que est intus ceram croceam; et in quo sigillo est sculptum scutum ad arma dicti domini Regis cum quadam cimera desuper; et in ipsius sigilli circumferentia scripte sunt hec littere seu verba signata»S. Secretum Ludovici Regis«: et quarum litterarum tenores inferius denotantur ex vna parte. Et prefatus Magnificus Dominus, dominus Dux in presentia, consensu et voluntate infrascriptorum Consiliariorum suorum ad hec sibi specialiter deputatorum, nomina quorum sunt hec: Jacobus Venerosus Prior, dominus Celesterius de Nigro; et ipsi Consiliarii in presentia, auctoritate et voluntate ipsius domini Ducis, nomine et vice Communis Janue ex altera parte, peruenerunt et peruenisse confessi fuerunt ad infrascriptas confederationem, vnionem et ligam inter ipsum dominum Re-

gem et gentem suam ex una parte, et prefatum dominum Ducum et Commune Janue ex altera, incipiendas et inchoandas in festo Natiuitatis Domini proxime venturo, et finiendas deinde usque ad annos duos proxime subsequentes solempni stipulatione inter dictas partes valatas et firmatas. Renunciantes dicte partes sibi ad inuicem et ex certa scientia exceptioni dictarum confederationis, unionis et lige non factarum, et sic ut supra et infra non firmatarum, rei sic se non habentis, doli mali, in factum, condicioni sine causa et omni jure.

Videlicet quia ipse dominus Gregorius procuratorio nomine quo supra dicti domini Regis promisit ipsi domino Duci et Consiliariis supradictis recipientibus nomine et vice Communis Janue et omnium Januensium, quod ipse dictus Nuncius seu dictus dominus Rex habebit, tenebit et reputabit pro inimicis capitalibus ipsius et gentis sue Ducem et Commune Venetiarum ac omnes Venetos et districtuales ipsius, et quosqcunque adherentes et confederatos, ac de amicitia ipsius, ipsosque habebit atque tractabit velut inimicos ipsius; et ad ipsorum durante dicto tempore suo posse erit dampnum, cedem, iniuriam et offensam. Cum quo Duce Venetorum et Communi dicto tempore durante non inhibit seu tractabit ipse dominus Rex, vel tractari faciet pacem, treuguam vel concordiam aliquo quouis colore quesito, palam vel occulte; sed bona fide et sine fraude guerram habebit, faciet et tenebit firmam durante tempore supradicto.

Item voluit et consensit dictus dominus Gregorius procuratorio nomine quo supra, quod si contingat durante tempore predicto capi seu acquiri per forciam Communis Janue, siue galeas vel ligna ipsius Communis aliquas ciuitates, terras, castra, oppida, munitiones seu fortalicia, tam in insulis maris, quam in portubus et partibus maritimis in Dalmatia sine iuuamine domini Regis siue exercitus sui, ipsis Januensibus liceat et licitum sit, quoscunque inuenerint in dictis locis, spoliare et disrobare omnibus eorum bonis mobilibus, ipseque prede et spolia, ac quecumque bona mobilia inventa in dictis locis ad ipsos Januenses pertineant pleno iure. Et homines inuenti in dictis locis, qui oriundi fuerint de locis ipsis, et

naturaliter subditi ipsius domini Regis, tanquam eius regnicole ipsi domino Regi remaneant; quamuis disrobati, vt supra. Reliqui vero omnes, tam Veneti quam stipendiarii alij, quicumque inuenti seu capti, vt supra, in dictis locis Dalmacie, sint et esse intelligantur et debeant carcerati et captiui ipsius domini Ducis et Communis Janue. Proprietas tamen et dominium dictorum locorum ad dictum dominum Regem remaneant et pertineant pleno iure, quemadmodum esse consueverunt ab antiquo. Si vero dicta loca, ciuitates et cetera, vt supra, acquisita per Januenses sine iuuamine dicti domini Regis, non essent in dicto Regno Dalmacie, etiam que per ipsum Ducem et Commune Veneciarum tenerentur; tunc ipsa loca cum omnibus bonis mobilibus inventis in eis ad Commune Janue pertineant pleno iure. Liceat tamen ipsis Januensibus se concordare cum eis vel cum dicto domino Rege pro eis, in opcione Amirati Januensis, qui tunc erit in obsidione seu captione locorum predictorum de pecunia soluenda a dictis obsessis vel captis eisdem Januensibus pro dictis bonis mobilibus seu predis, que spectare et pertinere debent dictis Januensibus, vt supra. Versa vice prefatus Magnificus dominus Dux et Consiliarii nomine dicti Communis Janue ex causa predictarum confederationis, unionis et lige promiserunt dicto domino Gregorio recipienti nomine ipsius domini Regis et ad cautelam mihi Notario officio publico stipulanti nomine et vice dicti domini Regis, quod ipsi dicto nomine habebunt, tenebunt et reputabunt pro inimicis capitalibus et cetera, vt supra, vt in primo.

Item voluerunt et consenserunt prefati dominus Dux et Consiliarii nomine dicti Communis, quod si iam dictus dominus Rex vel gentes sue aliquas ciuitates, terras, castra, oppida, munitiones vel fortalicia, tam in insulis maris, quam in portubus et partibus marittimis in Dalmatia, vel alias vbicumque in terris et tenutis dictorum Venetorum possent capere vel obtinere sine iuuamine dicti domini Ducis seu Communis Janue, seu exercitibus vel armatis eorum, bona mobilia et immobilia, preda et captiui eorundam sibi debeant remanere.

Item inter dictas partes nominibus quibus supra est ac-

tum et conuentum pro obseruatione predictorum, et vt predicta magis debitum sorciantur effectum: Quod cum ipse dominus Dux et Commune Janue intendent et voluerint transmictere in Gulfum Venetorum galeas seu ligna pro dampnificando ipsos, seu ipsorum loca invadendo; tunc ipse dominus Dux et Commune Janue teneantur, saluo semper iusto Dei maiori et gentium impedimento, certificare ipsum dominum Regem per nuncium proprium et litteras ipsius domini Ducis, quo tempore intendet habere galeas in dicto Gulfo. Quibus litteris receptis per ipsum dominum Regem, teneatur per se vel gentes suas invadere loca Venetorum, seu venire ad ipsorum offensionem per terram, illa videlicet, que erunt iuxta mare in dicto Regno Dalmatie. Et si contingat ante aduentum vel in aduentu ipsarum galearum, antequam applicuerint ad dicta loca Dalmatie in dicto Gulfo existentia, vel alias vbicumque in terris et tenutis Vonetorum dictas terras, ciuitates etcetera, vt supra, se dominio et gratie Regie, vt supra, offerre; prefatus dominus Rex de bonis mobilibus, immobilibus et habitatoribus ipsarum disponendi, prout sibi placuerit, liberam habeat facultatem. Verum si post aduentum ipsarum galearum, et ipsis presentibus in obsidione vel expugnatione ipsarum predictam oblacionem fieri contingeret; si gentem seu Amiratum Januensem pro Januensibus ibi existentem cum ipsis obsessis, ne spolientur vel robentur, ipse dominus Rex poterit concordare, hoc fiat. Alias autem eadem loca pro dimidia de bonis eorum mobilibus disrobandi et spoliandi ipsi Januenses liberam habeant facultatem; nec dominus Rex aliter illos se reddere volentes possit recipere, nisi salua dimidia predictarum predarum dictis Januensibus, vt supra.

Item est actum et conuentum inter dictas partes dictis nominibus, quod si per gentes Regias, et gentes ipsius domini Ducis seu Communis Jauue alique ciuitates et cetera, vt supra, capientur; bona mobilia, prede et captiui earumdem in duas partes diuidi debeant, quarum vnam habeant gentes ipsius domini Regis, aliam vero dimidiam habeat Amiratus Januensis cum gentibus dicti Communis; dominium vero et propietas ipsorum locorum in Dalmacia existencium semper

remanere debeant ipsi domino Regi, vt supra. Si vero caperentur dicto modo aliqua loca existentia extra Dalmatiam in tenutis Venetorum, dominium et propietas ipsorum locorum pro dimidia, vt alias, diuidantur.

Acto tamen inter dictas partes dictis nominibus in presenti compositione et qualibet parte ipsius, non obstantibus aliquibus supradictis; quod si intra festum Natiuitatis Domini proxime venturum ipse dominus Rex pacem seu treuguam faceret cum Venetis, de qua appareret per publicum instrumentum; quod presens confederatio, unio et liga, et omnia et singula supradicta pro cassis et irritis habeantur, et penitus pro non factis. Et eodem modo, si intra dictum tempus ipse dominus Dux et Commune Janue pacem seu treuguam faceret cum Venetis supradictis, de qua appareret per publicum documentum; quod presens confederatio, unio et liga, et omnia et singula supradicta pro cassis et irritis habeantur, et penitus pro non factis, vt supra.

Tenor autem supradicte littere Regie per omnia talis est etc.

Que omnia etc.

Et qui dominus Gregorius Nuncius et Procurator, vt supra, iuravit in animam dicti domini Regis etc.

Et dictus dominus Dux et Consiliarii in anima eorum et Communis Janue iuraverunt etc.

De quibus rogauerunt etc. Actum etc.

De Ciuitate Spaleti.

Die vigesima septima Octobris. Nota, quod Ambassator in recessu suo memoravit et requisivit Domino, quod in quantum exercitus noster iret ad recuperacionem Dalmacie, ut ordinatum est; non destruatur vel offendatur Ciuitas Spaleti, que est ibi; cum semper fuerit animo et disposicione obediens dicto domino Regi, et semper erit ad mandatum suum.

(Hiteles példánya a turini olasz kir. levéltárban. Mélt. báró Nyáry Albert közleménye.)

350.

Robert durazzoi herczeg párviadalra szóllitván ki I. Lajos magyar királyt; ennek folytán csaknem uj hábura támad Magyarország és Sicilia közt. 1352. körül.

»Sdegnato Roberto di Durazzo della prigione sofferta apresso Ludouico Re d' Ungaria; non considerando, che con esso tuttavia presi erano stati l' Imperatore di Constantinopoli e tutti li Regali; appena vista la libertà, disfidò a duello l' istesso Re Ungaro. Hor porse incentiuo di molta doglianza, et di non poco sdegno a quel Re tal' appello, e pensaua di nuouo assaltare il Regno per castigo di tanta temerità. Onde tanto il Re Ludovico (di Tarento), quanto l' imperatore suddetto, detestando tanta presuntione, si sforzarono di reprimere Roberto di Durazzo, e rivocarlo dall' appello (della sfida). E però si scusano col Re d' Ungaria, con Elisabetta regina, et con altri principi. Così ancora dichiara il nostro re Ludouico à Carlo Re di Romani; e col medesimo si scusa ancora l' Imperatore di Constantinopoli, del quale si protesta non auer tenuta notitia.«

(»Arcani Historici del Regno di Giovanna I. Regina di Napoli raccolletti da Nicola d' Alife suo cancelliero, e compilati da don Marcello Bonito cavalier di Calatrava« ; kézirat Amalfiban Camera Máté úr birtokában 213. l. Camera erre a következő megjegyzést tette : »E cosa singolare il vedere Giovanni II. re di Francia, mostrare stretta amicizia pel re d' Ungheria; frattanto applaudiva alle stravaganze di Roberto di Durazzo, che nel tempo stesso decorava del cingolo militare con una pensione annua di tremila lire di Francia.«)

351.

Cornaro Mark és Faliero Marin velenczei követeknek I. Lajos magyar király. 1353.

Littere Regis Hungarie Nobilibus viris dominis Marco Cornario et Marino Faletro Ambaxiatoribus Ducalis Dominii, missis ad ipsum dominum Regem.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie. Noverit Vestra

Nobilitas, ut ordinatio, que inter nos et dominum Ducem Veneciarum et eius Commune super facto Dalmacie fieri debeat; huic ordinacioni dominus Stephanus Dux totius Sclavonie, Crovacie seu Dalmacie, frater noster carissimus, consensum adhibere voluit. Ideo ordinacionem predictam effectui mancipare non potuimus, quia Dominium predicti Ducatus eius dominio perpetuo subiugabamus, sicut vobis et aliis notum est. Vnde vos ad nos pro negocio supradicto non est necesse amplius laborare : cum domino autem Duce Venceiarum et eius Commune guerram non incipiemus, nisi per tres septimanas integras ante sibi et eius Communi intimabimus per nuncium vel per litteras nostras. Datum Strigonii sexto kalendas Maii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű államkönyvből IV. köt. 2. r. 341. l.)

352.

VI. Incze pápa a litvánok és ruthenek ellen a ferenczrendiek hitterjesztő működését szabályozza. 1353.

Innocentius Episcopus etc. dilecto filio Nicolao de Crosna Vicario Ruscie, Ordinis Fratrum Minorum, salutem etc. Exhibita nobis pro parte tua et dilectorum filiorum Ordinis Fratrum Minorum commorantium in partibus scismaticorum Ruscie petitio continebat, quod numerus fratrum eiusdem Ordinis, qui ad conversionem scismaticorum, et conservationem et instructionem fidelium in dictis partibus morabantur, tam per nonnullorum ex eis obitum, quam recessum est multipliciter diminutus, in grande dispendium Catholice fidei, et turbationem ac periculum animarum fidelium predictorum; quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de Apostolice provisionis remedio dignaremur. Nos igitur, qui fidem ipsam ubique propogari cupimus, et prout possumus, procuramus; huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue triginta fratres Ordinis supradicti, vita et moribus commendabiles de quibuscunque nationibus, de quibus tibi videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficisci, absque licentia obtenta vel petita suorum Prelatorum, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas partes Ruscie, moraturos

in eis ad Dei et fidei servitium conducendi, non obstantibus regula et constitutionibus eiusdem Ordinis et aliis contrariis quibuscunque, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione XVI. kalendas Decembris Pontificatus nostri anno primo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

353.

VI. Incze pápa Erzsébet magyar anyakirálynét felkéri, hogy a német rendnek a litvánok és ruthenek elleni háborúját támogassa. 1353.

Innocentius Episcopus etc. carissime in Christo filie Elisabeth seniori Regine Vngarie illustri salutem etc. Grauis querela pro parte dilectorum filiorum ... Magistri et Fratrum Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Lithwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres et alios Christianos, bellum continuum prosequantur: tamen nonnulli subditi dilecti filii nobilis viri ... Ducis Mazouie, et subiecti tui inter terras eorundem Magistri et Fratrum, ac Litwanorum et Ruthenorum consistentes, apparatus et progressus eorundem Magistri et Fratrum ex vicinitate locorum sepius sentientes, illos eisdem Litwanis notificant, et vt se defendant, ac gentes dictorum Fratrum offendant et prepediant, reddunt premonitos et etiam premunitos; et e contra cum iidem Litwani contra ipsos Fratres et terras eorum procedunt hostiliter, eos amicabiliter recipiunt et pertractant, ipsis victualia et ducatum in locis inviis et solitudinibus exhibendo, in magnum detrimentum eorundem Magistri et Fratrum ac fidei Christiane; super quibus fuit nostre prouisionis remedium postulatum. Vnde nos dictum Ducem per litteras nostras rogamus et hortamur attente, nichilominus sibi per Apostolica scripta mandantes, quod dictos subditos suos, ut desistant a predictis et aliis fauoribus eisdem infidelibus impendendis, studeat pro reverentia Dei, sueque fidei, et honore

ipsius sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per Apostolicam Sedem super hoc aliter provideri. Quare deuotam Serenitatem Tuam, cui non dubitamus talia displicere, affectuose rogamus, quatenus tam circa Ducem, quam subditos suos prefatos super hiis pro dicta reverentia apponas remedium oportunum. Datum Avinione VIIII. kalendis Decembris Pontificatus nostri anno primo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

354.

A siciliai kormány Sancto Martialei Péternek, ki a magyaroktól birt várakat átvenni kiküldetett, ellátásáról gondoskodik. 1353.

De generali subventione pro gagiis Petri de Sancto Martiale Militis, Papalis Nuncii, destinati in Regnum Sicilie pro recuperatione terrarum et forteliciorum, que nomine Regis Vngarie tenebantur. 1353.

(Az olasz kir. Grande Archivioban Nápolyban, Archivio della Regia Zecca 44. köteg 3633. sz. a.)

355.

VI. Incze, pápa Dusan István szerbiai királynak az egyházi uniót tárgyazó ajánlatát fogadja el. 1353.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Stephano Regi Rascie illustri salutem etc. Dilecti filij nobiles viri Bosidarus Judex tuus Generalis, et Nestegus Zephalia, Serenus ac Damianus de Satara ciues Catarenses Apocrisarii Magnitudinis Tue, presentatis nobis per eos litteris tuis aurea tua bulla munitis, quibus Apocrisariorum ipsorum adhiberi fidem relatibus petiisti, et quas dictosque Apocrisarios consideratione tua et eorum insuper probitatis obtutu benigne recepimus, in nostra et fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie Cardinalium presentia constituti nobis et eisdem fratribus nostris prudenter et prouide ac reverenter admodum

retulerunt, sicut et ipse quoque tue littere continebant, qualiter tu, velut filius benedictionis et gratie, Apostolice benedictionis tibi transmitti munus deuotissime cupiebas, et deinde predictam Ecclesiam in Matrem, Magistram et Dominam Christianorum omnium, et Romanum Pontificem in vniuersalem Christianornm ipsorum patrem et dominum, ac verum Christi Vicarium, et Beati Petri Apostolorum Principis successorem tuo et eorum nomine recognouerunt, humiliter confessi fuerunt, et quod tu in sinceritate fidei et vnitate Ecclesie predictarum, ac obedientia nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perpetuis temporibus persisteres, et quod in potentia et dominio tuis, sicut quoque precepisse te scripseras, et ipsi Apocrisarii plenius retulerunt, nulla persona ecclesiastica vel mundana Latinos vel alios fideles eiusdem Ecclesie rebaptizare seu reconfirmare aut irreiterabile sacramentum ipsius Ecclesie iterare presumat; et eodem nomine promiserunt, et subsequentes exposuerunt, quod omnes ecclesias in eisdem tuis potentia et dominio constitutas fidelibus eiusdem Ecclesie in ipsis canonice institutis, qui eis per inuasores et occupatores earum contra iustitiam destituti fuerant, integre, realiter et cum effectu restitui districte preceperas, sex Monasteriis tunc expressis dumtaxat exceptis, que restitui tunc Abbatibus eorum absque periculo non posse descripseras, et que iidem Apocrisarii restituerunt nobis dicto nomine libere, et te facturum cum effectu restitui ipsis eorum Abbatibus promiserunt; et subiunxerunt, quomodo per edictum publicum expresse mandaveras, quod nullus in eisdem dominio et potentia tuis fidelibus Christianis commorantibus aliquam iniuriam seu violentiam irrogare, aut ipsos persequi seu molestare quoquomodo presumeret; quodque omnes indifferenter Episcopi, Abbates, Pesbiteri et Clerici, quilibet alii tenentes ritum Ecclesie memorate, ubicunque et quomodocunque detenti in potentia et dominio ipsis, restituerentur debite libertati, et ad Ecclesias, Monastoria et beneficia sua quelibet reverterentur, et Diuina officia celebrarent, ac sacramenta ecclesiastica ministrarent Christi fidelibus secundum morem ipsius Ecclesie libere ac sine molestia et perturbatione quacunque; et quod tu eos, qui secundum ritum Ecclesie predicte renati

fonte baptismatis fuerunt, et vel errore devii, vel vi metuve compulsi sacramentum baptismatis secundum consuetudinem seu verius abusum et abominationem aliam dampnabiliter iterarant, debite libertati reddideras, eosque devota mente ac pio studio petieras reaggregari vnitati Ecclesie ac fidelium eorumdem, hec omnia huiusmodi tuo et eorum nomine in tuam et eorum etiam animas tactis Sacrosanctis Evangeliis roborantes; et deinde petierunt simpliciter et humiliter supplicarunt, ut ad consummationsm votiuam tam salutaris et Deo accepti negotii aliquos viros plenos timore Domini, ac zelum ipsius legis habentes, ad te dictumque tuum Regnum seu terras transmittere dignaremur. Quibus omnibus et multis aliis contentis in eisdem litteris tuis, ac per Apocrisarios predictos eleganter expositis, que puritatem fidei et zelum tue devotionis ad Deum patenter insinuant, letanter auditis, magnificavit anima nostra Dominum, et in Deo salutari nostro noster exultavit spiritus, dictorumque turba fratrum in iubilum et laudem Domini vehementer erupit. Porro quia creatoris redemptorisque tui, cuius perfecta sunt opera, a fructibus utilis, seruus cognosceris et minister; oportet, ut eius, cui ministras et seruis, in salutari hoc negotio imiteris pro viribus actiones, ut que sunt, prestante ipso, principio inchoata felici, feliciorem eo fauente perducantur ad finem, et nos etiam cito, prestante Deo, cuius nogotium agitur, mittemus illuc aliquos viros probos, timentes Deum, et in lege eius plenius eruditos, qui huius operis laudabiliter inchoati promotioni diligentiam sollicite adhibentes, in virtute Domini et tui fauoris presidio imperfecta perficient, et perfecta queque mansura stabilius roborabunt. Datum apud Villam Nouam Auinionensis Diocesis IIII. kalendas Septembris Pontificatus nostri anno secundo.

(VI. Incze pápa registáiból; v. ö. Fajér Cod. Dibl. IX. köt. 2. r. 328. l.)

356.

VI. Incze pápa a tatárok és litvánok ellen Magyarországban is keresztes hadat hirdettet. 1354.

Innocentius Episcopus etc. venerabilibus fratribus .... Archiepiscopo Gneznensi, et ... Cracouiensi ac ... Wratislauiensi Episcopis salutem etc. Apostolice solicitudinis zelus stb. Sane nuper carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie illustris per litteras et nuncios nostro Apostolatui patefecit, quod gentes perfide Tartarorum et Litwanorum in tenebris ambulantes, carentesque lumine Catholice veritatis, prophana cogitatione putantes, pro eo quod Regnum Polonie, quod a fidelibus habitatur, est in ultimis Christianorum finibus constitutum; propterea ad impugnationem Regni prefati eisdem Tartaris et Litwanis absque Catholicorum Principum et aliorum fidelium ducatu iuxta prophanos conceptus ipsorum facilior via patet, dictum Regnum et Christianos habitatores ipsius iam per tres annos elapsos invaserunt, et invadere ac impugnare continue moliuntur stb.; propter quod prefatus Rex, qui ex hoc per dictum triennium, et presertim anno proxime preterito, tam in gentibus suis, ex quibus prohdolor nunnullos seua infidelium eorundem impietas peremit gladio, et alios in miseram seruitutem abduxit, quam in thesauro et aliis bonis suis inextimabilia dampna sustinuit, attendens stb. nostrum in hac parte, promptum fidelium subsidium humiliter implorauit. Nos igitur stb. fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quemlibet vestrum per vos et alias personas ecclesiasticas, seculares et regulares Ordinum quorumcunque, quas ydoneas esse noueritis, in eodem Polonie de Vngarie et Boemie Regnis contra prefatas Tartarorum et Litvanorum gentes, et quosque alios infideles invadentes seu offendentes predictum Regem et Regnum Polonie et habitatores ipsius, proponatis, iuxta datam vobis a Deo prudentiam, verbum crucis, et vniuersale signum eius tam eiusdem Regis, quam aliorum incolarum fidelium Regnorum predictorum illam deuote suscipere volentium humeris assignetis; eosdem nostris exortationibus et instantiis inducentes, ut pre-

dictum negotium contra Tartaros et Litwanos et alios infideles prefatos ferventer assumant et viriliter prosequantur stb. Datum Avinione IV. idus Nouembris Pontificatus nostri anno secundo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

357.

VI. Incze pápa a szerb egyház egyesitésének ügyét I. Lajos magyar királynak támogatásába ajánlja. 1354.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum venerabiles fratres nostros Bartholomeum Tragurensem et Petrum Pactensem Episcopos Apostolice Sedis Nuncios pro vniendis et aggregandis vnitati Ecclesie, Matris tue, auctore Deo, Rege Rascie illustri et populis subditis ipsi Regi, ad partes illas presencialiter destinemus: Serenitatem Tuam attente requirimus et mandamus, quatenus eisdem Nunciis, quibus super premissis aliqua tibi exponenda oretenus duximus iniungenda in hiis, que tibi pro parte nostra retulerint, adhibens plenam fidem, eis in promotione et consummatione tam salutaris et Deo grati negotii pro Diuine Maiestatis reverentia, tue consideratione salutis et nostre interventionis obtutu, de quo specialiter confidimus et speramus, prebeas auxilium, consilium et fauorem. Datum Avinione X. kalendas Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

358.

VI. Incze pápa Dusan István szerbiai királyra bizzá a törökök elleni keresztyén hadak főparancsnokságát. 1354.

Innocentius Episcopus etc. Stephano Regi Rascie illustri stb. Per dilectos filios nobiles viros Bossidarium Judicem Generalem stb. (mint 355. sz. alatt) devota instantia supplicasti, ut tibi Apostolice benedictionis munus per Apostolicas litteras mit-

tere, et nichilominus destinare ad Regnum ipsum aliquos viros probos, timentes Deum, et in lege ipsius plenius eruditos, qui venerabilis fratris nostri Bartholomei Episcopi Traguriensis, dudum in partibus illis Apostolice Sedis Nuncii, feliciter, fauente Domino, inchoatis operibus prosecutionis adicerent studium; per quod ad optatum perducerentur exitum, dignaremur. Idemque Traguriensis Episcopus, cuius relatibus adhiberi fidem per easdem litteras petiisti, nobis exposuit, quod tu populo Christiano partium Orientis super afflictionibus et persecutionibus duris, quibus eos Turchorum furor immanis indesinenter angariat, viscera pietatis Regie ad compassionem aperiens, et ad opprobia exprobrantium nomini Christiano tollenda, et auferendum perfidam gentem credentium de finibus accendens animi tui zelum, et excitans potentiam Regie dignitatis: desiderabas ab eadem Ecclesia matre tua contra Turchos ipsos Capitaneus ordinari, vt ipsius Ecclesie spirituali adiutus auxilio et directus consilio, in virtute Altissimi, qui piis fauet libenter operibus, gregem Domini ipsum, videlicet populum, de luporum eorundem, scilicet Turchorum, faucibus potenter erueres, et subactum iugo miserabilis servitutis Christianam absolueres libertatem. Quibus omnibus intellectis stb. (eidem Episcopo Traguriensi) venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Pactensem stb. dedimus socium stb. Quapropter, Serenitatem Tuam monemus stb. quatenus eosdem Episcopos pro nostra et Apostolice Sedis reverentia benigne recipias stb. in bono constanter opere perseverans, ad ipsius feliciter inchoati negotii votiuam consummationem sic velut diligens operator solerter intendas, quod stb. ipse retributor omnium bonorum Deus, cuius est idem negotium proprie proprium, et cui nunquam sine remuneratione seruitur, eiusdem Regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, et sceptra confirmet, ac tandem te subiectosque tibi populos Celestis Regni faciat coheredes, Nosque non solum in huiusmodi Capitaneatus officio, sed in quibuscunque aliis honestis et licitis vota tua, quantum cum Deo poterimus, Apostolicis fauoribus prosequamur. Datum Avinione IX. kalendas Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

359.

Magyar zsoldosok Siciliában királyi hadi szolgálatban 1354 körül.

»Erano rimasti gl' Ungari in Italia dopo la ritirata del Re d' Ungaria nel suo Regno. E questi andauano a seruire chi li assaldaua; pregono li Regi il Re d' Ungaria, che si fosse servito d' ordinare a detti Ungari suoi vassalli, che non avessero adherito ad Annichino di Boccardo (egy condottiero), nè ad altri contro il loro Regno, anzi che hauessero difeso detto Regno. E quel Re mandò in risposta Giovanni Giudice di Zagabria ad ordinare a quell' Ungari, che non hauessero facta hostilità al Regno; et essendosi quello conferito in molti luoghi di questo Regno da loro invasi, ne' quali diuisamente dimoravano, li haueua ordinato, che fussero usciti da quello. Et hauendoli trovati differenti di opinione, et ueduta dilatare l' esecutione, risolsero i nostri Regi di assoldare li medesimi Ungari inuasori del Regno sotto le loro bandiere. Si portarono quelli valorosi a pro de' Regi, ma per vie più rincorarli, et inferuorarli à lor seruitij, supplicorno il Re d' Ungaria, che inferuorasse all' osseruanza delle conventioni giurate fra essi, et con queste specifiche parole lo pregano: »Rogamus autem Regiam Excellentiam Vestram fraternam, quatenus velitis Comiti Nicolao et notabilibus corporalibus, aliisque vniuersis et singulis Ungaris fidelibus vestris, quod more solito de bono in melius insistere debeant nostris servitiis, observando pacta hinc inde promissa et jurata« — — — stb.

(»Arcani Historici del Regno di Giovanna I. Regina di Napoli« stb. kézirat Amalfiban Camera Maté úr birtokában 260. lev.)

360.

A velenczei köztársaság dalmatiai gróffjainak jelentése a dogehez. 1355.

A) Illustri et excelso Domino suo, domino Johanni Gradonico. stb.

Serenissime Domine mi. Hodie per meas litteras vestre

scripsi Magnificencie. stb. Banus vero Bosinensis habuit castra, que fuerunt olim Comitis Gregorii olim Voyvode, ac etiam habuit olim domine Chatarine, quod tenebatur per Novchum Ciprianis, et hoc fuit per concordium. Dictus Banus reversus est in Donnam, ubi erat mater eius cum exercitu suo, et ibi tractatur concordium inter dictum Banum et Comitem Johannem, quod concordium tractatur per Vicebanum Temini, et creditur, quod fiet. Comitissa Clipsii ex infirmitate, qua istis diebus fuit agravata, Dei gracia liberata est, et retromisit illos duos nobiles, quos eidem transmiseramus; per quos mihi misit dicendo, quod mater Bani Bosinensis, soror olim Comitis Mladini, quod omni modo intendit venire Clipsiam, pro essendo in coloquio cum eadem, cuins adventus causam dicit esse, aliqua eidem comissa per Regem referenda eidem Comitisse, de quibus ipsa Comitissa hostendit videre. Data die XXV. Maii.

Petrus Gradonico de vestro mandato
Comes Tragurii.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

B) Serenissimo Domino suo domino Johanni Grado nico. stb. Serenissime Domine mi. Per ea, que ad presens valeo presentire. stb. Nova autem Sclavonie et Vngarie sunt hec, videlicet quod creditur, quod pax erit inter dominum Imperatorem Sclavonie et Dominum Regem Vngarie; et ut valeam presentire de intencione domini Regis predicti, continue teneo cursores in partibus illis, et in brevi expecto scire, quod fatus dominus Rex deliberaverit facere de exercitu suo, et quo accedere intendit; et habito, hec Vestre Serenitati illico intimare curabo. Data die XXVIII. mensis Madii.

Nicolaus Barbadico de vestro mandato Comes Ragusii.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

C) Serenissimo Domino suo domino Johanni Gradonico. stb. Serenissime domine noster. Hodie a Comite vestro Ragusii recepimus litteram unam datam die XXIV. mensis Maii, in quibus continebatur, se recepisse litteras de partibus

Hungarie factas die ... mensis Maii, non exprimebat diem, continentes, quod firmiter erit pax inter dominum Regem Hungarie et dominum Imperatorem Sclavonie; et quod de intentione dicti domini Regis sciri non potest adhuc, sed creditur, quod, firmata pace, ipse ad terras maritimas descendet; quod qualis erit ipsius intencio, credit scire in brevi, et quicquid habebit, nobis notificabit. stb. Datum Jadre II. Junii.

Vester Petrus Baduario miles de vestro mandato Comes et Capitaneus Jadre et eius Consilium.

(Eredetie u. o.)

D) Serenissimo et Excellentissimo Domino suo domino Johanni Gradonico, stb. Serenissime domine mi, Dominationi vestre notifico per presentes, quod Comes Gregorius Corbavie a Rege Hungarie noviter est reversus cum uno filiorum suorum, alter vero filius suus propter infirmitatem uxoris sue in Hungaria remansit, quamquam etiam ipse coctidie expectetur. Sentiens vero de adventu suo, et optans scire nova de partibus illis, misi litteras meas Comiti supradicto, ipsum rogando, ut, si quod notabile novum haberet, illud mihi faceret manifestum. Qui mihi rescripsit, esse novum, Regem Hungarie disposuisse et ordinasse personaliter descendere ad partes istas, sed ipse credit, quod dum sentiet nova de pace inter vos et Januenses facta, propositum commutabit. Datum Jadre, die XX. Julii.

Vester Petrus Baduario miles, de vestro mandato Comes et Capitaneus Jadre.

(Eredetie u. o.)

361.

VI. Incze pápának válasza Erzsébet magyar anyakirályné és fia I. Lajos király leveleire, III. Kazimir lengyel király házassági differentiai tárgyában. 1355.

Innocentius Episcopus etc. carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Vngarie illustri salutem etc. Litteras

Tue Serenitatis, et carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Vngarie illustris nati tui, in fauorem . . . illustris Regis Polonie destinatas, recepimus more patris. Et quia idem Rex Vngarie plus petiit, quam Tua Serenitas: sibi plenarie respondemus, et eum paterne instruimus, qualiter a similibus petitionibus abstinere debeat in futurum; prout in tenore litterarum, quas sibi mittimus interclusas presentibus, per quem reputamus sufficienter fore Eidem Serenitati responsum, videbis plenius contineri; Tuamque devotionem ex eo, quod prudentius et moderatius supplicasti, non petendo dispensationem, que nullatenus debet peti, dignam in Domino commendamus. Quidquid autem pro conservatione honoris dicti Regis Polonie cum honore nostro et conscientie saluatione poterimus, consideratione tue deuotionis et eiusdem tui nati, libentissime faciemus; saluti tamen et honori eiusdem Regis Polonie credimus expedire, quod superinductam dimittat, ad quod eum debes oportune et importune iugiter exhortari. Super quibus venerabili fratri nostro . . . . Episcopo Nitriensi per nos plenius informato velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione V. idus Julii Pontificatus nostri anno tertio.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

262.

VI. Incze pápa I. Lajos magyar királyt felkéri, hogy ezen ügyben közbenjáró legyen. 1355.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Vellemus, carissime fili, tibi, quem gerimus in visceribus caritatis, semper placita reserare: sed occurrentibus morbis pernitiosis oportet interdum ad tollendum maiorem dolorem atque periculum adhiberi amaritudinem discipline. Nuper siquidem ad nostri Apostolatus auditum fama publica referente peruenit, quod karissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie illustris, auunculus tuus, qui dudum carissimam in Christo

filiam nostram Alheydim Reginam Polonie illustrem, consortem suam, contra Regie honestatis debitum a suo reiecit consortio pro libito voluntatis, super quo ipsa Regina contra Regem eundem in Romana Curia iustitiam suam prosequitur, mala malis accumulans, et inverecunde obnubilans Serenitatis Regie claritatem, nuper asserendo pro se in huiusmodi causa in dicta Curia diffinitiuam fore sententiam promulgatam, et certam dispensationem obtinuisse ab Apostolica Sede, quod cum alia contrahere posset, eciam in gradu prohibito, quamuis premissa omni careant veritate, cum quadam alia etiam consanguinea sua matrimonium de facto contraxit, eamque tamquam suam uxorem ad nefarios admisit amplexus, in dampnationem anime sue, plurimorum scandalum, suorum consanguineorum et deuotorum tristitiam, ac grande obprobrium Regie dignitatis. Propter quod nos, qui salutem et honorem prefati Regis paterna caritate zelamus, tam horrendum facinus, quod nisi celeriter emendetur, dampnabilis exempli perniciem in suo Regno et nonnullis aliis partibus populi Christiani diffundet, tolerare sub patientia, salva conscientia, nequeuntes; dictum Regem per nostras litteras, quas cum presentibus mittimus, monemus et hortamur in Domino, nichilominus sibi per Apostolica scripta precipiendo mandantes, quatenus eisdem suis saluti et honori, quos negligit, consulens incunctanter, eandem superinductam ex toto dimittere, prefatamque Alheydim, precedentibus securitatibus debitis, ad suam cohabitationem recipere, eamque tractare maritali affectione et congruis honoribus non postponat. Alioquin sciat nos commisisse dilecto filio nostro Egidio tituli Sancti Martini in Montibus Presbitero Cardinali, coram quo dicta causa pendet, ut super huiusmodi nouo dicti Regis excessu contra ipsum procedat, prout justitia suadebit. Quare Serenitatem Tuam, quam non dubitamus de tanta culpa Regis eiusdem graui doloris aculeo sauciari, et tantam inhonestatem etiam execrari, rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Regen efficaciter moneas et inducas, ut tam grave scelus statim studeat emendare, prefatam superinductam, quam deceptam, et hucusque esse credimus sine culpa, totaliter dimittendo, memoratamque Alheydim recipiendo ac tractando maritali affectu, et alias honorifice, sicut

status exigit Reginalis. Datum Avinione III. kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Incze pápa registáiból.)

363.

A velenczei köztársaságnak hatarozatai Clissa és Scardona várak tárgyában. 1355.

Anno MCCCLV. die XIII. Octubris. Quod respondeatur Provisoribus nostris existentibus in partibus Sclavonie, quod receptis et intellectis licteris suis datis ultimo Septembris, eisdem rescribimus, quod solliciti et diligentes existant, sicut firmiter tenemus, quod sunt, ad instandum et procurandum de possendo obtinere et perficere intencionem nostram in facto castrorum Clissii et Scardone, scilicet de habendo ambo ipsa castra, si ambo haberi poterunt; vel alterum ipsorum castrorum, quando ambo haberi non possent per modum eis commissum. Verum quia scripsimus, quod, sicut per aliquos fertur, Comitissa contentabitur forte de dando Clissiam; respondemus, quod in casu, quo dicta Comitissa nollet tradere ambo castra, sed solum unum ipsorum castrorum, et contentatur pocius dare Clissiam quam Scardonam, sumus contenti, quod tractent cum ipsa pro Clissia per illum modum qui eis melior apparebit, possendo promittere finaliter, quando pro minori fieri non posset, pro Clissia usque ad libras L millia parvorum cum illis pactis et condicionibus, quas promittere poterant pro Scardona iuxta requisiciones olim factas per dictam dominam, procurando nichilominus illa avantagia et melioramenta, que pro nobis poterunt obtineri, sicut speramus de ipsis, et sollicitando ducere rem ad effectum et complementum pro omni respectu quamcicius fieri potest. Et ne forte per aliquem manifestaretur aliquid, quod posset turbare et impedire hunc nostrum tractatum; mandamus eis quod diligenter precaveant de revellando aliquid alicui de hac intencione nostra predicta, sed solum cum Comitibus et Rectoribus nostris illarum terrarum nostrarum conferant et se consulant super factis huiusmodi, si eis videbitur, scribendo

nobis solicite de die in diem, quicquid fecerint et habuerint in premissis.

In casu vero, quo non possent perficere seu obtinere intencionem nostram predictam, vel pro eo quod Comitissa faceret alias maiores peticiones de novo, vel pro eo quod forte attenderet ad tractatum cum Rege, trahant de intencione sua quam plus poterunt, et ducant eam in longum quam commodius poterunt, dando ei spem de nobis, et rescribant, nostrum expectando mandatum.

Die ultimo Octubris. Capta: Si videbitur vobis, quod simus in tali casu guerre cum Rege Hungarie, quod pro factis Sclavonie et aliis, que habuimus, habemus et haberemus facere cum eo, possint expendi de denariis montis, sicut videbitur huic consilio.

Capta: Quod respondeatur Provisoribus nostris, qui sunt in partibus Sclavonie, quod recepimus litteras suas datas die XIII. et XVI. mensis Octubris; quibus et in ipsis contentis cum omni diligencia intellectis, eorum providenciam et sollicitudinem commendantes rescribimus: Quod in casu, quo nondum Rex Raxie de facto habuisset vel haberet castra Comitisse, quam cicius esse potest stb. Et si viderent, quod differentia remaneret in facto pecunie, damus eis finaliter libertatem, ut nostra intencio valeat obtineri, possendi promittere pro ambobus castris usque ad quantitatem librarum CXX mille parvorum; et si ambo forte dare noluerint, sed tantum unum, finaliter possint promittere pro Clipsia usque ad librarum LXX mille, et pro Scardona usque ad libras XL mille.

Capta: In casu vero, quo tractatus predicte Comitisse cum Rege predicto fratre suo completus esset ita, quod haberet vel habiturus esset procul dubio loca iam dicta, et hoc turbari vel impedire non posset modo ullo, ex nunc captum sit; quod unus ipsorum Provisorum nostrorum, videlicet ille qui approbatis omnibus tribus in isto Consilio, habuerit plures balottas, habendo maiorem partem Consilii, ire debeat ad ipsum Regem ad procurandum, tractandum et operandum cum illis verbis, que Dominacioni conveniencia videbuntur, quod ipse Rex contentetur et velit, quod habeamus loca et castra

predicta, vel quod saltem sibi placeat ea sustinere ita et taliter, quod ad alienas manus non perveniant ullo modo. Et ut Rex predictus inducatur ad contentandum de dando nobis castra predicta, habeat dictus Provisor in omnibus et per omnia illam libertatem possendi promittere totam illam pecunie quantitatem, quam habent in possendo permittere Comitisse.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVII. kötetéből. 82. és 87. ll.)

364.

VI. Incze pápa I. Lajos magyar királyt buzdítja, hogy a litvánokat az egyházi uniónak megnyerni igyekezzék. 1355.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum Tua deuota Serenitas ad ampliationem Catholice fidei libenter intendat, nosque experiri optemus conversionem Lituanorum infidelium, tuo Regno Polonie (igy) vicinorum, de quo nobis spes aliqualis est data; et propterea Ducibus eorundem Lituanorum scribamus secundum tenorem presentibus interclusum: Serenitatem Eandem, quam in hac parte credimus velle ac posse vtiliter operari, confidenter requirimus attenteque rogamus, quatenus ob reverentiam Dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute, nostrorumque adiectione precaminum, velis in hoc viis et modis, quibus poteris, sollicitis studiis laborare, nosque informare de hiis, que circa id credis esse per Sedem Apostolicam facienda. Super quo dilecto filio Dobrogostio Preposito Ecclesie Cracouiensis Decretorum Doctori, latori presentium, digneris fidem indubiam adhibere. Datum Avinione X. kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno III.

In eodem modo carissime in Christo filie Elisabeth Regine Vngarie illustri.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

365.

VI. Incze pápa ugyanazon tárgyban László Oppelni herczegnek. 1355.

Innocentius Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Wladislao Duci Opuliensi salutem etc. Cum tua nobilitas ad ampliationem Catholice fidei libenter intendere debeat, nosque experiri optemus conversionem Lituanorum infidelium, de qua nobis spes aliqualis est data; et propterea Ducibus eorundem Lituanorum scribamus secundum tenorem presentibus interclusum: Nobilitatem eandem, quam in hac parte credimus velle ac posse utiliter operari; quatenus ob reuerentiam Dei ac amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute, nostrorumque adiectione precaminum velis in hoc viis et modis, quibus poteris, sollicite laborare, nosque informare de hiis, que circa id credis esse per Sedem Apostolicam facienda. stb. Datum Avinione X. kalendas Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

(VI. Incze pápa regestaiból.)

366.

A velenczei köztársaság a békesség létesitése végett titkos megbízottat küld I. Lajos magyar királyhoz. 1355.

Anno MCCCLV. indictione IX. die XXI. Novembris. Capta: Cum pro statu nostro faciat et maxime presenti tempore, in quo future videntur hee novitates in partibus Sclavonie, exquirere et scrutari omnem modum et viam possibilem, quibus valeamus cum domino Rege Hungarie ad pacem et concordiam pervenire; et quia Comes noster Tragurii inter cetera scripsit nobis ea, que sibi fuere scripta per Episcopum Tragurinum, videlicet quod dictus Rex presente ipso Episcopo ore suo proprio dixerat, quod placeret eidem habere bonam pacem nobiscum, et quod, si vellemus ad eum nostros Ambaxatores transmittere, ipse reciperet et acceptaret libenter eos cum bono tractatu pacis etc., quod tam pro eo, quod habere

pacem cum ipso pro nostro statu faceret, ut ·lictum, qu ... etiam ut ex parte nostra non deficiat; o·· ··atur de mittendo secrete unam personam fidelem.. sufficiens videatur, et que per illam viam, vadat ad ipsum Regem, et propositis il... buntur Dominio committenda, retrahat ve· ..a per Episcopum supradictum, que scripsit fuisse p·olata ex ore proprio Sue Regie Maiestatis; et quomodo intellectis ipsis verbis nos affectuosissime cupientes habere pu ..cordiam atque pacem et amorem perpetu··m cum eius Regali Excellencia, prout semper habuimus cum Serenissimis p ··oribus suis, providimus mittere ad certificandum nos, i de beneplacito et voluntate Sue predicte Maiestatis pr... dit, t nostri Ambaxatores ad Eius Sublimitatis presencia··· destinentur, eos mittere offerimus nos dispositos et paratos, . pax et vera concordia atque perfecta sinceritas, ad quan.. ·en-dam semper singulare desiderium in nobis fuit Deo te... ··. ctari et perfici valeat Altissimo largiente. Et hiis dictis dictus Nuncius responsionem eiusdem Regis, et si co bitur, quod Ambaxatores nostri mittantur, procuret c licteras securitatis eiusdem Regis pro securo itu et ..u eorumdem. Si vero Rex non contentaretur, ut mittatur ambaxata, dictus Nuncius cum omni informacione, qu a-bere poterit, Venecias revertatur. Committatur etiam ituro, quod se presentet domine Regine matri dicti Reg exponat illa verba, que videbuntur conveniencia Dominio mittenda.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 102. lev.)

367.

A velenczei kormánytanács dalmatiai biztosai közül kettőt hív vizza. 1355.

Anno MCCCLV. die VII. Decembris. Capta: Quod postquam negotium istorum castrorum Clissii et Scardone, pro quo negotio erat necessaria presentia aliorum duorum nostrorum Provisorum Sclavonie, finem recepit; vadit pars

quod alii d... Provisores nostri licencientur, quod possint reverti ... cum eorum mora in dictis partibus non sit ...

... velenczei államkönyvből XXVII. köt. 105. lev.

368.

VI. In... felkéri I. Lajos magyar királyt, hogy belső ellenségei ellen Olaszhonban az egyháznak segitségére légyen ... 1355.

...nnocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Dilectum filium nostrum Egidium tituli Sancti Clementis Presbiterum Cardinalem, Apostolice Sedis Legatum, cum magno gentis armigere numero duximus destinandum, qui stb. plures Civitates ...a, Oppida, villas et terras (terras videlicet Romane im...ite subiectas Ecclesie) a detentoribus eorum potenter ...ns, et reddens afflictis eorum populis libertatam. Verum... quorumdam ex occupantibus ipsis, videlicet Francisci ... Ordelaffis Forliviensis, ac Johannis et Guillermi de Man...s Faventinorum militum, sententialiter de heresi dampna...m, sic absorbuit iniquitas intellectum, sic pravitas iudicium ...nis obtusit, sic peccatricia corda obstinatio induravit, ...ue insania consilia infatuavit eorum, quod licet nos more ...ris per Legatum eundem et Apostolicas litteras salutaribus monitis ipsos de tenebris eternis, et ad lucem salutis reducere conaremur; ipsi tamen stb. Civitates et alia loca vel castra ipsius Ecclesie detinuerunt, et dampnabiliter detinent occupata stb. Propter quod assumpte prosecutioni huiusmodi favorabilius intendimus adicere operam, ut hereticis ipsis Deo propitio manu ipsius Ecclesie omnino contritis, reddatur pax et quies eisdem fidelibus, nec in eos infectionis quippiam labis huiusmodi derivetur. In cuius tam salutaris et Deo accepti negotii directione felici potentiam tuam nobis invenire credentes, Serenitatem Tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadentes,

quatenus hec infra Catholici tui pectoris claustra revolvens, ad tollenda opprobria eiusdem Ecclesie ac iniurias propulsandas illius, zelum Regie devotionis accendas, porrigas auxilii dexteram, presidia favoris extendas, et qui pro tui reverentia creatoris et dilatacione fidei Christiane in remotis paganos persequeris infideles (értetnek a tatárok és litvánok); hos pullos vipereos, immo ipsis pestilentiores periculosioresque viperis, in utero grassari eiusdem Ecclesie non permittas. Ignis enim, qui facile vitatur positus longius, periculosius sustinetur in sinu. Super quo, ut nostras et ipsius Ecclesie necessitates plenius sentias, sicque accuratius et cautius oportuna promoveas, et impedias nocitura; venerabilem fratrem nostrum Boniohannem Episcopum Firmanum, Apostolice Sedis Nuncium, latorem presentium, ad Magnitudinem Tuam presentialiter destinamus, precibus nostris huiusmodi adiungentes, ut ea, que idem Episcopus tibi super hiis pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque pro Dei et ipsius Apostolorum Principis reverentia, ac nostre intercessionis obtutu ad effectum favorabilis et sperate consummacionis adducas. Datum Avinione VI. idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertio

(VI. Incze pápa regestáiból,)

369.

A dalmatiai biztosok jelentése a velenczei dogéhez. 1355.

Excellentissime Domine noster. Noverit Vestra Excellentia, quod die nono huius presentis mensis recepimus quandam litteram a Comite Paulo, continentem, quod illi de Scardona non contentantur stare sub dominio domini Imperatoris Raxie, sicut per litteras in presenti interclusas videre poteritis. Scivimus eciam, quod in Tinino sit maxima congregatio gencium, sed ad quid nescimus. Ex quibus novis visum fuit nobis, quod unus nostrum iret Sibenicum, et cum Comite Sibenici notificare hec omnia Castellano Scardonensi eo modo et via, ut ei melius videbitur, et vadit illuc Mapheus Contareno. Ego vero Dominicus Michael remaneo in Spalato. Rocha autem castri Clisscii, prout vobis aliter scripsimus, tenetur

per dominum Palmanum nomine domini Imperatoris Raxie, suburbium autem cum porta superiore et cum saxo, quod vocatur Oprack, tenet dominus Banus nomine Regis Hungarie. Aliqui ex istis partibus locuti fuerunt nobiscum asserentes, quod si vellemus aliquam pecunie quantitatem concedere domino Nicolao Bano predicto, quod ipse dimitteret dicto domino Palmano totum, quod tenet de Clisscio, ut ipse Palmanus primitus tenebat, et ipse Banus reverteretur ad suas partes, quas tenet pro domino Rege. Quibus verbis responsum fecimus, quod ipsi deberent persentire ab ipso domino Bano de sua intentione, et quod exprimant, quantam pecunie quantitatem vellet, et notificet nobis; quos intendemus ducere in prolongationem verborum, donec a vobis super hoc habebimus responsivam. Nichilominus idem dominus Banus fortificat se in dicto saxo Clisscii, quantum potest, tam de hedeficio muri quam lignaminis. Omnia autem hec nova tam dicto domino Imperatori Raxie quam etiam domino Jacobo Delfino per plures manus nota fecimus stb. Data Spaleti die XII. Decembris.

Dominicus Michael, Mapheus Contarenus,
de vestro mandato Provisores ad partes
Sclavonie.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

370.

A velenczei köztársaság és Carrarai Ferencz paduai fejedelem. 1355.

Anno MCCCLV. die XXII. Decembris. Capta: Quod respondeatur domino Padue super verbis dictis pro parte sua per dominum Johannem de Peraga, regratiando ei, sicut convenit, de eo quod predicta voluit participare nobiscum. Et quantum est de hiis, que sibi dixit Coradus Lupo super contrahenda parentela cum Rege Hungarie; sumus certi, quod sibi responderit et respondebit, sicut conveniet honori suo et nostro. Verum si ei videretur, crederemus omne bonum, quia in omni responsione, quam sibi facit, subiungit, quod licet

optaverit et optet amorem et benivolentiam domini Regis Hungarie, ipsum tamen optavit et optat semper cum honore et bono Dominii nostri Veneciarum, cuius statum reputat suum, et reputaret in omni casu suum proprium; sicut e converso Dominium Veneciarum fecit et faciet erga ipsum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 122. lev.)

371.

Scardona vára a velenczei köztársaság birtokában. 1356.

A) Capitula et petitiones Comitisse Clisse pro facto Scardone facte nobili viro Mapheo Aymo Procuratori in partibus Sclavonie.

Primo: Quod dando Castrum Scardone cum roca et aliis fortaliciis suis libere in manibus Dominationis Ducalis usque ad terminum decem annorum, dentur ei libre XXX millia parvorum, videlicet medietas in manus suas, et alia medietas remaneat apud Dominationem Ducalem ad utilitatem ipsius Domine et filii eo modo, quo deposita est pecunia Comitis Johannis, cum conditione, quod in fine dictorum decem annorum Dominatio teneatur eidem seu filio restituere dictum castrum cum juribus suis, restituentibus eis dictam quantitatem pecunie. Si vero casus accideret, quod absit, quod ante complementum termini dicti decem annorum Comes Mladinus ejus filius decederet, et similiter post mortem filii accideret eam mori ante perfectionem dicti termini; Dominatio teneatur restituere dictum castrum illi vel illis, quibus ipsa per testamentum suum ordinaverit, restituentibus eis pecuniam supradictam. Et quod dicta domina habeat omnes eius redditus de Scardona libere et expedite. Verum de datiis et gabellis spectantibus Scardone et Comitatui, medietas sit et esse debeat Dominationis Ducalis et alia medictas dicte domine. Et quod sit licitum Dominio facere in dicto loco omnem reparationem et fortificationem, quam voluerit; ita tamen, quod expense, que fierent hoc modo, non computentur sibi, nec de eis sentiat ullum onus. Et quod Dominatio possit etiam ponere in burgio Clisse gentes suas, sicut sibi videbitur et placebit.

Item quod per Dominationem fiat munitio in Castro Clisii de stariis mille millei, siue frumenti, vel ordei, sicut eidem Dominationi videbitur ad mensuram Venetorum, et ad mille galledis vini, de qua quidem munitione non accipiatur, nisi in casu necessitatis, et si oporteret accipi de ea, que nihilominus reficiatur per Dominationem Ducalem, et teneatur semper in culmine. Verum dicta munitio reponatur et conservetur in Clissio sub duabus clavibus, quarum una sit apud illum, qui videbitur Dominio, et altera remaneat apud Dominam, ut de ipsa non accipiatur, nisi in casu evidentis necessitatis.

Item quod detur stipendium ab equo duodecim de hominibus suis de Clissio pro anno uno futuro tantum ad libras decem parvorum pro quolibet in mense.

Item quod XXV homines de pede ad expensas Dominii semper et continue stent ad custodiam Clisse, et nihilominus in casu necessitatis provideatur per Dominium de majori quantitate, sicut sibi videbitur pro securitate loci.

Item si casus accideret, quod Deus auertat, quod castrum Clisse amitteretur per vim, sive aliud exfortium, et quod non possit teneri, facta omni defensione et provisione necessaria et possibili cum auxilio Dominationis, ita tamen, quod non amittatur ex defectu vel negligentia sua, detur sibi et filio prepetuo provisio ducatorum sexcentorum moneta in anno, et reddatur eis Scardona, restituentibus ipsis pecuniam antedictam.

Item quod de omnibus, que habet et possidet, et olim habuit ejus vir, et que recuperaret in posterum Dominatio, nullo modo se impediat de jure vel de facto.

Item quod ipsa, filius et gentes sue tractentur ubique in locis Dominii, sicut alii fideles Dominationis, et in hiis, in quibus molestarentur, seu damnificarentur quoquomodo ab aliquo, fiat eis jus, sicut ceteris fidelibus Dominationis predicte.

Item quod filius suus Comes Mladinus sit civis Venetus et tractetur sicut olim pater suus Comes Mladinus, et fiat ei privilegium.

Item quod Capitaneus sive Rector futurus in Scardona habeat judicare in civilibus et criminalibus, exceptis in posses-

sionibus et aliis juribus Domine, que spectarent ad eam solam.

Item quod si quo tempore dicta Domina posset recuperare mediante auxilio Dominationis aliqua sua bona vel jura, que occupantur per Sclavos et alios quoquomodo, quod Dominatio sit ei propitia et favorabilis in juribus suis.

(A »Copia de Commermoriali« velenczei államkönyvből V. kötetéből 77. l.)

B) Instrumentum promissionis facte Castellano Castri Scardone pro traditione ipsius Castri.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem MCCCLV. indictione nona die X. mensis Januarii in Scardona in Ecclesia Sancte Marie de dicto loco Scardone; presentibus venerabili viro domino Georgio Archi Diacono dicte Ecclesie, et nobili viro domino Nicolao Justiniano de Contrata Sancti Pantaleonis de Venetiis, Matheo Faxuolo de Clugia, Presbytero Petro Venerio Ecclesie Santi Raphaelis de Venetiis, Bartholomeo Thomasii de Sacillo, ser Mapheo Ardizono de Venetiis habitatore Sibenici, et aliis; nobilis et sapiens vir dominus Bernardus Justiniano Procurator Sancti Marci et Maris Capitaneus Generalis pro Dominatione Venetiarum; nec non nobilis et sapiens vir dominus Laurentius Celsi Sclavonie Capitaneus Generalis pro Dominatione predicta, ac etiam nobiles et sapientes viri domini Fantinus Mauroceno et Johannes Dandulo Consiliarii domini Capitanei Maris pro dicta Dominatione; et nobilis vir dominus Marcus Justiniano Sibenici Comes; nec non nobiles et sapientes viri domini Dominicus Michael et Mapheus Contareno in partibus Sclavonie Provisores pro dicta Dominatione. Considerantes liberam reassignationem, quam eis nomine dicte Ducalis Dominationis recipientibus fecit dominus Jurases filius quondam Helie de Raxia Castellanus in castro Scardone pro domino Imperatore Raxie de dicto Castro Scardone nomine didicti domini Imperatoris, promiserunt eidem domino Castellano recipienti pro se et eius filiis et familia, et vice et nomine Nicolai et Blandini eius fratrum, et filiorum ipsorum : Quod

si casus occurreret quomodocunque, quod idem dominus Imperator, si vivus esset, seu eius filius, si reperiretur mortuus dictus dominus Imperator, gravaretur et indignavetur contra dictum dominum Jurases pro dicta reassignatione dicti Castri, sic facere et curare, quod dicta Dominatio Venetiarum eundem dominum Castellanum cum filiis et familia eius, ac dictos eius fratres cum filiis et familiis eorum recipiet in brachiis suis, ac eis et cuilibet eorum sicut et taliter providebit, quod ex ipsa provisione vivere poterunt cum filiis et familiis eorumdem, et merito poterunt, seu rationabiliter contentari debebunt. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum predicti domini Capitanei, Consiliarii, Comes et Provisores, et quilibet ipsorum, sacramenti ad Sancta Dei Evangelia tactis Sacrosanctis scripturis prestito per eosdem firmaverunt dictam eorum promissionem, et dicto domino Castellano stipulanti et recipienti, ut supra obligaverunt omni modo et jure, quibus melius potuerunt, omnia bona Dominationis Ducalis, ac etiam ipsorum et cujuslibet eorum pro omnibus et singulis predictis firmiter attendendis et observandis.

(Jegyzői jegy.)

Ego Lazarus de Contrariis de Ferraria Publicus Imperiali auctoritate Notarius nec non Notarius et Cancellarius dicti domini Capitanei Sclauonie predictis omnibus et singulis interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(»A Copia de Commemoriali« czimű államkönyvből V. köt. 91. lev.)

C) Instrumentum traditionis Castri Scardone.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem MCCCLV. indictione IX. die X. Januarii in Castro Scardone apud portam ipsius Castri. Presentibus nobilibus viris dominis Presbytero Petro Venerio Ecclesie Sancti Raphaelis de Venetiis, Nicolao Justiniano de Contrata Santi Pantaleonis de Venetiis, ser Mattheo Faxuolo de Clugia, ser Jacobello de Barociis de Venetiis, Magistro Hendrico della Mota Ciroico quondam domini Gabrielis, et aliis pluribus testibus. Cum

dominus Juras Yscete filius quondam Helie de Raxia Castellanus in Castro Scardone pro Serenissimo Domino domino Stephano Imperatore Raxie habuerit in mandatis a dicto domino Imperatore eius Domino, cum sibi committeret custodiam dicti castri Scardone; quod si casus occurreret, quod ipse dominus Jurases non posset tenere, regere, et salvare ac defendere dictum Castrum Scardone nomine dicti domini Imperatoris, quod ipse deberet dictum Castrum ponere et dare in manibus Dominationis et Communis Venetiarum, de qua Dominatione plenissimam fidem habebat idem dominus Imperator, tenendum, custodiendum, et salvandum per ipsam Dominationem nomine dicti domini Imperatoris; et casus presentialiter instet, quod dictum Castrum ipse Castellanus dominus Jurases tenere, defendere et salvare non potest nomine dicti domini Imperatoris propter potentiam domini Regis Vngarie et gentis eius, que est in castro Clisse, querentis et volentis occupare dictum Castrum Scardone nomine dicti Regis Vngarie. Et ideo dominus Jurases Castellanus predictus considerans et videns, ac cognoscens clare, quod non posset se et dictum Castrum ab ipsa gente dicti domini Regis Vngarie defendere et salvare nomine dicti domini Imperatoris, et volens omne periculum evitare et mandatum dicti domini Imperatoris fideliter observare, recepit in dictum Castrum nobilem et sapientem virum dominum Bernardum Justiniano Procuratorem Sancti Marci de Venetiis et Generalem Capitaneum Maris pro Dominatione Ducali, et nobilem et sapientem virum dominum Laurentium Celsi dicte Dominationis in partibus Sclavonie Generalem Capitaneum; nec non nobiles et sapientes viros dominos Fantinum Maurocenum et Johannem Dandulo dicti domini Capitanei Maris Consiliarios pro dicta Dominatione, ac etiam nobilem et sapientem virum dominum Marcum Justinianum Comitem Sibenici, et nobiles et sapientes viros dominos Dominicum Michael et Mapheum Contareno Provisores in partibus Sclavonie pro dicta Dominatione Ducali, et ipsum Castrum eisdem dominis Capitaneis, Consilio, Comitibus et Provisoribus predictis recipientibus vice et nomine Dominationis et Communis Venetiarum tradidit et consignavit, tenendum, custodiendum et salvandum pro

dicta Dominatione nomine dicti domini Imperatoris, ac ipsi domino Imperatori seu ejus filio per dictam Dominationem restituendum, quandocunque ipsi domino Imperatori seu eius filio placuerit et voluerit, ita quod idem dominus Imperator seu eius filius de ipso Castro possit facere omnimodam voluntatem suam. Qui dicti Capitanei, Consiliarii, Comites et Provisores prefati dictum Castrum receperunt nomine suprascripto, ac etiam promiserunt eidem domino Juraxes Castellano predicto recipienti vice et nomine dicti domini Imperatoris ac eius filii dictam restitutionem dicti Castri facere eidem domino Imperatori seu eius filio, quandocunque sibi placuerit, ut promissum est. Et ad corroborationem dicte restitutionis, et pro ipsa restitutione firmiter facienda, ut premissum est, ipsi domini Capitanei, Consiliarii, Comites et Provisores predicti nomine Dominationis et Communis Venetiarum corporaliter juraverunt ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis eidem domino Juraxes predicto Castellano nomine dicti domini Imperatoris seu eius filii dictum sacramentum petenti et recipienti dictam promissionem et restitutionem dicti Castri Scardone libere facere, ut superius dictum est, domino Imperatori vel eius filio.

(Jegyzői jegy.) Ego Lazarus de Contrariis stb. predictis omnibus et singulis interfui et rogatus scripsi et publicavi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből V köt. 92. lev.)

372.

Magyar sereg Dalmátiában. 1356.

Anno MCCCLV. die XXIII. Januarii. De novo emerxit nobis et statui nostro quedam notabilis novitas atque briga; quia magnus exercitus Hungarorum et Sclavorum manu armata et hostiliter descenderunt et sunt ad damnum terrarum et locorum nostrorum parcium Sclavonie, et cotidie augetur exercitus supradictus, ita quod dicte terre et loca nostra, nisi eis velociter succurratur, subiacent periculo manifesto, et

pro hoc opportet per nos et nostras amicicias querere de huiusmodi gentibus armigeris, de quibus tamen data omni opera et sollicitudine per nos iam sunt duo menses et plures, paucos vel nullos invenire potuimus in tanta neccessitate et periculo terrarum nostrarum predictarum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXVII. köt. 135. l.)

373.

A velenczei kormánytanácsnak Scardona védelmére vonatkozó intézkedése. 1356.

Anno MCCCLV. die XI. mensis Februarii. Capta: Quod scribatur Capitaneo Paysinatici Sclavonie in hac forma:

Tres litteras vestras hiis diebus percepimus, unam datam die XIII., alteram XVII. et terciam XXV. Januarii, quibus visis et intellectis, statim providimus vobis mitti debere ea, que pro necessitate castri Scardone requirebatis, videlicet lignamen, campanas duas et pecuniam necessariam pro faciendis pagis stipendiariis, qui hucusque in dicto castro steterunt; et pro aliis expensis necessariis vobis eciam providebimus subvenire, sicut viderimus opus esse. Et ex nunc captum sit, quod predicta sibi mittantur quamcicius esse potest. Set volentes super aliis in ipsis licteris contentis ultra predicta habere deliberacionem et respectum, fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus super ipsis supersedere debeatis per illum cautum et dextrum modum, qui vestre prudencie melior apparebit, donec a nobis aliud habueritis in mandatis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 139. lev.)

374.

I Lajos magyar királynak biztonsági levele a hozzá utazó velenczei követek számára. 1356.

A) Exempla licterarum domini Regis Hungarie affidacionis Ambaxiatorum nostrorum mittendorum ad ipsum, quas licteras adduxit secum Paulus de Bernardo Notarius Curie.

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie, vobis inclito Principi domino Johanni Gradonico Veneciarum Duci nec non Communi Civitatis eiusdem promittimus verbo Regio absque omni dolo sine fraude, quod quocienscunque et quandocunque vobis placuerit, vestros ad nos Ambaxatores seu Nuncios destinare, libertate plenaria per omnes terras nostras et tenutas iidem tam in veniendo qum in recedendo pociantur et fruantur, nulla personarum aut rerum formidine habituri, presencium sub Nostre Maiestatis testimonio litterarum. Datum Bude mensis Februarii die XXVI.

B) Lodovicus Dei gratia Rex Vngarie. Noveritis, quod providus vir Paulus de Bernardo Notarius vester nostram veniens ad presentiam, nobis sub credentia litterarum vestrarum reseravit, quod vos Ambaxatores vestros ad nos in vestris legationibus transmittere modis omnibus intenderetis. Quare cum nos circa medium Quadragesime in Zagrabia vellimus esse personaliter constituti, vestros ex tunc Nuntios ad nos secure poteritis destinare. Datum Bude primo die mensis Martii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államk. V. köt. 190. lev.)

375.

A velenczei köztársaság követeket küld I. Lajos magyar királyhoz. 1356.

MCCCLVI. indictione IV. die XXV. Marcii. Cum habite et obtente sint littere a domino Rege Hungarie, per quas secure mitti potest nostra ambaxata ad ipsum, et ipse Rex videatur satis bene dispositus ad pacem et concordiam, prout habetur ex verbis et relacione istius Episcopi Pactensis et Legati ab ipso noviter redeuntis: vadit pars, ut non deficiat a parte nostra, quin dicta pax sequatur, quod in nomine Domini nostri fiant et mittantur Ambaxatores solemnes ad ipsum dominum Regem per illum modum et cum illa commissione et libertate, cum qua iverunt et missi fuerunt olim ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario, mutatis et correctis illis verbis, que fuerint mutanda et corrigenda. Verum super factis

Clissie et Dalmisie postmodum, scilicet antequam procedatur ad electionem Ambaxatorum, fiet eis illa commissio, que huic Consilio melior et utilior apparebit.

Anno MCCCLVI. indictione IX. die XXVI Marcii. Capta: Quod in nomine Domini Jesu Christi et Gloriose Virginis Matris eius, et Beati Marci Evangeliste Protectoris nostri fiant et mittantur Ambaxatores solemnes ad dominum Regem Hungarie per illum modum et cum illa commissione et libertate, cum qua iverunt et missi fuerunt olim ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario, mutatis et correctis illis verbis, que fuerint mutanda et corrigenda.

Verum super factis Clissii et Almisii committatur Ambaxatoribus predictis, quod primo et principaliter procurent et instent obtinere ab ipso Rege dicta castra et loca, possendo promittere pro ipsis locis vel Clissia tantum, quando Almisium obtineri non posset, et pro iuribus aliarum terrarum et locorum Sclavonie, a VI mille usque VII mille ducatos auri annuatim, et equum cohopertum de scarleto, vel inde infra, ut melius poterunt, sicut poterant promittere solum V mille. Et si aliquem ex locis predictis ipse dominus Rex concedere nollet, tunc ipsi Ambaxatores redeant ad tractandum super primis promissionibus, procurando semper obtinere in quolibet casu dictarum primarum promissionum Clissiam, et possendo finaliter promittere pro ea dicto Regi ducatorum M annuatim, sicut alias oblatum fuit. In casu vero, quo Clissiam obtinere non posset, rescribant, nostrum expectando mandatum.

Capta: Quod scribatur domino Regi et Archiepiscopo Strigoniensi et aliis, quibus videbitur, de missione Ambaxatorum, excusando, si forte tam cito non essent ad eum propter moram, quam nuncii fecerunt ad veniendum, sed quod ipsos eligemus et mittemus quamcicius poterimus.

Die XXIX Marcii. Capta: Quod isti Ambaxatores ituri ad Regem Hungarie possint in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus expendere ducatos quinque auri pro quolibetin die, et pro expensis judicis et famulorum suorum ducatos duos in die.

Die quinto Aprilis. Capta: Quod ex nunc ordinetur, quod Ambaxatores nostri ituri in Hungariam faciant viam de

Segna, et quod teneantur recedere et prosequi viam suam directe usque diem XVIII. huius mensis omni causa remota sub pena ducatorum centum pro quolitet in suis propriis bonis.

Die XV. Aprilis. Capta: Quia in commissione alias data duobus Ambaxatoribus missis ad Regem Hungarie continebatur de facto concordandi Comitem Paulum et nepotes suos, et hoc ad presens non habeat locum, quia loca exiverunt de manibus eorum, et de ipsis facta est sufficiens mencio in partibus captis: vadit pars, quod de ipso capitulo non fiat alia mentio.

De facto Jadratinorum, de quibus alias fuit commissum Ambaxatoribus predictis, quod possent contentari, quod amore Regis Romanorum restitueremus ad gratiam nostram, videlicet quod, remissis eis iniuriis omnibus et offensionibus nobis factis per eos usque ad presens, gauderent bonis suis, stantibus ipsis Veneciis vel in aliis terris nostris Sclavonie in fidelitate nostra, et non facientes contra nostrum honorem; committatur, quod possint ad predicta contentari, ostentendo, quod hoc faciant vel amore Regine vel alterius persone, quam Regis Hungarie.

Facti fuerunt Sindici nobiles viri ser Marcus Cornario miles, et ser Marinus Grimani Ambaxatores ituri ad Regem Hungarie, et quilibet eorum in solidum, ad tractandum, conveniendum et paciscendum cum dicto domino Rege super omnibus differenciis hinc inde vertentibus cum clausulis et solemnitatibus opportunis; et de hoc rogati fuerunt Notarii infrascripti, videlicet: ser Amadeus, Desideratus, Nicoletus de Laurencio et Stephanus Ziera, Notarii Curie, et quilibet eorum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVII. kötetéből.)

376.

A Magyarországba küldendő velenczei követek megbízó levele 1356.

In Christi nomine Amen. Pateat omnibus evidenter, quod Illustris et Magnificus Dominus, dominus Johannes Gradonico Dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie

Dux, Dominus Quarte Partis et dimidie totius Imperii Romanie, de voluntate et consensu suorum Consiliorum Minoris, Rogatorum et XL ad infrascripta ad sonum campane et voce preconia more solito congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam due partes dictorum Consiliorum, et homines dictorum Consiliorum de auctoritate et consensu dicti domini Ducis et cum eo unanimiter et concorditer nemine discrepante suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus, ac nomine et vice Communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Marcum Cornario militem et Marinum Grimani honorabiles concives Veneciarum absentes tanquam presentes suos et dicti Communis Sindicos, Procuratores, Actores et Nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire; specialiter ad eundum et conveniendum tam cum Serenissimo et Illustre domino Lodovico Dei gratia Rege Hungarie, quam cum quibuscumque tractatoribus, sindicis, nuntiis et procuratoribus deputandis ab eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum legiptime pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam et transactionem pro ipso domino Duce et Commune Veneciarum et eorum successoribus perpetuo, et pro suis complicibus subditis, adherentibus, sequacibus et amicis, de omnibus et singulis litibus, querelis, petitionibus, controversiis et questionibus, discordiis, differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mixtis, quomodocumque, ubicumque, qualitercumque et per quoscumque illata et facta extiterint, et quocumque tempore, et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur, et ad obligandum ipsum dominum Ducem et Commune Venetiarum et suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti Sindici vel eorum alter promiserint et fecerint, et de predictis et quolibet eorum cum omnibus et singulis solempnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, penis, adiectionibus et aliis clausulis quibuscunque

consuetis vel opportunis; et ad recipiendum a dicto domino Rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino Rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocumque nomine dictas tradiciones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quietationes, liberationes, remissiones et obligationes quascumque super omnibus et singulis antedictis et connexis et dependentibus ab eisdem et quolibet eorundem, cum omnibus et singulis solempnitatibus, stipulationibus, obligationibus renunciationibus, iuramentis, penis, adiectionibus, promissis et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et generaliter ad predicta omnia alia et singula tractandum, firmandum, fatiendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes prefatus dominus Dux et Consilia supradicta eisdem suis Sindicis et Procuratoribus et cuilibet eorum plenam, liberam et generalem administrationem et mandatum tractandi, faciendi, firmandi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et connexa et dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus Dux et Commune Veneciarum facere pessent, si personaliter interessent; promittentes ipse dominus Dux et Consilia supradicta pro se et successoribus suis modis et fermis et nominibus supradictis michi Notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini Regis et suorum successorum, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere et inviolabiliter observare omnia et singula, que ijdem Sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, promiserint compleverint aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium Communis Veneciarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidenciam pleniorem prefatus dominus Dux mandavit, pre-

sens instrumentum publicum fieri per Notarium infrascriptum et eius bulla pendenti plumbea communiri. Actum in Ducali palatio Communis Veneciarum anno a Nativitate Domini MCCCLVI. die quintodecimo mensis Aprilis, none indictionis. Presentibus sapiente viro domino Benintendi Veneciarum Cancellario, Amadeo de Bunguadagnis et Stephano Ciera Notariis eiusdem Ducatus et aliis ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

(Jegyzői jegy.) Ego Bartholomeus de Gallaate, Notarius condam domini Jacobi, Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Veneciarum Scriba, predictis rogatus interfui, et eadem prefato mandato dicti incliti domini Ducis tradidi, scripsi et me subscripsi.

Nota, quod similis sindicatus factus fuit in persona predictorum absque titulo.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

377.

A velenczei köztársaságnak a magyarországi ügyekre vonatkozó határozatai. 1356.

Anno MCCCLVI. die XVIII. Aprilis. Capta: Quod committatur Ambaxatoribus nostris ituris ad dominum Regem Hungarie, quod cum Rex Hungarie seu aliqui subditi sui habeant unum nepotem et unam filiam olim Comitis Pauli in manibus suis pro obsidibus, debeant, cum fuerint expediti de factis aliis nostri Communis, procurare et facere illud boni, quod poterunt cum honore nostro pro relaxacione predictorum stb.

Die V. Maii. Quod occasione novorum, que habentur de Hungaria, quantum velociter fieri potest, expediatur ista galea, que est itura Nigropontem, et mittantur ad Capitaneum nostrum Paysanatici Sclavonie, et soldentur usque quatuor banderie peditum cum illo soldo, firma et condicionibus, quibus facti fuerunt alii, qui missi fuerunt ad Capitaneum. Que

banderie mittantur cum dicta galea illuc quam citius esse potest; non tardante propterea galea, quin vadat, quam cito habuerit tempus, cum illa gente, quam poterit habere de istis stipendiariis, totam vel partem, sicut melius fieri poterit, et depositis istis stipendiariis, dicta galea, si videbitur sibi, prosequatur viagium suum. Et nichilominus mittantur per unam barcham hac nocte hec nova Capitaneo et Rectoribus nostris Sclavonie et Istrie, ut possint de securitate illorum locorum habere sufficientem provisionem.

Die XXVIII. Maii. Capta: Quod de equis nostri Communis, quos nostri Ambaxatores, qui venerunt de Hungaria, reliquerunt in Arbo, possint vendi et consentiri Capitaneo Paysinatici ituro et aliis, qui de ipsis vellent pro precio, quo constiterunt Communi, mittendo eos acceptare suis expensis, et respondendo hic usque duos dies; et sic consulunt Ambaxatores.

Die XXVIII. Junii. Capta: Quoniam ista facta, que facere habemus cum domino Rege Hungarie, sunt magna et ardua, et in eis occurrent multi tractatus, qui requirent de sui natura minorem numerum aliquarum electarum personarum : vadit pars, quod in nomine Jesu Christi eligantur XXV Sapientes, qui cum Domino, Consiliariis et Capitibus de XL super dictis factis et omnibus dependentibus ab eis habeant plenam auctoritatem, libertatem et arbitrium providendi, faciendi et terminandi in omnibus et per omnia, sicut haberet istud Consilium. Et teneatur venire omni die mane ad palacium ad locum constitutum ad campanas et horas ordinatas sub pena solidorum XX pro quolibet, exceptis festis solemnibus et occasionibus exceptatis, quam exigant advocatores habentes partem, ut de aliis penis sui officii. Et possint accipi de omni loco et officio, exceptis Judicibus Palacii, Pagatoribus, Consulibus et Patronis, non accipiendo nisi unum pro officio et unum pro domo. Et duret per sex menses, in fine quorum veniatur ad istud Consilium, et fiet, sicut videbitur. Et non intelligatur congregatum ipsum Consilium, nisi due partes fuerint congregate. Et teneantur convenire etiam aliis diebus et horis, quando vocabuntur, sub dictis penis. Et si steterint octo diebus de non veniendo ad Consilium, sint extra, nec exeant de terra

sine licentia Dominationis; et si eligerentur ad regimen vel ad aliud, sint extra quindecim diebus ante, quam ire debeant.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyv XXVII. kötetéből.)

378.

VI. Incze pápa I. Lajos magyar királyt unokatestvéreivel Durazzoi Lajos és Roberttel kibékíteni igyekszik 1356.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Licet, fili carissime, fraudes et dolos Sathane multos esse pene Christole omnes norint; pauci tamen sunt, qui adversus astutias eius tueri se valeant, et qui falaciis suis sepe non capiantur incauti. Molles siquidem et debiles illaqueat facile, ac robustos fortesque viros aggrediens acrius, tot illos bellis impetit, tot temptat insidiis, tot exercet artibus, tot studiis defatigat, ut fragilitas humana laxata insultanti sibi plerumque succumbat et credat. Hic, Princeps inclite, David Regem et eximium Prophetam mirabiliter electum ac dilectum a Deo adulterio polluit, homicidio maculavit. Hic sapientem Salomonem sic impie circumvenit, ut alienigenis misceretur feminis, et ante abominationis ydola genua incurvaverit. Hic quamplurimos, quorum est memoria celebris, et quorum exempla brevitatis gratia subticemus, mersit in lubricum, et precipitavit in culpam. Hic certe, sicut non ambigimus, imo sicut indubie certe scimus, te ac eos, quibus coniunctus es sanguine, dampnande scissure dispendio ad invicem separavit, et fecit, ut qui ex eadem radice prodeuntes amare vos mutuo debebatis, diffideretis invicem, et in discordia vestra tot Christianorum millia consumeret gladius, tot olim abundantes necessitas cogeret mendicare. Que tibi licet sub compendio, quia, sicut letanter audivimus, velut Princeps Catholicus Deum times, confidenter describimus, et ad pacem cum dilectis filiis nobilibus viris Ludovico et Roberto de Duracio fratribus, tanta tibi consanguinitate coniunctis, eo tuam adimus securius pietatem, quo in tua et eorum discordia insidias inimici hominis recognoscimus, quo res de facili ad naturam suam reuertitur, et quo rixa

amantium amoris reintegratio esse solet. Et ideo Serenitatem Tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attentius deprecantes ac obsecrantes per viscera misericordie Dei nostri, quatenus ea, que venerabilis frater noster Bonoiohannes Episcopus Firmanus tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque ad effectum placide ac votive prosecutionis admittas. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis IV. nonas Junii, Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Incze pápa regesztáiból.)

379.

VI. Incze pápa I. Lajos magyar királyt egyességre kéri fel a velenczei köztársasággal. 1356.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Nuper, fili carissime, et nobis per tuos Nuncios et litteras intimante, quod tu Regnum Rassie ad effugandas inde scismatum tenebras et surculos errorum, ac inserendos in eo palmites fidei Christiane in virtute Regia invadere proponebas, et supplicante nobis, ut tibi ad tam pi', tamque Deo accepti executionem operis Apostolici auxilii dexteram porrigentes, verbum Crucis cum consuetis remissionibus et indulgentiis proponi in Regno tuo et certis aliis partibus mandaremus, magnificavit anima nostra Dominum, et noster in Deo salutari nostro spiritus exultavit, tanteque nos huiusmodi propositum tuum letitie ac axultationis imbre perfudit, quantam vix exprimere lingua posset. Sperabamus etenim in eisdem Regno Rassie latentem sub modio lucernam ipsius fidei Christiane per ministerium tuum super candelabrum eminentius reponendam, lucere clarius et fulgere limpidius hiis, qui longe sunt et qui prope. Sperabamus, quod dextera tua infidelium cervices indomitas et tumentia colla humiliaret in Domino, et elata scismaticorum contereret cornua, subactisque fidelibus, quos in dicto Regno Rassie furor tirannice potestatis angariat, beneficium redderet libertatis. Sed ecce extrema gaudii meror occupat, dulcedo in

amaritudinem versa est, et letitie iubilum doloris versum est in clangorem. Fertur enim, quod pacis emulus eiusdem fidei inimicus Dei negotia satagens impedire, inter te et dilectum filium nobilem virum. . . . Ducem Venetiarum discordie semina spargere nititur, et te usque adeo provocavit, ut robur potentie tue, quod adversus ipsius fidei emulos exercere decreveras contra renatos fonte baptismatis experiri convertereque proponas. Nos autem pericula et mala innumera, que Dei populo ex huiusmodi nociva discordia provenirent, anxie cogitantes, et cupientes eis per oportuna remedia obviare, venerabilem fratrem nostrum Boniohannem Episcopum Firmanum latorem presentium, honoris tui Regnique tui sincerum et fervidum zelatorem, ad te prefatumque Ducem providimus destinandum. Ideoque Serenitatem Tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino, illam attente rogantes, ac per viscera misericordie Dei attentius obsecrantes, quatenus eundem Episcopum pro reverentia Dei. tue consideratione salutis, publice utilitatis intuitu et nostre intercessionis obtutu benigne recipias, et verba pacis ab eo placide audias, illaque ad effectum sperate ac votive satisfactionis adducas; ita quod prestante Deo, sublatis ipsius discordie impedimentis quibuslibet tibi et populo tuo arrideat pacis opulenta tranquillitas, qua reddaris liberior ad Dei servitia, quibus te devoveras, exequenda, Datum apud Villam Nouam Avenionensis Diocesis IV. nonas Julii Pontificatus nostri anno quarto.

(IV. Incze pápa regestáiból. V. i. Fejér Cod. Dips. IX. köt. 2. r. 502. lev.)

380.

A velenczei kormánytanács kereskedőit eltiltja az apuliai kereskedéstől. 1356.

Anno MCCCLVI. indictione X. die XX. mensis Decembris. Capta: Cum per determinationem huius Consilii pridie fuerint revocati Consul et mercatores nostri de omnibus partibus Regni Apulee, et fuerit prohibitum, quod nullus ex nostris auderet illuc ire, mittere, vel etiam conversari, et

ista prohibitio modicum vel parum valeret ad intentionem nostram, nisi totaliter stringantur res et mercimonia deinde, ymo esset damnosum nostris et aliis fructuosum: vadit pars, quod ex nunc prohibeatur, quod aliquibus mercimoniis vel rebus cuiuscumque condicionis existant, natis vel laboratis in aliqua parte totius Regni Apulee, non possit ullo modo vel ingenio per aliquam personam, civem vel forensem conduci ad Civitatem Veneciarum, nec ad aliquas partes intra Culphum a Duracio citra; et quod nullus Venetus vel fidelis noster possit per se vel alium illuc aliquid mittere, vel inde extrahere vel extrahi facere pro conducendo in aliquam partem modo aliquo sive forma; et insuper quod nulla persona ab hoc die in antea audeat vel presumat ingenio aliquo vel colore per se vel alium extrahere vel extrahi facere de Veneciis, nec de locis aliquibus subiectis nostro dominio aliqua mercimonia vel res pro conducendo ad partes Apulee supradictas vel ad aliquam earundem; contrafacientes etc.

Nota, quod dicta pars fuit proclamata, et etiam fuit scriptum Rectoribus, videlicet Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati, Farre et Ragusii, ac Capitaneo lignorum Istrie et Maris.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXVII. kötetéből.)

381.

VI. Incze pápa felkéri I. Lajos magyar királyt, hogy Albert ausztriai herczeg és János morvai őrgróf kibékitését segitse elő. 1357.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cupientes periculis grauibus, que comminatur discordia, quam inter dilectos filios nobiles viros Johannem de Boemia Marchionem Morauie, ac Albertum Ducem Austrie pacis emulus peccatis exigentibus suscitavit, per oportuna remedia obviare, venerabilem fratrem nostrum Paulum Episcopum Gurcensem Apostolice Sedis Nuncium, latorem presencium, ad dictos Marchionem et Ducem, ac partes illas duximus destinandum. Et ideo

Serenitatem Tuam attente rogamus quatenus ea, que prefatus Episcopus tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, sibique circa directionem prosperam et felicem commissi ei negotii pro Divine reverentia Maiestatis, nostre intercessionis obtutu, tue consideratione salutis et publice utilitatis intuitu assistas consiliis et auxiliis oportunis. Datum Avinione idibus Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

In eodem modo Elizabeth Regine Vngarie illustri, et Archiepiscopis Strigoniensi, Colocensi, Salzeburgensi, Pragensi, et Episcopo Olomucensi.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

382.

VI. Incze pápa a velenczei dogét inti, hogy a Dusan István szerbiai császárral kötött szövetségtöl lépjen vissza 1357.

Littere Papales ad Ducatum Venetiarum pro factis Regis Hungarie.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Iohanni Gradonico Duci Venetiarum salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod Tu et dilecti filii Commune Venetiarum, cum Dei et fidei Catholice inimicis, Rege aliisque Rassensibus, scismaticis et hereticis manifestis, confederationem iniistis et ligam, illamque juramentorum interpositionibus, et penarum additionibus roborastis. Quod licet attenta sinceritate devotionis et fidei, quam Tu et dicti Commune semper ad Deum, qui ejusdem fidei actor et caput est, habuistis, credere facile non possimus: tamen Tuis et dictorum Communis super hoc fame et saluti consulere paterna sollicitudine cupientes; et attendentes, quod huiusmodi liga inter carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngariae Illustrem, qui Rassenses eosdem ad extirpandum de partibus illis pravitatem hereticam favente Domino expugnare proponit, et Te invicem dissidentes, ad quorum pacem procurandam enittimus (igy), seminarium majoris dissidii esse posset, Nobilitatem Tuam attente requirimus et hortamur, illam attente rogantes, Tibique suadentes

paternis consiliis et Tue salutis intuitu expressius injungentes, quatenus ab omni consilio, auxilio, favore, ac adjutorio hereticis et scismaticis ipsis occasione hujusmodi confederationis seu lige, aut alterius cujuslibet pactionis, quocunque titulo seu nomine censeatur, prestando prorsus abstineas, et subditos tuos omnino compescas. Nos enim ligam, confederationem et quascunque pactiones alias inter Te seu predecessores Tuos Duces Venetiarum et dictos Commune initas, factas et habitas, cassamus et irritamus, et nullius esse decernimus roboris, vel momenti, penas et juramenta hujusmodi relaxantes. Ceterum huiusmodi precibus nostris adjicimus, ut ea, que venerabilis frater noster Episcopus Pacensis Apostolice Sedis Nuncius, lator presentium, Tibi super hoc pro parte Nostra retulerit, credas indubie, illaque ad effectum votive consummationis adducas. Data apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis XVI. kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

(A »Copia de Commemoriali» velenczei államkönyvből V. köt. 169. lev.)

383.

VI. Incze pápa a római egyház jogainak védelmezésére I. Lajos magyar királyt főkapitánynak nevezi ki. 1357.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Hungarie illustri salutem etc. Inter contumelias et opprobria, que a Dei et Romane Ecclesie matris tue persecutoribus et hostibus ipsis Deo et Ecclesie inferuntur, illa nos pungunt acerbius, que a dampnationis filiis Francisco de Ordelaffis et Guillelmo ac Johanne de Manfredis Faventinis civibus velut hereticis condempnatis passi sumus et patimur incessanter. Ipsi enim nec emolliri monitis, nec exhortationibus flecti, nec preceptis salutaribus ab eorum retrahi excessibus, aut revocari erroribus potuerunt. Ed ideo cum Generalis Capitaneatus officium contra hereticos et ipsius Ecclesie rebelles in terris eius partium Italie constitutos, tibi sicut Athlete Domini et pugili eiusdem Ecclesie duxerimus fiducia-

liter committendum : Nos predictos abominationis et filios tibi specialiter denotantes, Serenitatem tuam cum omni efficacia et attentione rogamus, quatenus Franciscum, Johannem et Guillelmum predictos, cum deliberatione et secundum consilium venerabilis fratris nostri Egidii Episcopi Sabinensis, Apostolice Sedis Legati, quem ad hoc deputandum duximus, in virtute Domini potenter et strenue impugnare ac expugnare procures. Confidimus enim in auxilio Diuine potentie, ac in Beati Petri Apostolorum Principis intercessionis opitulatione speramus, quod ipsi Dei hostes velut pulvis ante faciem venti ante te dispergentur, et ut platearum lutum confusibiliter delebuntur; nec revocamus in dubium, quin conculcatio eorumdem sit Dei negotiis, ad quorum promotionem ferventer aspiras, felix et grande principium allatura. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis III. idus Augusti Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

384.

VI. Incze pápa I. Lajos magyar király és Magyarország ... keresztyének általános imádságát rendeli el. 1357.

Innocentius Episcopus etc. vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Quamquam pr[o] vniuersis Christi fidelibus Catholica oret Ecclesia; hii tame[n] potioribus iuuandi sunt orationum suffragiis, per quoru[m] auxilia maiora sperantur Christiane fidei commoda peruen[tu]ra. Cum itaque carissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngarie illustris, tactus dolore cordis intrinsecus super iniuriis et opprobriis, que ab infidelibus et scismaticis Rassie ac Regni partium Regno vicinarum eidem fidei memorate, imo Christo Domino, qui eiusdem institutor et caput est fidei, multipliciter inferuntur, ad tollendum illa viuifice Crucis insignitus signaculo viriliter se accingat : Nos ipsum in tam pio ac laudabili opere, et ut vite longioris consequatur spatia, et numerose prolis felicitate letetur, orationum opitulatione iuuari apud Dominum, a quo victoria omnis est, quique lar-

vite ac indultor benignus est sobolis, cupientes; vniuersitatem vestram monemus, requirimus et hortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus pro victoria et vita longitudine Regis ipsius, ac ut eum susceptione prolis amplifice fecundet Omnipotens, apud eum devotis orationibus insistatis. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vobis vere penitentibus et confessis, qui pro premissis orationes effundetis ad Dominum, quoties offenderetis illas, quadraginta dies de iniunctis vobis penitentiis relaxamus. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis kalendas Septembris Pontificatus nostri anno quarto.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

385.

Brünn város hatósága átirja Robert Károlynak 1336-ki a kereskedelmi utakat tárgyazó szabályozását. 1357.

Nos Jacobus de Ror Judex, Jurati et cives Brunnenses recognoscimus, quia litteras patentes non rasas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed per omnia saluas Excellentissimi Principis domini Karoli condam Regis Hungarie nostra habemus clausura; quarum tenor de verbo ad verbum est talis :

Nos Karolus stb. (következik Robert Károly magyar királynak 1336-ki okmánya, mint gyűjteményünk I. kötetében 9. sz. a. 343. l.)

In cuius recognicionis et habicionis testimonium instanter rogati sigillum nostrum presenti transscripto duximus imprimendum. Anno Domini M.CCC quinquagesimo septimo in octaua Beatorum Petri et Pauli Apostorum.

(I. Lajos királynak megerősitő 1357-ki privilegiumából, mint alább.)

386.

I. Lajos magyar királynak védlevele a prágai és nürnbergi kereskedők számára. 1357.

Lodouicus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque Rex, Princeps Sallernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Regie Serenitatis glorie congruit et honori, populis non solum sibi subiectis, verum eciam alienigenis in suum Regnum proficisscentibus, antiquorum Regum exempla imitando, quietum disponere transitum et securum, vt prouisione moderacionis Regalis eorum incommoda excuciantur et tranquilitate concupita in eorum transitu pociantur. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire : quod vniuersitas mercatorum Pragensium et Nerumbergensium, missis ad nos Nicolao Serph (Scherf) et Volframo Stromayr nunciis ipsorum Nostre Maiestati intime supplicarunt, vt ipsis de Regie liberalitatis circumspecta prouidencia libertates eorum, quondam per Inclitum Principem dominum Karulum, inclitum Regem Hungarie, patrem nostrum karissimum, super eo, ne ipsi pro debitis, offensis et excessibus aliorum alicubi in Regno nostro possent per quospiam prohiberi, datas legaliter et concessas restituere, reformare et restaurare, primordialemque eiusdem patris nostri efficaciam stabiliore tenore dignaremur pro eisdem sollidare. Nos igitur frequentissimis et diuturnis supplicacionibus eorundem Nicolai Serph et Volframus (így) in personis eorundem mercatorum Nostre Maiestati porrectis fauorabiliter exauditis, vtilitatibus eorundem mercatorum et eciam Regni nostri consideratis, vna cum Prelatis et Regni nostri Baronibus matura deliberacione prehabita statuentes commisimus, vt mercatores Pragenses et Nerumbergienses prenominati cum eorum rebus et mercibus in Regnum nostrum venientes pro excessibus, offensis et debitis aliorum mercatorum nullas in Regno nostro per quospiam valeant prohiberi, nisi hij qui

debitores existunt, vel in aliis excessibus et offensis inculparentur, personaliter fuerint reprehensi, quos a prohibicione legitima nolumus custodire; prout eciam referente Excellentissima Principissa domina Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie genitrice nostra karissima, et nos de hoc certificante, per dominum Karulum Regem patrem nostrum antedictum easdem libertates mercatoribus de Regno Bohemie vniuersis cognouimus liberaliter concessas extitisse litterarum suarum ex uigore. Ex hocque vniuersos Prelatos, Barones, Comites, Castellanos, Nobiles, eorumque Officiales, nec non Ciuitates et liberas villas, earumque Rectores, et generaliter cuiusuis status et condicionis homines in Regno nostro constitutos, quorum noticie presencium peruenerit continencia, edicto Regio firmissime prohibemus, ne ipsi mercatores Pragenses et Nerumbergienses prenotatos cum eorum rebus et bonis in Regnum nostrum venientes pro excessibus, debitis et offensis aliorum mercatorum audeant prohibere vel arestari facere quoquo modo, nisi ijdem, vt premisimus, qui debitores existunt, et in alijs excessibus et offensis per aliquos inculparentur, fuerint personaliter reprehensi, qui mediante justicia ad judicium poterunt arestari. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris domini Nicolai Archiepiscopi Colochensis Aule nostra Cancellarij dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo CCC-o quinquagesimo septimo, quarto kalendas Augusti, Regni autem nostri anno decimo sexto. Venerabilibus in Christo Patribus et dominis Nicolao Strigoniensi locique eiusdem Comite Perpetuo, Vgulino Spalatensi Archiepiscopis, Nicolao Agriensi, Demetrio Waradiensi, Dominico Transiluano, Nicolao Quinqueecclesiensi, Johanne Wesprimiensi, Colomano Jauriensi, Thoma Chanadiensi, Stephano Zagrabiensi, Mychaele Waciensi, Petro Boznensi, fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Syrmiensi Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino et Judice Comanorum, Andrea Voyuoda Transiluano, Cykou (Chyko) Magistro Thauarnicorum, Nicolao Judice Curie nostre, Nicolao Bano

de Machou, Leustachio Regni nostri Sclauonie Banatum tenente, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agasonum, Thoma Janitorum nostrorum Magistris, ac Magistro Symone filio Mauricij Comite Posoniensi, alijsque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán sárga-fehér-zöld selyemzsinóron függő pecsét alatt, Prága város levéltárában; sárga-vörös-zöld selyemzsinóron függő pecsét alatt pedig az 1364-ki vörös-zöld selyemzsinóron függő megerősítő pecséttel együtt a bajor kir. országos levéltárban, sect. Norimb. II. Ulászló király által Megerősíttetett 1491. november 17. V. ö. Robert Károlynak 1336-ki védlevelét Gyüjteményünk I. köt. 345. l.)

387.

I. Lajos magyar király a prágai és nürnbergi kereskedőket részesíti Magyarországban a csehországi kereskedők általános kedvezményeiben. 1357.

Lodouicus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Saruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus etHonoris Montis Sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris presencium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Si quibuslibet Regiam implorantibus clementiam Regium fauorem debemus beniuolum impertiri; illis tamen propensiori deuocione Nostram convenit Celsitudinem prouidere, per quos commoditas Regni et vtilitas reipublice iugiter procuratur. Nam vt Celsitudo Regia illorum negocijs inuigilet; pietas suadet, racio postulat et ius requirit; cum et alijs opus pietatis debeat exhibere. Proinde vniuersorum noticie presencium serie declaramus: quod Nicolaus Scherph Pragensis, et Wolframus Stromayer Nurimbergensis mercatores in suis, nec non vniuersorum mercatorum Pragensium et Nurimbergensium personis ad nostram accedentes presenciam exhibuerunt nobis litteras patentes Judicis, Juratorum et vniuersorum ciuium Brunensium transcribentes tenorem litterarum patencium quondam Excellentissimi et Magnifici Principis domini Karoli olim Incliti Regis Hungarie illustr's, patris nostri karissimi, super moderacione solucionis tributorum a mercatoribus extraneis in

Regno nostro exigendorum emanatas infrascripti tenoris, supplicantes Nostre Serenitati instancijs debitis et deuotis, vt predictas litteras seu trassumptum predictorum Judicis, Juratorum et vniuersorum ciuium Brunensium, nostro priuilegio renouare, confirmare, ac eciam decernendo committere dignaremur, vt ipsa nostra renouacio et confirmacio eiusdem vigoris et firmatis haberetur et plenam paret fidem. obicunque foret exhibita et producta, ac si predibte principales et originales littere predicti patris nostri in specie exhiberentur per eosdem. Quarum quidem litterarum patencium iam dictorum Judicis, Juratorum et ciuium Brunensium tenortalis est:

Nos Jacobus de Ror stb. (következik a brünni városi hatóságnak 1357-ki okirata, melyben Robert Károly magyar királynak 1336-ki a kereskedést szabályozó határozatát átirja, mint fentebb 385. sz. a.)

Nos igitur volentes ipsos mercatores in eorum libertatibus et iuribus per predictum dominum Karolum Regem patrem nostrum ipsis donatis legaliter et concessis indemniter conservare; quia Serenissima Princeps domina Elizabet Inclita Vngarie Regina, genitrix nostra carissima de concessione predictarum libertatum per eundem patrem nostrum facta se memoriter recordari, et predictas litteras patentes ipsius patris nostri in specie ante ipsam fore exhibitas coram nobis affirmauit: ideo nos ex informacione iam dicte domine Regine genitricis nostre carissime plenarie et lucidissime de veritate earundem litterarum edocti, predictas litteras iam dictorum Judicis, Juratorum et ciuium de verbo ad verbum transscribi fecimus, et easdem quoad omnes sui continencias ex certa nostri sciencia Nostre Maiestatis auctoritate Regia innouando confirmamus, ratificamus et approbamus, appositioneque sigilli nostri dupplicis munimus ac perpetuo roboramus, consuetudinaria lege Regni nostri, que huiusmodi litteras extranearum Ciuitatum confirmare minime consueuit, non obstante; committentes, vt presens nostra confirmacio et exhibicio eiusdem vbique pro sufficienti habeatur documento, eidemque tanta fides debeat in locis singulis adhiberi, ac si predicte originales littere ipsius patris nostri in specie exhiberentur per marcatores an-

tedictos; nec aliquis tributariorum vltra moderamina predicta in ipsis litteris patris nostri expressa occasione tributi eosdem angariare, vel munera aut honores aliquos petere siue recipere presumat ab eisdem. Volumus nichilominus et presencium serie committimus, vt predicti mercatores Pragenses et Nurimbergenses tricesimas nostras veras et ab antiquo dari consuetas, prout alij mercatores nostri Regni persoluunt, sic et ipsi persoluere teneantur. Et vt presens nostra innouacio et confirmacio robur obtineat perpetue firmitatis, nec per quempiam successu temporum valeat in irritum reuocari, presentes concessimus litteras nostras priuilegiales duplicis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris domini Nicolai Archiepiscopi Colochensis Aule nostre Cancellarij dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo CCC quinquagesimo septimo, quarto kalendas Augusti, Regni autem nostri anno sexto decimo. Venerabilibus in Christo Patribus et dominis Nicolao Strigoniensi locique eiusdem Comite Perpetuo, et Vgolino Spalatensi Archiepiscopis; Nicolao Agriensi, Demetrio Waradiensi, Dominico Albensis Ecclesie Transiluane, Nicolao Quinqueecclesicusi, Thoma Chanadiensi, Stephano Zagrabiensi, Johanne Wesprimiensi, Colomano Jauriensi, Michaele Waciensi, Petro Boznensi, fratribus Stephano Nytriensi, Thoma Syrimiensi Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Palatino et Judice Comanorum, Andrea Woyuoda Transsiluano, Nicolao Judice Curie nostre, Chyko Magistro Tauarnicorum nostrorum, Nicolao Bano de Machou, Leustachio tocius Sclauonie Banatum tenente, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agasonum nostrorum Thoma Janitorum nostrorum Magistris, ac Symone filio Mauricij Comite Posoniensi, alijsque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán a királynak függő pecsétje alatt, Prága város levéltárában.).

388.

I. Lajos magyar királynak boszniai viszonyra vonatkozó privilegiuma. 1357.

Lodouicus Dei gratia Rex Hungarie fidelibus suis Gregorio et Ladizlao filijs Pauli filij Horuatini, ac Gregorio filio Stepanch nobilibus de Greben et de Dlamuch salutem et graciam. Quia certa relacione percepimus, vos habere propositum ad nos conuertendi: ideo promittimus vobis, vt si dictum propositum vestrum effectui curabitis mancipare, et ad fidelitatem Nobis et Sacre Regni Corone, ac Regine consorti nostre karissime exhibendam conuersi fueritis, tunc omnia castra et possessiones vestras hereditarias et titulo juris hereditarij ad vos pertinentes, vobis confirmabimus irreuocabiliter possidendas, et in vestris conseruabimus libertatibus consuetis, a potestate et jurisdiccione Bani Boznensis vos in perpetuum eximendo, et sub speciali nostra Regia proteccione protegendo et conseruando. Datum in Wyssegrad feria tercia proxima post festum Beati Gregorij Pape anno Domini millesimo CCC. quinquagesimo septimo.

(Eredetie bőrhártyán a királynak hátúl oda nyomott pecsétje alatt, a budai kir. kamarai levéltárban.)

389.

Spaluto és Trau dalmatiai városok I. Lajos magyar király uralma alatt. 1357.

De recessu Spalatensium a dominio Venetorum. Spalatenses videntes se omni die aggressos et damnificatos per Dominum suum naturale, et Dominio cui se submiserant, videlicet Dominio Venetorum, pactis et conventionibus semper

»honore Regni Hungarie Corone salvo«, non posse habere aliquid securum laborerium, nec laborerii fruges recipere; a Venetis nulla erat defensio ac concessio pecuniarum, nullumque iuvamen; cogitaverunt de statu suo bono, et posse reverti ad dominium suum naturale modo quo possent condecentius. Et sine aliquo discrimine et damno, colloquium habentes cum Traguriensibus, caute pensata ordinatione matura, anno a Natiuitate Domini nostri Jesu Christi MCCCLVII. lucescente die Sabbati octavo Julii de nocte congregatis omnibus post Sanctum Domnium, et in ecclesia Beati Domnii, positis custodibus ad vias, quod si quis transierit de stipendiariis Venetorum, captivum ducerent, ne facta ipsorum panderentur, et ne posset venire ad Comitem; qui erat tunc Johannes Quirino; et facta congregatione popularium et bonorum hominum Civitatis, iverunt simul armati ad plateam Sancti Laurentii. Miserunt tunc instanter homines ad portam Pistore ad capiendam bandieram, que stabat prope portam Pistore in domo, vbi ad presens habitant heredes Duymi Rusichi; et alios homines paratos miserunt ad aliam bandieram, que stabat in domo, in qua nunc habitat Clapsius Starouine in Ruga, ubi fuit hasti ludium; et stipendiarii utriusqe bandiere fuerunt omnes capti sine aliqua lesione et percussione, et positi fuerunt in ecclesia Sancti Mathei, et in ecclesia Sancti Thome sub fonte, usque ad tempus, ne posset aliquod fieri discrimen. Et alii Capitanei, qui tunc erant ordinati, iuerunt ad palatium Communis, ubi dominus Johannes Quirino habitabat. Qui Comes audito rumore in platea ad fenestram se opposuit; et cognita voce Madij Miche, qui erat Capitaneus gentium sub palacio, interrogavit: »quid hoc esset? et que gens est ista?« Responsum dedit sibi Madius, quod gens est Spalatina, et Nobiles se volunt dare Dominio suo naturali, claves Civitatis volunt a te habere. Ipse Comes dixit manibus levatis ad celum: »Laudetur Deus.« Hoc dixit eo, quod sciebat ruinam nobilium; quia in brevi spatio preheminentiores Civitatis extrahi debebant de civitate. Et statim apportavit claves Civitatis, et dedit Madio predicto rogans, ut sit nobilibus recommendatus, quia timebat de se et de familia sua. Qui Madius sciens voluntatem omnium Nobilium dixit ei: »Noli dubitare aliquid super caput tuum de per-

sonis, nec de familia, nec de ere tuo; eris honorifice dimissus sine aliqua lesione«. Et sic Comes Johannes remansit tacitus et sine aliqua dubitatione; et subsequenter omnes alii Nobiles de mane die facto affirmaverunt dictum Madii, tanquam bene factum et secundum ipsorum voluntatem. Et sic Nobiles Spalatenses habuerunt Civitatem pro domino Rege Ludovico. Et sicut ante dictum est, quod ordinatum fuit cum Traguriensibus quod insimul ambo fecissent illa nocte sicut Spalatenses fecerunt; et Spalatentes credentes, quod et Tragurienses illa nocte fecerunt — — — — — illa nocte statim miserunt de Spalato unum hominem, qui fuit ante diem in Tragurio notificando, quid fecerant, et quomodo Tragurienses nihil fecerunt propter aliquas ipsorum cogitationes, quas inter se habebant. Expectarunt, quod ipsorum Comes dominus Marcus Bembo exivit de civitate ad missam ad Fratres, sicut erat sue consuetudinis; clauserunt civitatem, et non permiserunt Comitem suum in civitatem reverti. Videns dominus Marcus hanc conclusionem et proditionem sibi factam, cepit viam cum famulis suis versus Spalatum. Tunc aliqui dixerunt sibi, quod Spalatenses hac nocte rebellati sunt a Dominio Venetorum. Et ipse dixit, quod si Spalatenses fecerunt talem proditionem modo, ego fui inter ipsos Comes annis preteritis; et nihilominus volo potius inter ipsos mortuus, quam inter Tragurienses vivus. Et sic properavit viam, et venit Spalatum; qui fuit honorabiliter susceptus ab omnibus nobilibus et civibus Spalati. Et ambo Comites steterunt in Spalato per plures dies, et galee Venetorum tres venerunt hic in portum Spalati, et receperunt ambos Comites, videlicet Spalati et Tragurii; qui Comites a Spalatensibus honore quo decuit, et omni charitate ac humanitate fuerunt de Spalato licentiati. Post hec immediate et sine mora, quam citius potuerunt, Spalatenses miserunt ad dominum Regem Ludovicum Reverendum dominum Hugolinum Archiepiscopum Spalatensem, nobiles et sapientes viros Doimum Bertani, Gregorium Petracche, et Theodosium Leonis; et cum ipsis iverunt plures iuvenes causa honorandi ipsos, et serviendi ipsis. Qui Ambassiatores a Rege Ludovico benigne fuerunt suscepti, et gratiose expediti, cum confirmatione libertatum habitarum a diuis Regibus Hungarie plures alias gratias apportantes ad

propria reversi sunt. Ex quo successivis temporibus Spalatenses sub dominio Regis Ludovici suo tempore vixerunt cum prosperitate et augmento totuis Civitatis satis bene. Dei gratia.

(XV. századi kéziratból; néhai Corrara Ferencz úr közleménye.)

390.

Békesség I. Lajos magyar király és a velenczei köztársaság közt. 1358.

A) Az elöleges tárgyalásokból 1357.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Ad hec fuit pro parte dominorum Venetorum responsum, quod partes non erant super hoc in iudicio, nec ut iudiciario procedere convenerant, imo ut de discordia, que propter hoc erat orta amicabiliter convenirent, et ideo iura ostendere necessarium non erat. Post hec Ambaxiatores prefati petiverunt dominos Venetos, quatenus considerato, quod modicum ante fuerant in Hungaria Ambaxatores eorum pro concordia tractanda cum domino Rege, qui super certis remanserant diferentiis, super quibus ipsorum dominorum Venetorum Ambaxatores dixerunt se nolle, neque potestatem habere firmare seu concedere, que per dominum Regem in Hungaria petebantur, et maxime super libertate Jadrensium. Super quo dominus Rex pacem optans, ne videretur per ipsum remanere, proposuerat Venecias, ubi erat totaliter potestas voluntatis domini Ducis, transmittatur, petentes Ambaxiatores domini Regis supradicti, ut ipsi domini Veneti responderent, postquam de Hungaria veniant, ipsorum intentionem ad petita per dominum Regem in Hungaria, super quibus habere potuerant voluntatem domini Ducis Communis predicti. Ad hec, prefatis Ambaxiatoribus domini Regis Hungarie multipliciter instantibus, quatenus super predictis suam dicerent voluntatem domini Veneti supradicti, nihil habere potuerunt; quia domini Veneti respondebant, quod domini

Hungari peterent quidquid vellent, eisdem bene responderetur per eosdem.

Tunc domini Hungari petiverunt modis satis honestis, per dominos Venetos domino Regi restitui totam Dalmatiam cum omnibus Civitatibus et pertinentiis suis; quam dicebant dominos Venetos indebite possidere, et ad dominum Regem debite spectare. Ad hec pro parte dominorum Venetorum fuit responsum, quod petitio ista erat nimis generalis. Et postquam fuerat orta questio inter dominum Regem et dominos Venetos, sepius fuerat ista petitio facta, que propter ipsius generalitatem nunquam fuerat admissa, et ideo ad specialia et particularia fuerat ipsa petitio reducta. Sed dicebant domini Veneti, quod si volebant domini Hungari tractare super hiis, super quibus in Hungaria tractaverant, erant parati respondere, et animum domini Regis iuxta posse contentare. Ambaxiatores autem domini Regis responderunt, quod non erat expediens tractare super hiis, super quibus in Hungaria tractaverant; quia si dominus Rex fuisset contentus in Hungaria de tractatis et oblatis sibi per dominos Venetos, utique pacem in Hungaria firmasset; sed quia plura volebat a dominis Venetis, quam illa, que fuerant sibi oblata in Hungaria; igitur ambaxiatores suos miserat Venecias, maxime quia dum in quadam petitione tractatus Hungarie nollet dominus Rex contentari, Ambaxiatores dominorum Venetorum responderunt se super hoc potestatem non habere.

Super hiis facta inter partes aliquali altercatione, dominis Venetis nolentibus in effectu aliter respondere, Ambaxiatores domini Regis predictam suam generalem petitionem restrinxerunt ad sex civitates de omnibus civitatibus, castris et insulis Dalmacie, dicentes, quod si predicta domino Regi darentur, erat contentus de istis, et perpetuam pacem firmare cum eisdem, et amicum haberent pro amico et inimicum pro inimico, et obmittetur velle, quidquid fuerat per Ambaxiatorem dominorum Venetorum in Hungaria oblatum domino Regi. Verum quod in sex Civitatibus predictis, que erant: Jadra, Nona, Spalatum, Scardona, Sibenicum et Tragurium; Jadra et Nona civitates predicte libere petebantur, pro parte dominorum Venetorum fuit responsum, quod licet pacem op-

tarent cum domino Rege, tamen dominium Jadre et None a se nollebant ullatenus abdicare ; sed si de civitatibus predictis contentari vellent Ambaxiatores domini Regis modo in Hungaria raciocinato, erant parati pacem firmare, sed illas duas civitates domino Regi libere dare ullo modo facerent neque possent, quia hoc esset eis intollerabile. Tunc Ambaxiatores domini Regis Hungarie multum honeste respondebant, quod si primam petitionem per eos factam non admiserant, videlicet de tota Dalmacia, quia generalem nimis, et secundam de dictis Civitatibus non admittebant, quia intollerabilem; petebant ipsos dominos Venetos, quatenus dicerent ipsi, quod domino Regi facere vellent. Pro parte autem dominorum Venetorum respondebatur, quod ubi domini Ambaxiatores Hungarie tractare vellent super articulis, super quibus in Hungaria tractabant, et differentiis eorumdem ; parati erant tractare, et iuxta eorum posse dominum Regem super hiis facere contemptari. Ad hec Ambaxiatores prefati respondebant, quod ullatenus spe vana deciperentur domini Veneti; quia dominus Rex plura intendebat habere ab ipsis, quam sibi in Hungaria oblata fuissent, eo quod si ibidem de oblatis contentus fuisset, pacem firmasset, sed quia contentus non fuerat de oblatis, ideo pacem non firmavit.

Et sic super hiis aliquibus diebus partes steterunt, instantibus dominis Ambaxiatoribus prefatis, ut postquam petitiones ipsorum generales et particulares non admittebantur, saltem offerretur per dominos Venetos quicquid placeret. Qui domini Veneti curialibus semper verbis se semper referebant ad predicta. Tandem Ambaxiatores domini Regis, ulterius habere non valentes a dominis Venetis, dixerunt ad species discedere velle, et super VII firmare pacem articulis suprascriptis

Videlicet quod petiverunt primo Spalatum, seu Traguriensem, Sebenicum, Scardonensem ac Nonam civitates de Regno Dalmacie, que per dominum Ducem detinentur, domino Regi libere restitui. Ad quam primam petitionem responsum fuit per dominos Venetos, quod contentabantur, quod Spalatenses, Traguriensés et Scardonenses ac Sibinicenses ad dominium domini Regis deveniant modo et forma in Hungaria

raciocinatis; sed dominium None omnino intendunt retinere modo declarando in responsione, que sequitur.

Secundo petiverunt domini Hungari, quod pro civitate Jadre ac toto alio Regno Dalmacie, quod possidetur per dominos Venetos, recognosceretur possidere per dominum Ducem a domino Rege, cui in signum recognitionis certum quod daretur singulis annis in certo loco; et quod Civitas Jadre cum omnibus insulis et pertinentiis reintegraretur ad statum, in quo erat tempore mote guerre. Et quod castrum edificatum in civitate Jadre destrueretur. Ad quod fuit responsum, quod pro Nona, Jadra et alia Dalmacia, et pro iuribus, que dominus Rex habet in ipsis, si qua habet, quod tamen dominus Dux non confitetur, est paratus ipse dominus Dux, salvo tamen iure suo ac sine preiudicio iuris, quod habet in ipsis, singulis annis dare in tali loco et termino domino Regi tale quod. Et de istis intelligatur de hiis, que fuerunt in Hungaria declarata. Reintegracionem quoque Civitatis Jadrensis cum insulis et pertinentiis aliis, quoad illa, que destructa sint per guerram, solus Deus facere posset. Castrum autem non destrueretur, quia esset preiudicio Civitatis, que de voluntate domini Regis et etiam Jadrensium presuponitur debere apud dominum Ducem remanere.

Tercio petiverunt Hungari, quod cives Jadrenses adherentes et sequaces domini Regis, ad civitatem Jadrensem libere reintroducerentur, remissis iniuriis et bonis eorum restitutis, et que Civitas et cives servarentur in libertatibus et pactis factis et initis inter dominos Venetos et Jadrenses tempore Bani Mladini. Ad istam terciam petitionem responsum fuit, quod dominus Dux omnes Jadrenses extrinsecus permittet ad ciuitatem Jadrensem intrare et ibidem habitare in perpetuum, ipsosque recipiet ad gratiam et amorem suum, ac eis restituet bona et possessiones suas, eos tractabit dulciter et benigne sicut facit alios cives suos, iurantibus ipsis fidelitatem domino Duci et perseverantibus in fidelitate, et omnes iniurie et offense eis remittentur, et libertates, in quibus declarabit cives prefatos, declarabuntur in alia cedula.

Quarto petiverunt, quod dominus Dux suis expensis daret duo corpora galearum domino Regi per unum annum

in guerra, quam facere intendit dominus Rex contra sismaticos Raxie. Ad istam quartam petitionem responsum fuit, quod si contingat, dominum Regem Huugarie ire contra Regem Raxie cum cruce, dominus Dux sibi dabit corpora galearum cum coredis suis et aliis fulcimentis, et stipendium pro armando ipsas pro sex mensibns.

Quinto petiverunt centum milia florenos pro expensis factis per dominum Regem. Ad istam quintam petitionem fuit responsum, quod domino Regi XL milia florenos infra talem terminum faciet dominus Dux assignare integraliter et perfecte.

Sexto petiverunt per dominum Ducem dari X galeas per unum annum suis expensis domino Regi, si eum contingat sepulcrum dominicum manu armata velle visitare. Ad istam sextam petitionem fuit responsum, quod si fiet passagium generale ex ordinatione domini Summi Pontificis, dominus Dux X galeas mittet ad dictum passagium, si dominus Rex illuc personaliter ibit, et dominus Papa modum inveniat, quod expensa possit fieri pro galeis et armatura ipsarum.

Septimo potiverunt, adherentes et sequaces domini Regis in pace includi. Ad quam septimam petitionem responsum fuit, quod omnes illi, qui fuerunt adherentes domini Regis, in pace includentur.

Obtulerunt insuper domini Ambaxiatores predicti propter predicta restituere velle occupata per dominum Regem in Comitatu Tarvisino et Cenetense, et velle habere amicum pro amico et inimicum pro inimico, salvo honore domini Supremi Pontificis et Sancte Matris Ecclesie. Et predictam dixerunt eorum et domini Regis Hungarie Ambaxiatores ultimam et finalem esse intentionem et etiam domini Regis antedicti. Ad hec pro parte dominorum Venetorum fuit responsum, quod considerato, quod alias et maxime nunc ultimo in Hungaria fuerant diversi tractatus habiti super concordia, super qua deventum non fuerat ad petitiones ita altas et magnas; credebant, quod considerata domini Regis constantia, petitiones predicte non essent faciende, nec poterant ullo modo per ipsos admitti, quia eis intollerabiles erant. Unde si super hiis insistere vellent totaliter, non erat expe-

diens ulterius tractare super ipsis, quia erat perditio temporis. Sed ubi vellent petitiones ipsas reducere domini Hungari ad formam in Hungaria petitam, parati erunt domini Veneti respondere, et super hiis tractatum facere. Et domini Hungari respondebant, ut prius, quod pro domino Rege plura volebant et maiora quam sibi in Hungaria fuissent oblata.

Finaliter domini Hungari videbantur contenti: Quod Spalatenses, Sibinicenses, Scardonenses et Tragurienses Civitates domino Regi restituerentur; et quod Nona recognoscatur a domino Rege pro certo quo annuo; et quod pro Jadra et alia Dalmatia certum quod daretur domino Regi certis monetis; et quod duas galeas darent domino Regi, ut supra, per unum annum, et centum millia florenos pro expensis, et servicio illarum X galearum; ita quod Jadra et alia Dalmatia remanerent dominis Venetis, dummodo Jadrenses in illis libertatibus tempore Bani Maladini concessis contentarentur.

Nobiles autem de Jadra exhibuerunt trascriptum predictarum libertatum. Et quia libertates ipse non placebant dominis Venetis, Jadrenses pacem optantes, libertates ipsas restrinserunt, et maxime quoad electionem Comitis et salarium ipsius, de quo etiam domini Veneti non visi contenti, ipsi nobiles etiam restrinserunt, de qua restrintione domini Veneti et Jadrenses insimul convenerunt, salvis quatuor: Primum videlicet, quod Jadrenses volebant castrum destrui, et custodiam Civitatis apud se habere, et insulam Pagi, nec gravari custodia aliquali, sicut nec fiebat ante presentem guerram. Et finaliter dicti Jadrenses, dominis Venetis multipliciter instantibus, quod castrum non destrueretur, consenserunt, quod castrum principaliter deberet remanere, ita quod principaliter tres remanserunt differentie sole; scilicet super custodia civitatis apud se habere, et insula Pagi, et pro expensis faciendis pro custodia castri non gravari. Super quibus nullatenus potuerunt concordare, quia omnino domini Veneti volebant habere custodiam civitatis, et Jadrenses insulam Pagi, sicut habebant ante motam guerram. Obtulerunt tamen Jadrenses XV nobiles pro obsidibus in Venetiis moraturos pro securitate eorum, si castrum vellent destruere, et custodiam civitatis eis dimittere. Petentes insuper dicti nobiles

Jadrenses, quod si usque ad decem nobiles Jadrenses ex estrinsecis, qui volent intrare sub illis pactis, quod remissis iniuriis uti possiut ubilibet in terris dominorum Venetorum, ita tamen quod eis solvatur precium possessionum suarum, sicut valebant tempore mote guerre. Domini autem Ambaxiatores libenter ultimatam responsionem et intentionem dominorum Venetorum super quibuslibet articulis ex predictis petitis per eosdem libenter habuisse voluissent. Sed hoc dicti Veneti nullatenus facere voluerunt, nisi ut supra fecerant, asserentes quod frustra declararent alias responsiones et aliam ulterius voluntatem eorum, nisi responsionem et intentionem haberent dominorum Hungarorum et Jadrensium super articulis et differentiis antedictis. Ambaxiatores autem predicti in Venetiis super factis Jadrensium concordare non volentes cum domino Duce in discussis et in determinatis aliis principalibus articulis pertinentibus ad dominum Regem, licentiam recedendi receperunt; qua habita, Paduam venerunt, ubi habebant equos suos, versus Hungariam intendentes prosequi iter suum.

Accedentibus igitur Ambaxiatoribus predictis Paduam, Reverendus pater dominus Paretensis Episcopus etiam Paduam accessit, et Dominus Civitatis Padue voluit scire causas, propter quas concordia remanserat, ab Ambaxiatoribus antedictis. Vnde cupiens partes iterato ad concordiam reducere, Vicarium suum cum certis aliis militibus de confidencia Ambaxiatorum domini Regis Venetias destinavit. Et dominus Paretensis Episcopus reversus fuit cum eisdem. Nuncii autem Domini Civitatis Padue predicti presente domino Paretense Episcopo inter cetera domino Duci, dixerunt Ambaxiatoribus domini Regis Hungarie, qui in discordia recesserant de Venetiis, Paduam applicuisse ad Hungariam reverti volentes. Cum autem ipse ob honorem partium optaret pacem et concordiam, et etiam pro suo commodo, quia vicinus est, ubi dominis Venetis placeret sibi notificare differentias, in quibus tractatus concordie remanserat cum Ambaxiatoribus antedictis, ipse erat paratus laborare cum Nunciis Apostolicis, ut super differentiis ipsis partes concordaret, et propterea Ambaxiatores domini Regis remanere faceret per aliquos dies. Domini Veneti, qui videbantur dolere, quod pax facta

non fuerat, gratam habuerant Ambaxiatam Domini Civitatis Padue; sed quadam usi cautela nec verbo dicere, nec in scriptis dare voluerunt Ambaxiatoribus predictis Domini Paduani articulos habitos super tractatu concordie, nec differencias easdem, sed responderunt, quod per nuncios suos, quos Paduam destinarent, Domino responderent Paduano. Et sic Ambaxiatores domini Padue de Venetiis Paduam sunt reversi.

Post hec Cancellarius dominorum Venetorum Paduam venit cum duobus Notariis asserens, quod per dominum Ducem fuerat missus ad Dominum Civitatis Padue causa narrandi sibi totum tractatum habitum super concordia fienda inter dominum Regem Hungarie et dominos Venetos; protestans, quod nichil aliud habebat in mandatis causa predicta referendi et audiendi, formandi aliquid de tractatu, conveniendi super differentiis aliquibus et concludendi in aliquo potestatem sibi fore asserens totaliter interdictam. Quod Dominus Padue Ambaxiatoribus domini Regis minime notificare curavit, quia ipsi credidissent se delusos. Erant enim Ambaxiatores domini Regis tunc optime dispositi ad pacem firmandam, quia eos penitebat, quod in Venetiis alium modum non servaverant in eorum tractatu, quia videbatur eis errasse, quod indiscussis totaliter negotiis propter discordiam negotiorum Jadrensium de Venetiis recessissent; et imo dicebant expresse Ambaxiatores domini Regis, quod ubi concordare possent super principalibus negotiis tangentibus dominum Regem, scilicet super facto Dalmacie, quam partem videlicet dominus Rex deberet habere, et que pars remaneret dominis Venetis et sub qua condictione, quia propter hoc principaliter orta est guerra, Ambaxiatores domini Regis prefati, si super hoc concordare possent, super aliis accessoriis, si concordiam habere non valerent, erant parati treuguam prorogare per mensem, et unum ex ipsis Ambaxiatoribus mittere ad dominum Regem alio hic expectante, ut dominus Rex eis licentiam daret concordandi super accessoriis antedictis. Sed Jadrenses, qui erant in Ambaxiata, hic usi fuerunt magna cautela. Conati omnium fuerunt in Venetiis, obmissis negotiis principalibus tangentibus Dominum, negotia ipsos Jadrenses tangentia facere usque ad ultimam limam ruminari. Et in tantum, quod super factis

[illegible] Jadrenses ex estrin- [illegible] qui remissis iniuriis [illegible] Venetorum, ita ta- [illegible] suarum, sicut [illegible] autem Ambaxiatores [illegible] dominorum [illegible] ex predictis petitis per [illegible] dicti Veneti nul- [illegible] fecerant, asserentes [illegible] et aliam ulterius [illegible] intentionem haberent [illegible] super articulis et [illegible] autem predicti in Vene- [illegible] non volentes cum do- [illegible] aliis principalibus [illegible] Regem, licentiam rece- [illegible] Paduam venerunt, ubi habebant [illegible] intendentes prosequi iter suum. [illegible] Ambaxiatoribus predictis Paduam, [illegible] Episcopus etiam Pa- [illegible] Civitatis Padue voluit scire cau- [illegible] remanserat, ab Ambaxiatoribus [illegible] iterato ad concordiam redu- [illegible] aliis militibus de confidencia [illegible] Regis Venetias destinavit. Et domi- [illegible] reversus fuit cum eisdem. Nuncii [illegible] Padue predicti presente domino Pa- [illegible] cetera domino Duci, dixerunt Amba- [illegible] Hungarie, qui in discordia recesse- [illegible] applicuisse ad Hungariam reverti [illegible] ob honorem partium optaret pacem [illegible] pro suo commodo, quia vicinus est, [illegible] placeret sibi notificare differentias, in [illegible] concordie remanserat cum Ambaxiatoribus [illegible] paratus laborare cum Nunciis Apostoli- [illegible] ipsis partes concordaret, et propter [illegible] domini Regis remanere faceret per [illegible] Veneti, qui videbantur dolere, [illegible]

non fuerat, gratam habuerant Ambaxiatam Domini Civitatis Padue; sed quadam usi cautela nec verbo dicere, nec in scriptis dare voluerunt Ambaxiatoribus predictis Domini Paduani articulos habitos super tractatu concordie, nec differencias easdem, sed responderunt, quod per nuncios suos, quos Paduam destinarent, Domino responderent Paduano. Et sic Ambaxiatores domini Padue de Venetiis Paduam sunt reversi.

Post hec Cancellarius dominorum Venetorum Paduam venit cum duobus Notariis asserens, quod per dominum Ducem fuerat missus ad Dominum Civitatis Padue causa narrandi sibi totum tractatum habitum super concordia fienda inter dominum Regem Hungarie et dominos Venetos; protestans, quod nichil aliud habebat in mandatis causa predicta referendi et audiendi, formandi aliquid de tractatu, conveniendi super differentiis aliquibus et concludendi in aliquo potestatem sibi fore asserens totaliter interdictam. Quod Dominus Padue Ambaxiatoribus domini Regis minime notificare curavit, quia ipsi credidissent se delusos. Erant enim Ambaxiatores domini Regis tunc optime dispositi ad pacem firmandam, quia eos penitebat, quod in Venetiis alium modum non servaverant in eorum tractatu, quia videbatur eis errasse, quod indiscussis totaliter negotiis propter discordiam negotiorum Jadrensium de Venetiis recessissent; et imo dicebant expresse Ambaxiatores domini Regis, quod ubi concordare possent super principalibus negotiis tangentibus dominum Regem, scilicet super facto Dalmacie, quam partem videlicet dominus Rex deberet habere, et que pars remaneret dominis Venetis et sub qua condictione, quia propter hoc principaliter orta est guerra, Ambaxiatores domini Regis prefati, si super hoc concordare possent, super aliis accessoriis, si concordiam habere non valerent, erant parati treuguam prorogare per mensem, et unum ex ipsis Ambaxiatoribus mittere ad dominum Regem alio hic expectante, ut dominus Rex eis licentiam daret concordandi super accessoriis antedictis. Sed Jadrenses, qui erant in Ambaxiata, hic usi fuerunt magna cautela. Conati omnium fuerunt in Venetiis, obmissis [illegible] palibus tangentibus Dominum, nego[illegible] ad ultimam limam [illegible]

eorum, ut predictum est, negotiis Regiis indiscussis, Ambaxiatores de Venetiis recesserant; unde perpendebant, hoc ipsos Ambaxiatores ferre moleste, et videbant, quod a dominis Venetis habere non poterant ipsi Jadrenses quod optabant, et videbant dominos Hungaros dispositos ad pacem, si concordare possent super articulis tangentibus dominum Regem. Et ideo Jadrenses, quia in eorum articulis nullatenus habere poterant quod volebant, pacem nolebant; et dolebant, quod negotium remaneret in tali statu, quod probabile appareret concordiam remansisse propter Jadrensium negotia. Et imo audito Cancellarii dominorum Venetorum adventu, cauteloxe subgesserunt, ut articulis ipsorum non firmatis, procederetur ad examinandum articulos tangentes principaliter dominum Regem.

Convenientibus autem coram Domino Civitatis Padue Ambaxiatoribus domini Regis et Cancellario dominorum Venetorum, presentibus domino Paretense et Firmano Episcopis, volens Dominus Padue concordare differencias antedictas, super quibus remanserant discordes in Venetiis, partes posuerunt se propter cautelam supradictam ad examinandum primum articulum principalem, videlicet de relasatione illarum quatuor Civitatum fienda domino Regi, et de restitutione illorum castrorum, que detipnentur per dominum Regem, fienda domino Duci; et super illo articulo concordare non volentes ex causis superius descriptis, sepius recesserunt in discordia, unde domini Ambaxiatores iverunt versus Hungariam ad castra, que detipnentur per dominum Regem in Comitatu Tarvisino, et Cancellarius dominorum Venetorum ivit Venetias, et Reverendus pater dominus Paretensis Episcopus Venetias fuit reversus, ubi invenit cocham seu navim, cum qua alias in Constantinopoli voluerat ire, recessisse. Igitur expensis suis apreciavit unum lignum causa eundi in Constantinopolim.

Episcopus autem Firmanus remansit Padue, et associando Ambaxiatoribus domini Regis, dum de Padua recederent, obtinuit per ipsos in scriptis redigi omnem finalem intentionem ipsorum super omnibus articulis tractatus et modis tenendis ad executionem ipsorum, quod nunquam domini Hungari nec in Hungaria nec in Venetiis facere voluerant. Et ut maior fides illi scripture daretur, unus ex Ambaxiatoribus

domini Regis agendis prepositus, videlicet se subscripsit propria manu; asserentes ipsi Ambaxiatores, quod si super predictis per eos scriptis responderetur totaliter, erant parati pacem firmare; et si super omnibus non plene responderetur, utpote accessoriis, si super principalibus tangentibus dominum Regem taliter responderetur, quod dominus Rex posset omnino contentari, unus eorum iret in Hungariam et alter remaneret, et treugua prorogaretur per mensem, quousque veniret responsio domini Regis, cui intendebant taliter persuadere, quod sperabant pacem totaliter formari.

Cum predicta cedula sic subscripta reversus fuit Episcopus Firmanus Paduam, quem post modicam horam dominus Gregorius Custos Varadiensis Decretorum Doctor fuit secutus. Qui quidem Custos licet non esset principalis Ambaxiator, tamen quia Consiliarius domini Regis fuerat in istis tractatibus, et dixit dicto Episcopo Firmanensi, quod quia Ambaxiatores ipsi in campo et in itinere predictam cedulam subscripserant, non potuerant eam ad plenum examinare. Ideo ipsam examinandam, corrigendam et declarandam commiserant sibi domini Ambaxiatores predicti; et quod responsionem dominorum Venetorum expectarent Ambaxiatores domini Regis in castris, que detipnentur per dominum Regem per duos dies.

Episcopus Firmanus cum dicta cedula et cum Vicario Domini Civitatis Padue ivit Venetias, ubi erat Reverendus pater dominus Paretensis Episcopus, et exposito negotio dicte cedule domino Episcopo prefacto, ipse dominus Episcopus Paretensis, Vicarius domini Padue, et Episcopus Firmanus iverunt ad dominum Ducem, quem invenerunt in quodam Consilio certorum Nobilium forte numero quadraginta deputatorum ad providendum super guerra. Qui dominus Dux voluit, quod illis presentibus exponeretur factum cedule; et etiam exposita, super quo dominus Dux cum Nobilibus antedictis aliquali habito consilio, responsionem fecit talem: quod pacem semper optaverunt et optant; et ubi placeret Ambaxiatoribus domini Regis tractare et procedere super hiis, que dicta et proposita Venetiis erant, dominus Dux cum suo Consilio si-

32*

militer tractare et procedere erat in tractatu paratus, et alia responsio haberi non potuit.

Erant enim domini Veneti in magna preplesitate positi, quia finis treuguarum instabat, et pacem non habebant; et inter eos opinio erat divulgata, quod Ambaxiatores domini Regis non venissent causa firmandi pacem, sed causa investigandi de voluntate ipsorum. Et hoc ex quadam presupositione tenebant propter modos servatos semper in isto tractatu ubique per partem dominorum Hungarorum; pluribus enim vicibus convenerant partes ad tractandum, et in principio semper illa per dominos Hungaros petebantur, que sciebant sibi non concedi, et que fuerant semper denegata; et licet in tractatibus ipsis descensum fuerit ad articulos et species, si in uno tractatu propter certas differencias non conveniebant, et tractatus ipse continuabatur super differenciis, ipsi domini Hungari in principio tractatus non se ponebant ad concordandum differencias, sed petebant a principio ac si se nunquam vidissent. Et sic domini Veneti talem opinionem habentes crediderunt nunc ultimo in facto istius cedule, sicut crediderunt in aliis, dicentes : si respondebimus ad cedulam articulatim nostram intentionem, ipsi pacem non firmabunt, et ideo aliter respondere noluerunt, quam ut supra dictum est. De quo non dubito dolebunt, imo iam dolent; quia si respondissent, saltem super principalibus, super quibus est satis modica differentia, aut Ambaxiatores domini Regis firmassent pacem, aut treuguas prorogassent, quousque uterque ipsorum ivisset ad consulendum et subgerendum domino Regi de pace.

Dicta responsio facta per dominum Ducem ad cedulam suprascriptam fuit missa dictis Ambaxiatoribus, qui erant in Corneglano ipsam expectantes, qui per suas litteras responderunt, quod gratias Deo referebant, quod dicta evenisse dignoscebantur sic (ut) ipsi cogitaverant, postquam de Venetiis recesserant, quia facta Venetorum non erat nisi seduccio temporis et delusio amborum. Ideo aliud non respondebant nisi quod cum acceleratione iter arreptum peragentes Deo dante exitum rei Deo — — — permittentes. Et hec responsio per dictos Ambaxiatores data fuit die quinta mensis Aprilis in Corne-

glano, quam recepit Episcopus Firmanus die sexta prefati mensis Aprilis.

(XIV. századi kézirat az udinei tartományi levéltárban.)

B) I. Lajos magyar királynak a megkötött békességről kiadott okmánya. 1358.

Lodovicus Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Bulgarie, Comanieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus vniuersis Christi fidelibus presentes nostras litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Rex pacificus pro redemptione generis humani de suppremis celorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem, Dominus noster Jesus Christus post gloriosam resurrectionem suam ascensurus ad patrem, pacem, que caritatis est vinculum, in suo natali glorioso celestium agminum multitudine nunciatam suis prebuit fidelibus, et reliquit sibi subditos pacis instruens amatores, ut relegato odio fraterne invidie amor regnaret, et quod novercha discordia seiunxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad vniuersorum noticiam presentium litterarum serie volumus pervenire, quod cum inter quosdam predecessores nostros illustres Reges Hungarie et nos demum ex una parte, ac inclitos Duces et Commune Veneciarum ex altera, procurante hoste antiquo humani generis inimico, multe discordie, rixe, contentiones, derobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orte fuissent temporibus retroactis occasione Regni Dalmatie, quam iidem Duces et Commune ab olim tenuerant et tenebant; tandem inclitus dominus Johannes Delphyno Veneciarum Dux et tota Communitas Civitatis antedicte post quamplures ambaxatas factas hinc inde, honorabiles viros Petrum Trivisanum et Johannem Gradonico ac Benintendi Ducatus Veneciarum Cancellarium, cives Civitatis prelibate, ad nos cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti manu scripti Raphayni de Carisinis Publici auctoritate Imperiali Notarii et Ducatus Veneciarum Scribe sub millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo die vigesimo octavo mensis Novembris, decime indictionis, dum in Civitate nostra Jadre fuissemus, transmiserunt, et nos declaratis ipso-

rum voluntatibus ad perpetue pacis et concordie vinculum amicabiliter invitarunt per eosdem. Nos igitur, qui cum Christianis quibuslibet, et potissime cum Venetis antiqua amicitia Regno nostro coniunctis, pacem optavimus et optamus, ad infrascriptam pacem et concordiam, Deo propicio perpetuo duraturam, devenimus cum eisdem in hunc modum, videlicet: Quod idem Dux et Communitas Veneciarum, et in eorum personis ac vice et nomine eorundem Ambaxatores, Nuncii, Procuratores et Sindyci prelibati, habentes ad infra dicenda plenam et liberam potestatem vigore instrumenti iam dicti, quod penes nos retinuimus ad cautelam, contenti fuerunt renunciare et effectualiter renunciaverunt de facto in manibus nostris, nostro et successorum nostrorum Regum nomine, toti Dalmacie, a medietate scilicet Quarnerii usque ad confines Duracii, omnibus civitatibus, terris, castris, insulis, portubus et iuribus, que habuissent et tenuissent, et habebant et tenebant in eisdem quoquo modo, et specialiter Civitatibus None, Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati et Ragusii in terra firma existentibus; item Civitatibus et terris Obseri videlicet et Chersi, Vegle, Arbi, Pagi, Brachie, Lesine et Cursule, cum insulis et omnibus utilitatibus et pertinenciis earundem, ac titulis Dalmatie et Croatie, quibus uti consueverant Duces antedicti, et totum ipsorum ius et dominium ac proprietatem, si quas habuissent, in nos et successores nostros sponte, deliberate et animi maturitate transferentes; renunciantes insuper omni actioni et omni iuris et legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possent contra predicta vel predictorum aliquod se iuvare, et promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro se et dictis Duce et Communi corporaliter prestiti de ipsa Dalmacia, civitatibus, terris, castris, locis, insulis, iuribus et titulis ac ipsorum dominio seu possesione nullo unquam tempore per se vel per alios se intromittere vel aliquatenus impedire usque confines antedictos. Obligantes se, omnes Civitates, Terras, Castra, loca, portus, insulas atque iura infra dicta confinia existencia, que sunt pro nunc in mera potestate ipsorum, libere, pure et simpliciter nobis vel quem ad hoc deputaverimus absque omni dolo sive fraude infra spacium viginti duorum dierum a tempore date litterarum presentium resi-

gnare. De terris autem et locis, que in ipsorum potestate non essent, sed regerentur per Rectores eorundem, revocare et extrahere quoslibet Rectores et Officiales et gentes quaslibet eorum nomine ibidem residentes, et quod eis in posterum contra nos vel nostros aliquod auxilium vel iuvamen non dabunt; supplicantes ex nunc, quod ipsas civitates, terras, castra et loca, cum ad nostram obedientiam devenerint, dignaremur sub favoribus et graciis nostris recipere, sicut soliti sumus esse aliis gratiosi. Et versa vice nos volentes ipsos Ducem et Commune habere perpetuo in amicos carissimos, promittimus, quod omnes Terras, Castra et loca, quas ipsi seu eorum subditi et sequaces tenebant in partibus Tarvisii et Cenite ac Istrie seu alibi, que ad nostras manus devenissent, vel nostrorum et nomine nostro tenerentur aut nostrorum, sibi et dictis suis subditis et quorum erant faciemus tradi, restitui et libere assignari infra terminum vigintiduorum dierum predictorum, seu quibus duxerint deputandos; nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per nos, successores nostros vel alios nos intromittemus vel impediemus; renuntiantes ac in eos transferrentes omne ius, si quod acquisivissemus in eis. Ita tamen, quod ipsas terras, castra et loca et subditos earum, nec non omnes amicos, adherentes et sequaces nostros, tam nobiles quam ignobiles tractent dulciter et benigne, remissis omnibus iniuriis et offensis, et sicut faciebant ante novitates presentis guerre, et sicut si nobis nunquam adhesissent; et e converso nos promittimus facere et servare de omnibus amicis, adherentibus et sequacibus suis tam nobilibus quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur et ex nunc remisse intelligantur omnes offense, iniurie et damna preterita, non intelligendo debita quibus sibi invicem tenerentur speciales persone, de quibus fiat iusticia hinc inde. Item quod bona fide prohibebimus et ordinabimus cum effectu, quod in aliqua terrarum seu insularum aut locorum, que perventure sunt ad nostrum Dominium, et que iam pervenerunt, non armabitur in cursum, neque exercebitur piratica seu damnum aut violentia aliquibus navigantibus, nec receptabuntur in eorum portubus cursarii et malefici, sed pocius turbabuntur et arcebuntur, sicut decet Regiam

justiciam et honorem; et e converso in eorum terris et insulis ipsi promiserunt se facturos illud idem. Preterea promittimus verbo nostro Regio, universos et singulos cives, subditos et fideles ipsius domini Ducis et Communis Veneciarum venientes ad terras, portus et insulas et loca queque subdita presentialiter et in futurum Maiestati Nostre, haberi facere salvos et securos cum personis, bonis et navigiis atque rebus eorundem; quod secure et quiete possunt ire, stare et redire ac transire per dictos portus, terras et loca cum navigiis, personis et mercimoniis suis; ymo ipsos tractabimus et tractari volumus dulciter et benigne sub favore et gratia nostra; et e contra idem dominus Dux et Commune tractabit nostros tali vinculo interiecto in predictis omnibus et singulis. Quod si parcium aliqua huic ordinationi et dispositioni, concordie atque paci niteretur contraire, et eam infringere vel violare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de hiis, que renunciata sunt, occupando vel aliter paci contrafaciendo, extunc pars altera id Sedi Apostolice intimare debeat, et dominus Papa vigore omologationis et potestatis date per nos et per ipsos tenore presentium litterarum teneatur et velit infra spacium unius mensis simpliciter et de plano absque strepitu et figura Judicii, solum recepta fide et certificatione violationis et infractionis antedicte, in personas vel Communitatem contrafacientem sententias, videlicet interdicti et excommunicationis proferendo, a qua nullatenus absolvantur, donec per partem predictam infrangentem vel infrangere procurantem parti alteri observanti satisfiat, prout erit iustum, illum vel illos nichilominus denunciando fidefragos et periuros. Si autem aliqua damna vel iniurie aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutri, ex tunc per nos vel nostros Officiales locorum ipsorum et Rectores pertinentibus ad eosdem, et per ipsos vel eorum Rectores et Officiales, pertinentibus ad nos, infra spacium unius mensis a tempore deposite querele plenaria satisfactio impendatur; nec per hoc ordinatio et dispositio, concordia et pax intelligantur violate, sed in sua firmitate debeant permanere, ad que nos et ipsi spontanea nos obligamus voluntate. Premissa autem omnia et singula cum infrascriptis nostris Baronibus et Proceribus

Regni nostri iuravimus ad sacrosanta Dei evangelia tactis scripturis, per nos et successores nostros et omnes pertinentes ad nos inviolabiliter et integraliter observare, et non contrafacere vel venire per nos vel alios de iure vel de facto, directe vel indirecte, palam vel occulte, quovis ingenio vel colore, sub indignatione Dei Omnipotentis et Omnium Sanctotorum suorum; et similiter dicti Ambaxatores et sindici nomine ipsorum Ducis et Communitatis et successorum eorum et pertinencium ad eos in eorum animas solemniter iuraverunt, presentium sub Nostre Maiestatis testimonio litterarum. Nomina autem Baronum nostrorum, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec : dominus Stephanus Episcopus Zagabriensis; dominus Petrus Episcopus Bosnensis; dominus Ladislaus Electus Vesprimiensis; dominus Baudonus Cornuti Prior Aurane; dominus Nicolaus Judex Curie nostre; dominus Johannes Banus Dalmacie et Crohacie; dominus Nicolaus Magister Tauarnicorum Reginalium; dominus Stephanus Comes de Posaga et de Zala, dominus Leuchus Magister Dapiferorum et Pincernarum nostrorum; dominus Stephanus Comes Castellanus de Vilagusforti; dominus Dominicus Castellanus de Dragun Comes Huntensis; dominus Nicolaus Secretarius Notarius noster; dominus Gillelmus Consiliarius noster; dominus Franciscus de Georgio miles, Prelati, Barones et Consiliarii nostri. Datum Jadre in Monasterio Sancti Francisci Ordinis Fratrum Minorum, in sacristia Ecclesie sue. Presentibus venerabili viro domino Gregorio Custode Varadiensi Decretorum Doctore, domino Nicolao filio condam domini Stephani Voyvode, domino Bonifacio de Lupis milite Parmensi, Chetho de Leone cive Paduano, et provido viro ser Bartholomeo Urso Notario Ducatus Veneciarum, testibus rogatis et aliis. Anno Domini MCCCLVIII. indictione XI. die dominico XVIII. mensis Februarii feliciter Amen.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 396. sk. ll.)

C) I. Lajos magyar királynak ezen békességről, a mennyiben a szövetségeseket illeti, kiadott okmánya. 1358.

Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie etc. Cum in guerra et discordia, quam dudum olim habuimus cum domino Duce

et Communitate Venetiarum, de qua Divina disponente Clementia ad pacis unitatem et amicitiam duraturam perpetuo devenimus cum eisdem, plures et plures nobis adheserint contra eos, et specialiter infrascripti, videlicet: Reverendus in Christo pater dominus Nicolaus Aquilegensis Patriarcha; Magnifici domini Franciscus de Carraria Dominus Padue; Albertus et Maynardus Comites Gorricie; venerabilis Pater Gaspertus Episcopus Cenetensis; et nobiles viri Biachinus de Porciliis, Franciscus della Parte, nobiles de Vonico, Guezellonus de Camino; et Magnifici viri Comites de Collalto; item Civitates Imperiales domino Patriarche commisse, videlicet Feltrum et Bellunum, cum predictorum omnium et singulorum adherentium et sequatium nostroram Civitatibus, Castris, terris, villis, possessionibus, subditis, servitoribus, subiectis et sequacibus, districtualibus ac omnibus aliis, qui in guerris, quas habuimus cum dicto domino Duce et Communi, nobis quomodolibet adhesissent vel adhesisse declararentur; et versa vice aliqui eis adheserint contra nos, et specialiter infrascripti, videlicet Vlricus de Bayfimberg et Colentim, et si qui alii adhesissent vel adhesisse declararentur. Idcirco volentes, ut dicta pax et concordia sincere perficiatur et fiat, quodque removeantur de medio cuncta scrupula et errores, qui eam possent quomodolibet perturbare cum predictis domino Duce et Communitate, seu cum honorabilibus viris dominis Petro Trivisano, Johanne Gradonico et Beneintendi Ducatus et Communis Veneciarum Cancellario, Ambaxatoribus et Syndicis suis habentibus ad hoc plenum mandatum, sicut constat publico instrumento scripto manu Raphayni de Carisinis Publici Imperiali auctoritate Notarii et Ducatus Veneciarum Scribe sub MCCCLVII. die XXVIII. Novembris, decime indictionis super facto dictorum adherentium, composuimus et convenimus in hunc modum. Videlicet, quod predicti omnes et singuli adherentes et sequaces nostri et sui et alii, si qui fuissent, sint et ex nunc esse intelligantur in pace et concordia supradicta, et beneficio ipsius pacis plenarie gaudeant et fruantur, remissis omnibus iniuriis, damnis et offensionibus hinc et inde; non intelligendo in hac remissione debitas specialium personarum, que sibi invicem teneantur, de quibus hinc inde jus et

ratio reddi debet, et quod per ipsum dominum Ducem et sequaces cum terris, locis et subditis suis et per nos et successores nostros, prefati adherentes et sequaces ipsius domini Ducis et Communitatis cum terris, locis et subditis suis restituantur in eo statu, et sic tractentur dulciter, amicabiliter et benigne, et in ea pura ac sincera benivolentia et amore, et sub illis favoribus et libertatibus, quibus erant et tractabantur ante adhesiones prefatas, et sicut si nunquam alicui partium adhesissent, ipsis versa vice facientibus. Preterea convenimus et concordes fuimus, quod omnes et singuli cives, subditi et fideles dicti domini Ducis et Communitatis Veneciarum, habentes domos, terras aut alias quaslibet possessiones sibi quomodolibet pertinentes in aliquibus civitatibus, terris vel locis presentialiter vel in futurum subditis Maiestati Nostre, seu earum Districtibus, ipsis guadere, uti et frui possint libere pacifice et quiete sine contradictione vel molestia alicuius; et similiter fiat nostris per eos, eo excepto, quod ad tollendum omne scandalum illi Veneti, qui haberent domos vel possessiones intra muros Civitatum nostrarum Jadre et None, ipsas dare teneantur et debeant per extimationem iusto et largo modo fiendam per duos viros ydoneos eligendos pro parte nostra, et duos eligendos pro parte eorum, iuramento astringendos; quam extimationem seu precium extimationis faciemus eis solvi infra duos menses postquam ipsa extimatio facta fuerit cum integritate, que quidem extimationes fieri debeant hinc ad sex menses computandos a die datarum presentium litterarum. Similiter etiam convenimus, quod duobus civibus Jadrensibus, qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zove de Pizolo, restituantur integre omnia bona sua, que haberent in Jadra vel alia aliqua parte nostri Dominii, et quod ipsis gaudere, uti et frui possint libere pacifice et quiete absque impedimento vel turbatione cuiusquam, dummodo cum personis suis stent et habitent extra Civitatem Jadre et eius Districtum. Que omnia et singula supradicta per nos et successores nostros, et omnes pertinentes ad nos, promittimus et iuravimus cum infrascriptis nostris Baronibus ad Sancta Dei Evangelia tactis scripturis, inviolabiliter et bona fide servare et facere observari, et non contravenire per nos

vel alios de iure vel de facto, directe vel indirecte, sub indignatione Omnipotentis Dei et Omnium Sanctorum suorum, ac sub penis, solemnitatibus et conditionibus omnibus, que continentur in litteris utriusque partis, et instrucmentis publicis confectis super pace et concordia principali firmata inter partes easdem. Et similiter dicti Ambaxatores et Syndici nomine ipsorum domini Ducis et Communitatis et successorum suorum et pertinencium ad eos in eorumdem animas solemniter iuraverunt presentium sub secreto nostro sigillo testimonio litterarum, quas dum nobis reportate fuerint, sub sigillo nostro dupplici faciemus privilegialiter emanere. Nomina autem Baronum nostrorum, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec: dominus Stephanus Episcopuse Zagabriensis, dominus Petrus Episcopus Bossinensis, dominus Ladislaus Electus Vesprimiensis, dominus Baudonus Cornuti Prior Aurane, dominus Nicolaus Judex Curie nostre, dominus Johannes Banus Dalmatie et Croacie, dominus Nicolaus Magister Tauarnichorum Reginalium, dominus Stephanus Comes de Posaga et de Zala, dominus Leuchus Magister Dapiferorum et Pincernarum nostrorum, dominus Stephanus Comes Liptoviensis, dominus Nicolaus Comes de Zemlimo et Castellanus de Villa Gufforte, dominus Dominicus Castellanus de Dragul Comes Huntensis, dominus Nicolaus Secretarius Notarius noster, dominus Villielmus Consiliarius noster, dominus Franciscus de Georgio miles. Datum Jadre decimooctavo die mensis Februarii, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo.

(A »Liber Pactorum« czímű velenczei államkönyvből. V. köt. 399. sk. ll.)

D) Jegyzői okmány I. Lajos királynak B) alatti kiadványáról. 1358.

In Christo nomine Amen. Cum super discordia, que vertebatur inter Serenissimum Dominum, dominum Ludovicum Dei gratia illustrem Regem Hungarie ex una parte, et dominum Ducem et Commune Veneciarum ex altera, precedentibus multis tractatibus inter ipsum dominum Regem, seu Barones et Consiliarios suos, et honorabiles viros dominos Petrum Trivisanum, Johannem Gradonico et Beneintendi

Ducatus et Communis Veneciarum Cancellarium, cives Civitatis prelibate, Ambaxiatores et Syndicos dicti domini Ducis et Communis Veneciarum ad hec specialiter distinatos, sicut constat in instrumento publico scripto manu Raphayni de Carisinis Publici Imperiali auctoritate Notarii et Ducatus Veneciarum Scribe sub MCCCLVII. die XXVIII. mensis Novembris, decime indictionis, volente Divina Clementia ad pacem et concordiam sit deventum, secundum quod distinctius continetur in quibusdam litteris Regiis emanantibus exinde, quarum tenor infra describitur; idcirco dictus dominus Rex ex una parte per se et successores suos, et omnes pertinentes ad eum, et ipsius Ambaxiatores et Sindici nomine dicti domini Ducis et Communis et pertinentium ad eos ex altera, predictam pacem et concordiam et omnia contenta in ea approbaverunt, ratificaverunt et corporaliter iuraverunt in omnibus et per omnia secundum tenorem dictarum litterarum Regiarum; promittentes solemniter, ipsam pacem et concordiam et omnia contenta in ea observare ac adimpleri facere sine defectu, nec contrafacere vel venire modo aliquo seu forma, et quod dominus Dux et suum Consilium iurabunt corporaliter tactis scripturis ad Sancte Dei Evangelia dictam pacem in manibus Nunciorum vel Nuncii dicti domini Regis ad hoc deputati, et litteras suas patentes sua bulla munitas dabunt in manibus dictorum Nunciorum eiusdem tenoris in omnibus et per omnia mutatis mutandis, cuius erunt littere Regie, ipsis Nunciis Regiis assignantibus eidem domino Duci et Communi dictas litteras Regias, Tenor autem predictarum litterarum Regiarum per omnia talis est:

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie etc. Rex pacificus pro redemptione humani generis de suppremis celorum stb. (következik I. Lajos magyar királynak 1358-ki okmánya mint B) alatt.)

(Jegyzői jegy.) Et Ego Johannes Crispus Radozlai Canonicus Ecclesie Zagrabiensis Publicus Apostolica auctoritate Notarius premissis omnibus et singulis, dum sic agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui

audivi et vidi et rogatus per partes utrasque premissa in hanc publicam formam fideliter et legaliter, nil addens vel minuens, quod substantiam rei immutet, redegi, signoque meo consueto signavi in testimonium omnium premissorum. Et de predictis omnibus rogatus similiter fuit Paulus de Bernardo condam domini Johannis Imperiali Auctoritate Notarius et Ducatus Veneciarum Scriba, ut faceret aliud simile instrumentum, et utrique parti unum daret, videlicet presens antedictis dominis Ambaxatoribus, et aliud scriptum manu Pauli predicti dicto domino Regi.

Et Ego Paulus de Bernardo condam domini Johannis Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Veneciarum Scriba premissis omnibus et singulis presens fui, et simile instrumentum de verbo ad verbum confeci, quod remansit apud dominum Regem.

(A »Liber Pactorum« czímű velenczei államkönyvből V. köt. 401. sk. ll.)

E) Jegyzői okmány I. Lajos magyar királynak C) alatti kiadványáról. 1358.

In Christi nomine Amen. Cum super discordia, que vertebatur inter Serenissimum Dominum, dominum Ludovicum Dei gratia illustrem Regem Hungarie ex una parte, et dominum Ducem et Commune Veneciarum ex altera, precedentibus multis tractatibus inter ipsum dominum Regem seu Barones et Consiliarios suos, et honorabiles viros dominos Petrum Trivisano, Johannem Gradonico et Beneintendi Cancellarium Ducatus et Communis Veneciarum, cives ipsius Civitatis, Ambaxatores et Syndicos dicti domini Ducis et Communis Veneciarum ad hoc specialiter destinatos, sicut constat publico instrumento scripto manu Raphayni de Caresinis Imperiali auctoritate Notarii et Ducatus Veneciarum Scribe sub

MCCCLVII. die XXVIII. mensis Novembris, decima indictione, volente Divina Clementia ad pacem et concordiam sit deventum, et inter alia super facto amicorum adherentium et sequatium utriusque partis sit provisum, secundum quod distinctius continetur in quibusdam litteris Regiis emanantibus exinde, quarum tenor inferius describetur. Idcirco prefatus dominus Rex ex una parte per se et successores suos, et omnes pertinentes ad eum, et ipsi Ambaxatores et Syndici nomine dicti domini Ducis et Commnnis Veneciarum et pertinentium ad eos ex altera, predictam conventionem et concordiam, et omnia contenta in ea, super facto dictorum amicorum, adherentium et sequatium approbaverunt, ratificaverunt et corporaliter iuraverunt in omnibus et per omnia secundum tenorem dictarum litterarum Regiarum; promittentes solemniter ipsam concordiam, et omnia contenta in ea observare ac adimpleri fecere sine deffectu, nec contrafacere vel venire modo aliquo seu forma; et quod dominus Dux et suum Consilium iurabunt corporaliter ad Sancta Dei Evangelia tactis scripturis dictam concordiam in manibus Nunciorum vel Nuncii dicti domini Regis ad hoc deputatorum, et litteras suas patentes sub bulla munitas dabunt in manibus Nunciorum predictorum eiusdem tenoris in omnibus et per omnia mutatis mutandis, cuius erunt littere Regie, ipsis Nunciis, Regiis assignantibus eidem domino Duci et Communi Veneciarum dictas litteras Regias. Tenor autem predictarum litterarum Regiarum per omnia talis est:

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie etc. (következik I. Lajos magyar királynak 1358-ki okmánya mint C) alatt.)

Et Ego Johannes Crispus Radozlai Canonicus Ecclesie Zagabriensis, Publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius, predictis omnibus et singulis presens fui, et rogatus a dictis partibus una cum Paulo de Bernardo condam domini Johannis Imperiali auctoritate Notario Publico et Ducatus Veneciarum Scriba, qui similiter debuit conficere et confecit

(Jegyzői jegy.)

simile instrumentum de premissis dandum domino Regi, scripsi et in hanc publicam formam redegi, signumque meum apposui consuetum in testimonium omnium premissorum.

Et Ego Paulus de Bernardo condam domini Johannis Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venéciarum Scriba predictis interfui et simile instrumentum confeci, quod remansit apud dominum Regem.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből. V. köt 402. l.)

F) I. Lajos királynak a fentebbi békesség foganatositása végett kiküldött biztosai számára adott felhatalmazványa. 1358.

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie etc. universis et singulis presentes litteras inspecturis fieri volumus manifestum, quod cum inter nos ex una parte, et dominum Ducem et Commune Veneciarum seu Ambaxatores et Syndicos suos honorabiles viros dominos Petrum Trivisano, Johannem Gradonico, et Beneintendi Cancellarium Ducatus et Communis Veneciarum ex altera, inita sit pariter et firmata pax, concordia et amicitia Deo propicio perpetuo duratura super omnibus et singulis differentiis hinc inde vertentibus, sicut in litteris nostris Regiis et instrumentis publicis secutis exinde plenius continetur: idcirco nos volentes adimplere ea, que pro parte nostra sunt circa ipsum concordium adimplenda, fecimus, constituimus et ordinavimus fideles nostros Consiliarios, Venerabilem in christo Patrem dominum Stephanum Zagrabiensem Episcopum, et Magnificum virum dominum Nicolaum Curie nostre Judicem nostros Procuratores, Actores et Nuncios Speciales, et quemlibet eorum in solidum, ad comparendum coram inclito domino Duce Veneciarum et suo Consilio ad recipiendum ad ipsis approbationes, iuramentum et litteras super concordia antedicta, et ad dandum eis litteras nostras patentes bullatas super ipsa concordia, nec non ad restituendum et libere resignandum dicto domino Duci seu deputandis ab eo, nec non adherentibus et subditis suis omnia castra, terras et loca promissa per nos restitui,

et ad alia omnia et singula facienda circa observationem dicti concordii et contentorum in eo, que fuerint opportuna, et que nos, si personaliter adessemus, facere possemus, cum omnibus promissis, libertatibus, obligationibus et renunciationibus, opportunis; dantes eis plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali administratione in predictis et omnibus predictorum inde pendentibus et connexis, promittentes firma et rata habere, quecumque per eos vel eorum aliquem acta fuerint in premissis, et non contrafacere vel venire sub obligatione omnium bonorum nostrorum presentium et futurorum. In cuius rei fidem presentes litteras sigillo nostro secreto fecimus communiri. Datum Jadre XX. die mensis Februarii, anno Domini MCCCLVIII.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 402. l.)

G) Delfino János velenczei dogének ugyanazon békességről kiadott okmánya. 1357.

Johannes Delphino Dei Dux Veneciarum Dux. Rex pacificus pro redemptione generis humani de suppremis celorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem Dominus noster Iesus Christus post gloriosam resurrectionem suam ascensurus ad patrem, pacem, que caritatis est vinculum, in suo natali glorioso celestium agminum multitudine nunciatam suis prebuit fidelibus et reliquit sibi subditos pacis instruens amatores, ut relegato odio fraterne invidie, amor regnaret, et quod novercha discordia seiunxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad universorum noticiam presentium litterarum serie volumus pervenire, quod cum inter quosdam predecessores Reges, et demum excelsum dominum Ludovicum Dei gratia Hungarie Regem ex una parte, et inclitos predecessores nostros Duces Veneciarum etc. et Nos ac Commune Veneciarum ex altera, procurante hoste antiquo humani generis inimico multe discordie, rixe, contentiones, derobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orte fuissent temporibus retroactis occasione Regni Dalmatie, quam predeccesores nostri Duces et nos ac Commune Venetiarum ab olim tenuimus et tenebamus; tandem nos et tota Communitas Veneciarum post quam plures Ambaxatas factas hinc et

inde, honorabiles viros dominos Petrum Trivisanum, Johannem Gradonico et Beneintendi Ducatus et Communis Veneciarum Cancellarium, cives nostros ad prefatum illustrem dominum Lodovicum Hungarie Regem cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti scripti manu Raphayni de Caresinis Publici Imperiali auctoritate Notarii et Ducatus Nostri Scribe sub MCCCLVII. die XXVIII. mensis Novembris X. indictionis, dum prelibatus dominus Rex in Civitate Jadre fuisset, transmisimus, et ipsum, declaratis nostris voluntatibus, ad perpetue pacis et concordie vinculum amicabiliter invitavimus per eosdem. Nos igitur, qui cum Christianis quibuslibet, et potissime cum Regno Hungarie, antiqua amicitia Ducatui nostro coniuncto, pacem optavimus et optamus; ad infrascriptam pacem et concordiam Deo propicio perpetuo duraturam cum prefato domino Rege devenimus in hunc modum. Videlicet: quod Nos et Communitas Veneciarum, et in nostris personis ac vice et nomine nostro Ambaxatores, Nuncii et Syndici prelibati, habentes ad infradicenda plenam et liberam potestatem vigore instrumenti iamdicti, contenti fuimus renunciare et effectualiter renunciavimus de facto in manibus suprascripti domini Regis, suo et successorum suorum Regum nomine, toti Dalmatie a medietate scilicet Quarnarii usque ad confines Duracii omnibus Civitatibus, Terris, Castris, Insulis, portubus et iuribus, que habuissemus et tenuissemus, et habebamus ac tenebamus in eisdem quoquomodo, et specialiter Civitatibus None, Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati et Ragusii in terra firma existentibus; item Civitatibus et Terris, Absero videlicet et Cherso, Vegle, Arbo, Pago, Brachie, Lesne et Curzole, cum insulis earumdem, cum omnibus pertinenciis et utilitatibus earumdem, ac titulis Dalmatie et Croatie, quibus uti consueveramus, et totum ipsorum ius et dominium ac proprietatem, si quas habuissemus, in ipsum dominum Regem et successores suos sponte, deliberate et cum maturitate transferentes; renunciantes insuper omni actioni et omni legis et iuris beneficio, quibus ullo unquam tempore possemus contra predicta vel predictorum aliquod nos iuvare, et promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro Nobis et Communi Veneciarum corporaliter prestiti de

ipsa Dalmacia, civitatibus, terris, castris, locis, iuribus et titulis ac ipsorum possessione seu dominio nullo unquam tempore per nos vel alios nos intromittere vel aliqualiter impedire uspue ad confines antedictos; obligantes nos omnes civitates, terras, castra, loca, portus, insulas atque iura infra dicta confinia existentia, que sunt pro nunc in mera potestate nostra, libere, pure et simpliciter eidem domino Regi vel quem ad hoc deputaverit, absque omni dolo siue fraude, infra spacium viginti duorum dierum a tempore datarum litterarum eiusdem domini Regis factarum nobis, in eadem forma resignare. De terris autem et locis, que in nostra potestate non essent, sed regerentur per Rectores nostros, revocare et retrahere quoslibet Rectores et officiales, et gentes quaslibet nostro nomine ibidem existentes seu residentes, et quod eis in posterum contra ipsum dominum Regem vel suos aliquod auxilium vel iuvamen non dabimus; supplicantes ex nunc, quod ipsas Civitates, Terras et loca, cum ad suam obedientiam devenerint, dignaretur sub favoribus et graciis Regiis recipere, sicut ipse dominus Rex solitus est esse aliis gratiosus. Et versa vice ipse dominus Rex, volens Nos Ducem et Commune habere perpetuo in amicos carissimos, promisit, quod omnes Terras, Castra et loca, quas nos seu subditi nostri et sequaces tenebamus in partibus Tarvisanis et Cenetensibus ac Istrie seu alibi, que ad dicti domini Regis manus devenissent vel devenirent vel suorum, et suo nomine tenerentur aut suorum, nobis et dictis nostris subditis, et quorum erant, faciet tradi, restitui et libere assignari infra terminum viginti duorum dierum predictorum, seu quibus duxerimus deputandos, nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per se, successores suos, vel alios intromittet vel impediet, renuncians ac in nos transferens omne ius, si quod acquisivisset in eis. Ita tamen, quod ipsas Terras, Castra et loca et subditos earum, nec non omnes amicos, adherentes et sequaces ipsius Regis, tam nobiles quam ignobiles, tractemus dulciter et benigne, remissis omnibus iniuriis et offensis, et sicut si domino Regi nunquam adhesissent; et e converso promisit prefatus dominus Rex facere et servare de omnibus amicis, adherentibus et sequacibus nostris tam nobilibus quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque parte libere rela-

xentur. Item quod ex utraque parte remittantur et ex nunc remisse intelligantur omnes offensiones, iniurie et damna preterita, non intelligendo debita, quibus sibi invicem tenerentur speciales persone, de quibus fiet iusticia hinc inde. Item quod dictus dominus Rex bona fide prohibebit et ordinabit cum effectu, quod in aliqua terrarum seu insularum aut locorum, que perventure sunt ad dominium dicti domini Regis et que iam pervenerunt, non armabitur in cursum, nec exercebitur piratica seu damnum aut violentia aliquibus navigantibus, nec receptabuntur in suis portubus cursarii et malefici, sed pocius turbabuntur et arcebuntur, sicut decet Regiam Justiciam et honorem; et e converso in nostris terris et insulis promisimus, nos facturos illud idem. Preterea promisit dominus Rex prefatus verbo suo Regio universos et singulos cives, subditos et fideles nostros et Communis Veneciarum venientes ad terras, portus, insulas et loca queque subdita presentialiter et in futurum Maiestati Sue, habere et haberi facere salvos et securos cum personis, bonis et navigiis ac rebus eorumdem, et quod secure et quiete possint ire, stare, redire et transire per dictos portus, terras et loca cum navigiis, personis et mercimoniis suis, ymo ipsos tractabit et tractari vult dulciter et benigne sub favoribus et graciis suis; et e contra nos Dux et Commune tractabimus subditos et fideles dicti domini Regis. Tali vinculo interiecto in predictis omnibus et singulis, quod si partium aliqua huic ordinacioni, dispositioni, concordie atque paci niteretur contraire, et eam infringere vel violare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de hiis, que renunciata sunt, occupando, vel aliter paci contrafaciendo; ex tunc pars altera id Sedi Apostolice intimare debeat, et dominus Papa vigore emologationis et potestatis date per ipsum dominum Regem et Nos, tenore presentium litterarum teneatur et velit infra spacium unius mensis simpliciter et de plano absque strepitu et figura Judicii, solum recepta fide et certificatione violationis et infrictionis antedicte ad observantiam dicte dispositionis et ordinationis illum aut illos astringere censura ecclesiastica mediante, in personas vel Communitatem contrafacientem videlicet sententiam interdicti, et in syngulares personas excommunicationis proferendo, a qua nullatenus absol-

vatur, donec per partem predictam infrangentem vel infrangere procurantem parti alteri observanti satisfiat, prout erit iustum; illum vel illos nichilominus denunciando fideifragos et periuros. Si autem aliqua damna vel iniurie aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutri, ex tunc super illos per ipsum dominum Regem, vel suos Officiales et Rectores locorum ipsorum, pertinentibus ad nos; et per nos, vel nostros Rectores et Officiales, pertinentibus ad ipsum dominum Regem infra spatium unius mensis a tempore deposite querele plenaria satisfatio impendatur. Nec per hoc ordinatio, dispositio, concordia et pax intelligantur violate, sed in sua firmitate debeant permanere, ad que ipse dominus Rex et Nos spontanea nos obligamus voluntate. Premissa autem omnia et singula cum infrascriptis nostris nobilibus iuravimus ad Sacrosancta Dei Evangelia tactis scripturis per nos et successores nostros, et omnes pertinentes ad nos, inviolabiliter et integraliter observare, et non contrafacere vel venire per nos vel alios de iure vel de facto, directe vel indirecte, palam vel occulte quovis ingenio vel colore sub indignatione Dei Omnipotentis et Omnium Sanctorum suorum. Quod quidem iuramentum prestitimus in manibus Venerabilis in Christo Patris domini Stephani Zagrabiensis Episcopi, et Magnifici viri domini Nicolai Regie Curie Judicis, Ambaxatoribus et Procuratoribus dicti domini Regis, ad hec specialiter constitutorum, sicut constat per litteras Regias scriptas Jadre sub anno Domini MCCCLVIII. die vigesimo Februarii, sigillatas sigillo suo secreto. Nomina autem nostrorum nobilium, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec: Domini Franciscus Lauredano, Petrus Caravello, Johannes Mocenigo, Andreas Fusculo, Laurentius Dandulo et Marcus de Priolis Consiliarii nostri Veneciarum; ac domini Petrus Steno, Marcus Barisano et Daniel Victuri Capita Consilii de XL; domini Marcus Cornario miles, Symon Dandulo, Petrus Gradonico filius condam domini Ducis, et Franciscus Bembo, domini Andreas Erizo Procurator Sancti Marci, et Nicolaus Faletro, dominus Marcus Lauredano Procurator Ecclesie Sancti Marci, et dominus Pangratius Georgio Advocator Communis Veneciarum; domini Petrus Baduario miles, Bernardus Justinianus Procurator Sancti Marci, Petrus Memo, Berthu-

cius Grimani et Marcus Maurocenus, omnes honorabiles cives nostri Veneciarum, pro se ac heredibus et successoribus eorum, et tota Communitate Veneciarum predictum iuramentum prestantes. Actum Veneciis in Ecclesia Sancti Marci. Presentibus Reverendo Patre domino Raymundo Electo Patracensi Archiepiscopo, Venerabili viro domino Neapoleone de Tribertis Ordinis Sancti Johannis Jerosolimitani Priore Veneciarum, domino Paulo Cantore et Canonico Zagrabiense, et domino Ladislao Canonico Budense, testibus rogatis et aliis, anno Domini MCCCLVIII, indictione XI, die dominico vigesimoquinto mensis Februarii feliciter Amen.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 405 sk. ll. V. ö Fejér Cod. Dip. IX. köt. 2. r. 654. sk. ll.)

H) Delfino János velenczei dogenek ezen békességről, a mennyiben a szövetségeseket illeti, kiadott okmánya. 1358.

Johannes Delphino Dei gratia Dux Venetiarum Cum in guerra et discordia, quam dudum olim habuimus cum Serenissimo Principe domino Lodovico Dei gratia Rege Hungarie etc. de qua Divina disponente Clementia ad pacis unitatem et amicitiam duraturam perpetuo devenimus cum eodem plures et plures sibi adheserint contra nos, et specialiter infrascripti videlicet: Reverendus in Christo pater dominus Nicolaus Acquilegensis Patriarcha; Magnifici viri domini Franciscus de Carraria Dominus Padue, et Albertus et Maynardus Comites Goricie; Venerabilis pater dominus Episcopus Cenedensis, et nobiles viri Biachinus de Porciliis, Franciscus de la Parte, Nobiles de Vonico, Guezellonus de Camino, et Magnifici viri Comites de Collalto; item Civitates Imperiales domino Patriarche commisse, videlicet Feltrum et Bellunum, cum predictorum omnium et singulorum adherentium et sequatium suorum Civitatibus, Castris, Terris, villis, possessionibus subditis, servitoribus, subiectis et sequacibus, districtualibus et omnibus aliis, qui in guerris, quas habuimus cum dicto domino Rege, sibi quomodolibet adhesissent vel adhesisse declararentur. Et versa vice aliqui nobis adheserint contra eum, et specialiter infrascripti, videlicet Vlricus de Reyfinbergo et

Colentim, et si qui alii adhesissent vel adhesisse declararentur: idcirco volentes, ut dicta pax et concordia sincere perficiatur et fiat, quodque removeantur de medio cuncta scrupula et errores, qui eam possent quomodolibet perturbare; cum predicto domino Rege super facto ditorum adherentium et sequatium composuimus et devenimus in hunc modum. Videlicet quod predicti omnes et singuli adherentes et sequaces sui et nostri et alii, si qui fuissent, sint et ex nunc esse intelligantur in pace et concordia supradicta, et beneficio ipsius pacis plenarie gaudeant et fruantur, remissis omnibus iniuriis, damnis et offensionibus hinc et inde, non intelligendo in hoc debita specialium personarum, que sibi invicem tenerentur, de quibus hinc inde jus et ratio reddi debet. Et quod per Nos et Communitatem nostram prefati sui adherentes, et sequaces nostri et Communitatis nostre, cum terris, locis et subditis suis restituantur in eo statu, et sic tractentur dulciter, amicabiliter et benigne, et in ea pura ac sincera benevolentia et amore, et sub illis favoribus et libertatibus, quibus erant et tractabantur ante adhesiones prefatas, et sicut si numquam alicui partium adhesissent, ipsis versa vice facientibus. Preterea convenimus et concordes fuimus, quod omnes et singuli cives, subditi et fideles nostri habentes domos, terras aut quaslibet possessiones sibi quomodolibet pertinentes in aliquibus civitatibus, terris vel locis presentialiter vel in futurum subditis dicto domino Regi, seu earum districtibus, ipsis geudere uti et frui possint libere, pacifice et quiete sine contradiccione vel molestia alicuius; et similiter fiat suis per nos. Eo excepto, quod ad tollendum omne scandalum illi Veneti, qui haberent domos vel possessiones intra muros civitatum Jadre vel None, ipsas dare teneantur et debeant per extimationem iusto et largo modo fiendam per duos viros ydoneos eligendos pro parte domini Regis, et duos eligendos pro parte nostra, iuramento astrigendos; quam extimationem seu pretium extimationis faciet ipse dominus Rex eis solvi infra duos menses, postquam ipsa extimatio facta erit, cum integritate; que quidem extrimationes fieri debent usque ad sex menses a die dato litterarum Regiarum computandos super presenti concordia. Similiter etiam convenimus, quod duobus civibus Jadrensibus,

qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zove de Pizolo, restituantur integre omnia bona sua, que haberent in Jadra vel alia aliqua parte dominii Regis, et quod ipsis gaudere, uti et frui possint libere, pacifice et quiete, sine impedimento vel turbatione cuiusquam, dummodo cum personis suis stent et habitent extra civitatem Jadre et eius districtum. Que omnia et singula supradicta per nos et successores nostros et omnes pertinentes ad nos promittimus et iuramus cum infrascriptis nostris nobilibus ad Sancta Dei Evangelia tactis scripturis inviolabiliter et bona fide servare et facere observari, et non contravenire per nos vel alios, de iure vel de facto, directe vel indirecte, sub indignatione Omnipotentis Dei et Omnium Sanctorum suorum, et sub penis, solemnitatibus et conditionibus omnibus, que continentur in litteris utriusque partis et instrumentis publicis confectis super pace et concordia principali firmata inter partes easdem. Quod quidem iuramentum prestitimus in manibus Venerabilis in Christo Patris domini Stephani Zagrabiensis Episcopi, et Magnifici viri domini Nicolai Regie Curie Judicis, Ambaxiatoribus et Procuratoribus dicti domini Regis, ad hoc specialiter constitutorum, sicut constat per litteras Regias scriptas Jadre sub anno Domini MCCCLVIII. die XX. Februarii, sigillatas sigillo suo secreto. Nam e converso prefatus dominus Rex similiter iuramentum prestitit in manibus honorabilium virorum dominorum Petri Trivisano, Johannis Gradonico de Beneintendi Ducatus et Communis Venetiarum Cancellarii, civium, Sindicorum et Ambaxiatorum nostrorum. Nomina autem nostrorum nobilium qui nobiscum iuraverunt sunt hec: dominus Franciscus Lauredano, dominus Petrus Carravello, dominus Johannes Mocenigo, dominus Andreas Fusculo, dominus Laurentius Dandulo et dominus Marcus de Priolis nostri Consiliarii Venetiarum; ac domini Petrus Steno, Marcus Barisano et Daniel Vituri Capita Consilii de XL.; domini Marcus Cornario miles, Petrus Gradonico condam domini Ducis, et Franciscus Bembo; domini Andreas Erizo Procurator Sancti Marci et Nicolaus Faledro; domini Marcus Lauredano Procurator Ecclesie Sancti Marci, Pangracius Georgio Advocator nostri Communis Venetiarum; domini Petrus Baduario miles, Bernardus Justinianus

Procurator Sancti Marci, Petrus Memo, Bertucius Grimani et Marcus Maurocenus, omnes honorabiles cives Venetiarum. Datum in nostro Ducali palatio Venetiis die XXV. mensis Februarii, anno Domini MCCCLVIII.

Nota: Quod Ambaxiatores prefacti domini Regis, qui venerunt Venetiis pro iurando pacem, declaraverunt et dixerunt Dominationi, quod dominus Canis Grandis de la Scala et eius fratres erant de sequacibus et adherentibus dicti domini Regis, et propterea petebant, ipsos debere includi in ea. Et sic de mandato Dominationis inclusi fuerunt in pace predicta, et facte fuerunt sibi littere, sicut aliis amicis et sequacibus ipsius domini Regis.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 409. sk. ll.)

I) Az aquilejai pátriarkára vonatkozó néhány nehézség elintéztetik. 1358.

Anno MCCCLVIII. die XIII. Marcii, indictione XI. Capta: Quod respondeatur Ambaxatoribus domini Regis Hungarie, quod sicut pridie per nos dictum fuit eis, ammiramur de responsione domini Patriarche in recusando de restituendo nobis Camatam cum illis verbis et racionibus, que videbuntur; et quod, quando dictus Patriarcha vellet nobis libere restituere dictam Camatam, prout de iure denegare non potest ex forma pacis, in qua ipse acceptavit includi. Et etiam pro reverencia dicti domini Regis contentamur, quod dominus Rex predictus pro aliis differenciis existentibus inter ipsum dominum Patriarcham et nos, scilicet pro facto Regalie solite per nos sibi dari, et pro asportatione Corporum Sanctorum nostrorum, que quidem diffecencie sunt extra facta dicte pacis, sit Judex, et super ipsis determinet et cognoscat, prout Sue Maiestati videbitur esse iustum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 69. lev.)

K) De la Scala Can Grande veronai fejedelem ezen békességnek részese. 1358.

Anno MCCCLVIII. die XIII. Martii. Capta: Quod, sicut audiuistis per Dominum, Ambaxatores domini Regis

Hungarie requisiuerunt, quod dominus Canis de la Scala includatur in pace facta, ostendentes super hoc recepisse mandatum expressum a domino Rege, quod mandatum venit infra terminum viginti duorum dierum, infra quos exequi debent promissa in pace; et ipse dominus Canis, licet dicat aliqua verba de extra, nolens tamen contradicere voluntati domini Regis, finaliter contentetur, et velit includi in dicta pace: vadit pars, quod complaceatur requisitioni dictorum Ambaxiatorum, scilicet quod dictus dominus Canis includatur una cum aliis in pace, sicut petunt.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 70. lev.)

L) Albert görzi és tirolisi gróf követei által alá veti magát ezen békességnek. 1358.

Glorioso Principi domino Johanni Delphino Excelso Duci Veneciarum Albertus Goritie et Tirolis Comes salutem et ad quevis beneplacita se paratum. Ambaxatorum domini nostri Regis Hungarie, videlicet domini Stephani Zagrabiensis Episcopi et domini Comitis Nicolai litterras recepimus, continentes, quod Nuntios nostros ad approbandum pacem et concordiam inter dictum dominum nostrum Regem et vos factam mittere debeamus. Unde Celsitudini Vestre fideles nostros Valchonum de Musch et Pertholdum de Antignana exhibitores presentium dirigimus, qui loco nostri pacem approbent autedictam; rogantes, quatenus verbis ipsorum ex parte nostra propositis dignemini fidem credulam adhibere. Datum Pisini decima octava die mensis Martii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből V köt. 424. lev.)

391.

I. Lajos magyar király értesiti a florenczi köztársaságot a közte és a velenczei köztársaság közt kötött békességről. 1358.

Nobilibus et sapientibus viris Prioribus Artium, et Vexillifero Justitie, Populo et Communi Florentii, amicis nostris karissimis.

Noueritis, amici karissimi, quod Nos cum Duce et Communitate Venetiarum ad pacis devenimus vnionem, Deo propitio perpetuo duraturam; ita et taliter, quod ipsi nobis totam Dalmatiam cum omnibus suis Insulis, Ciuitatibus et locis, tam in mari quam in terra consistentibus, et titulum Dalmatie et Croatie, cum iure, si quod in eisdem haberent, pure et simpliciter resignarunt; prout continetur in litteris eorum patentibus et bullatis exinde confectis et emanatis, quas vobis in specie per latorem presentium destinamus; Vestre Universitatis amicitiam, de qua plenam gerimus fiduciam, sinceris affectibus deprecantes, quatenus litteras ipsas in terris et locis vestris legi et publicari permictatis, et nobis super earum publicatione vel litteras vel instrumenta publica dari et emanari faciatis: in eo nobis sinceram amicitiam exhibentes. Datum Jadre XX. mensis Februarii.

(**Filza XII. del Carteggio della Repubblica; Missive della Signoria. Registro Cod. Cart. di Minute 22. l.; a florenczi levéltárban**)

392.

Dandulo Lénárt velenczei követ I. Lajos magyar királynak udvarándl. 1358.

Anno MCCCLVIII. die VII. Julii. Capta: Quoniam postquam Deus nos perduxit ad pacem cum domino Rege Hungarie, utile et commendabile sit pro Statu nostro, ipsum nobis conservare et habere pro bono amico, et fundare ac nutrire cum eo benevolentia et amore (igy); ita quod habeat causam optandi bonum nostrum, et favendi nobis in casibus oportunis, maxime quia stando bene cum eo per Dei gratiam, de Statu nostro est modicum dubitandum; et ad faciendum hoc multum prodesset, habere aliquem nostrum nobilem expositum, qui per aliquod tempus conversaretur et domesticaretur in curia Regis predicti, cum tali libertate et auctoritate expendendi, quod posset facere honorem et curialitatem Baronibus et Nobilibus de inde, et captare benivolentiam suam, et procurare honorem nostrum et suum, cuius mora esset utilissima ad turbandum mala, que per emulos Status

nostri procurari possent, et ad promovendum multa bona et utilia pro nobis; et modo habeamus satis bonas et apparentes causas de mittendo tam pro facto Casamate, quam pro aliis factis que occurrunt: vadit pars, quod in nomine Jesu Christri eligatur et mittatur unus solennis Ambaxiator ad dictum Regem istis de causis stb.

Die X. Julii. Electus Ambaxiator ser Leonardus Dandulo condam domini Ducis; plezius ser Jacobus Marango.

Die XXIX. Decembris. Capta: Cum utile sit providere, quod nobilis vir ser Leonardus Dandulo Ambaxiator ad dominum Regem Hungarie redeat Venetias; vadit pars, quod scribatur ei, quod cum sit electus Capitaneus Tarvisii, debeat redire Venetias ad regimem suum. Et si Rex esset ibi prope ita, quod commode possit accipere commeatum ab eo, accipiat commeatum ab ipso, dicendo ei causam sui recessus. Si autem Rex esset in partibus ita remotis, quod commode non posset accipere commeatum ab eo, accipiat a Reginis, vel ab aliis qui remansissent loco eius.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXVII. köt. 126. és 168. ll.)

393.

I. Lajos magyar király hadihajokat küld a szerbiai császár ellen. 1358.

Littere Johannis totius Dalmatie et Croatie Bani, Dominique Terre Halme honorabilis.

Cum dominus noster Rex Hungarie ad presens habeat guerram cum Rege sive Imperatore Raxie seu Servie, et aliqua ligna nostra intendamus mittere contra emulos domini nostri Regis per mare. Quare amicitiam vestram presentibus requirimus diligenter, quatenus placeat vestris galeis scribere, ut nostris hominibus per mare euntibus ne velint nocere, nec eosdem aliquo colore impedire. Nam ipsi homines nostri nulli nocebunt, nisi emulis dicti domini nostri Regis prenotati. Data Tinini sexto die Octobris.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 95. lev.)

394.

IV. Károly császár a velenczei kereskedők számára. 1358.

Karolus Dei gracia Romanorum Imperator Semper Augustus et Boemie Rex, Magistris Consulum, Scabinis, Consiliarijs et toti Vniuersitati ciuium Augustensium suis dilectis et fidelibus graciam suam et omne bonum. Quum pro amore Illustrissimi Principis domini Lodouici Regis Hungarie, fratris nostri dilecti, inimicicias gessimus contrariando Ciuitati Veneciarum ciuibusque eiusdem Ciuitatis, et cum se mutuo nuncio per concordiam composuerint : hinc est, quod nos predictam Ciuitatem et ciues Veneciarum cum eorum bonis graciose resumpsimus in nostre tutele defensionem Cesaream, non sinendo per aliquem quod predictorum ciuium corporis aut rerum occupacionem, impedimentum ac dampni illacionem per viarum transitus Nostre et Imperii jurisdiccionis. Quapropter precipimus vobis seriose, et sub obtentu nostre gracie, quatenus hec faciatis proclamari in Ciuitate Augustensi, ut hoc factum publicetur et non occultetur. Volumus eciam, vt vice nostri et Imperii predictos ciues Veneciarum cum eorum rebus defendatis et mancipetis pro nostro posse, cum hec ad vos detulerint. Datum Prage die Sancti Ambrosii Episcopi, Regnorum nostrorum anno duodecimo, Imperii vero quarto.

Similes littere Vniuersitati Constanciensi.

Similes littere Vniuersitati Norimbergensi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből V. köt. 240. lev.)

395.

Magyarországnak éjszaki kereskedése Krako városon keresztül. 1358.

In nomine Domini stb. Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie etc. (privilegium Krako város számára) Sandecenses eciam cives, ceterique mercatores de Hungaria, vel de confi-

nio Sandecensi proficiscentes, nullas vias extraneas vel inconsuetas cum suis mercibus versus Prussiam, Poloniam, Sylesiam, Boemiam vel Moraviam, nisi per ipsam ciuitatem Craconiensem transire debeant, occassione vlla non obstante stb. Datum stb. Cracouie in crastino Sancti Nicolai anno stb. Millesimo CCC. quinquagesimo octauo stb.

(Eredeti bőrhártyán Krakó város levéltárában.)

396.

Károly és János franczia királyi herczegeknek követei I. Lajos magyar királynál. 1359.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum dilecti filii nobiles viri Karolus Dux Normannie primogenitus, et Johannes Comes Pictauiensis natus carissimi in Christo filii nostri Johannis Regis Francorum illustris, dilectos filios Petrum Begonis Archidiaconum de Aura in Ecclesia Convenarum, et nobilem virum Stephanum de Fayno militem, latores presencium, Nuntios suos pro certis negotiis, sicut accepimus, per eos ministerio viue vocis Tue Celsitudini exponendis ad presentiam tuam mittant: Nos attendentes, quantum inter te et illos, qui eodem generosi sanguinis stipite processistis, esse debeat vinculum caritatis, et quam specialis dilectionis affectus; Serenitatem Tuam rogamus attente, quatenus Nuntios prefatos benigne suscipiens, eos super hiis, que tibi exponenda duxerint, prout honori tuo conuenit et Excellentiam Tuam decet, velis de solita munificentie tue plenitudine admittens remittere tam celeriter quam favorabiliter expeditos. Datum Aviniono XII. kalendas Martii Pontificatus nostri anno septimo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

397.

Váltói összeköttetés Magyarország és Avignon közt Velencze közvetítésével. 1359.

Littere Ludovici Regis in favorem Johannis Canonici Zagrabiensis pro cambio pecunie facto cum Donato Alemanno, misse ad Dominium Ducale Venetiarum.

Amici carissimi. Dolorosa fidelis nostri Johannis Canonici Zagrabiensis presentium exhibitoris insinuante querimonia didicimus, quod cum ipse dudum Venetiis existens cuidam Donato Alemanno concivi vestro trecentos et quinquaginta florenos auri in principali pecunia, ac XXI florenos pro lucro campsoris in persona Venerabilis patris domini Stephani Episcopi Zagrabiensis more solito assignasset sub illa conditione, ut quando idem Johannes cum litteratoria cautione jam dicti vestri concivis ad Avenionem perveniret, sibi dicta pecunie quantitas ad plenum restitueretur. Et licet ipse Johannes recepta littera cautionis huiusmodi versus predictam Avinionem proficiscens ipsam persone, cui dirigebatur, presentaverit; tamen eadem persona sibi nihil penitus, visa littera dicti vestri concivis dare curavisset, et sic deceptus de ipsa Avenione rediens Venetias applicuisset. Et cum dictam suam pecuniam ab eodem vestro concive vobis scientibus repetere voluisset, idem diu cum aliquibus de sua societate de vestri medio ad partes alienas se transtulisset. Et quamquam ipse Johannes a vobis de rebus et bonis dicti sui debitoris ad vestrum Commune ratione debitorum devolutis, debitam sibi petierit impendi satisfactionem: tamen quia Johannes ipse vestris statutis parere noluerat, vos eidem nullam satisfactionem impendere curassetis. Vnde cum nostri regnicole statutis vestris, et e converso vestri nostris subjacere minime teneantur, prout vos id ipsum non credimus ignorare; Amicitiam Vniversitatis Vestre attente petimus et rogamus, quatenus eidem Johanni consideratione nostri super predicta pecunie quantitate et expensis interim per ipsum factis, de rebus et bonis sepe dicti vestri concivis meram et omnimodam velitis impendere satisfactionem; alioquin eundem Johannem in damno relinquere

nullatenus nos deceret. Data Visegrad mensis Aprilis die XXVIII.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 210. lev.)

398.

I. Lajos magyar király Gianni de Guccio franczia trónpraetendensnek részén. 1359.

In nomine Domini Amen. Anno Domini ab eiusdem Incarnatione M.CCC.LVIIII. indictione nona, die XXII. mensis Optubris. Cum die XVIII. mensis Optubris, in qua sumus secundum formam statutorum et ordinamentorum Senensium; et more hactenus osservato per nobilem dominum Dilianum de Panciatichis de Pistorio honorabilem presentem Potestatem Communis Senarum, in Generali Consilio Campane dicti Communis Senarum de capsa et pisside existente in capsa, in qua sunt descripti hii, qui de offitio dominorum XII Administratorum et Gubernatorum Communis et Populi Civitatis Senarum per futura tempora esse debent, donec durant pissides supradicte, fuerit extracta pro dicto offitio Dominorum XII, et pro duobus mensibus videlicet Novembri et Decembri proxime venturis, una pallocta cere, in qua erat involuta una cedula de carta pecudina, in qua reperta scripta fuerunt, prout legi Ego Notarius Reformationum infrascriptus, XII nomina, que sunt hec videlicet: Dinus Syni calzolarius, Macza Ducci ritalliator, Franciscus Nicolai Nini et Guidoccius Francisci Guidarelli, terzerii Civitatis, Fatius Chesis setaiuolus, Jacobus Ceechi Nannis campsor, Johannes Bracci linaiuolus, et Riccius Pericciuoli picciaiuolus terzerii Sancti Martini, Magister Dominichus Vannis, J a n n i n u s G u c c i l a n i f e x, Lippus Vannis Sellaius, Jacopus Marcovaldi de terzerio Kamollie. Inter que XII nomina sic extracta pro dicto officio dominorum XII et predictis duobus mensibus repertus fuit, ut evidenter monstratur, J a n n i n u s G u c c i l a n i f e x t e r z e r i i K a m o l l i e. Et assertum fuit per quamplures tunc temporis in Consilio supradicto, ipsum Jan-

ninum vacationem habere ab oficio supradicto, eo quod dicitur, fertur, ipsum Janninum de jure succedere et esse debere Regem Francorum natum de stirpe Regali. Et quia sic verum esse videtur per narrationem, declarationem, et assertionem, que fit et apparet in quibusdam licteris descriptis in carta pecudina cum sigilio rotundo pendente, magnitudinis in rotunditate forsan unius floreni aurei vel circa, de cera alba, et intus rubea, et in eadem rubea sculpto ad arma Regis Vngarie de liliis, et virghis per transversum scuti cum cimerio, et licteris circa rotunditatem cere rubee dicentibus »S. SECRE. LODOVICI. REG.« representantis Offitio Dominorum XII, et Capitaneo Populi et Vexillifero Justitie Civitatis Senarum, que pro parte Serenissimi Principis et domini Regis Vngarie omnibus Regibus, Prelatis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus et Civitatibus et Dominationibus, ad quos seu quas advenerint, dirigi videntur, et quarum licterarum tenor inferius est descriptus, hodie in dicto Generali Consilio Campane Communis Senarum in consueto palatio dicti Communis ad sonum campane vocemque preconis, ut moris est, de mandato suprascripti domini Potestatis in sufficienti numero secundum formam statutorum congregato, in quo interfuerunt ducenti septem Consiliarii, in presentia dicti domini Potestatis, et Dominorum XII, et Capitanei Populi, Vexilliferi Justitie dicte Civitatis Senarum pro Offitio presidentium, et tocius dicti Consilii publice, palam, et alta voce vulgari sermone ad intelligentiam per me Notarium reformationum infra scriptum lecte et declarate. Et cum in dicto Consilio per unum ex dictis Dominis duodecim Offitio presidentibus pro parte aliorum Dominorum XII clare ad intelligentiam fuerit in dicto Consilio supradictorum hodie declaratum, quod coram ipsis eisdem Dominis XII, et Capitaneo Populi, Ofitio Presidentibus, post suprascriptam extractionem factam de suprascriptis Dominis duodecim fuit, et est dictum, assertum, et affirmatum per eumdem Janninum hodie vocatum dominum Johannem, qui licet fuerit per tempora preterita reputatus, habitus et vocatus Janninus Guccii de Senis, tamen in rei veritate est dominus Johannes natus Serenissimi Principis et

Domini, domini Loysii olim Regis Francorum, et Excellentissime Regine Clementie, et sic de stirpe Regali, et in dicto Regno Francie de jure succedens, et qui fuit mutatus et translatus ad partes Tuscie, ut in infrascripto licterarum tenore narratur. Et ideo cum dictus Janninus, nunc vocatus dominus Johannes, nolluerit, ut assertum est, ut predicatur, dicere se esse Janninum Guccii lanificem Senensem, et tamquam Janninus Guccii esse ad Offitium supradictum, quantumcunque per tempora preterita fuerit pro Jannino Guccii de Senis habitus, et reputatus fuerit, sed vere esse filium dicti quondam Regis Francorum, et per consequens de stirpe Regali, et in Regno Francie de jure succedentem, ac militem et forensem origine propria et paterna, et sic ex forma statutorum Senarum ad Offitium Dominorum XII esse non posse, ut asseruit dominus Potestas predictus, predictam vacationem ex dictis iuribus, extraxit de pisside solutorum dicti terzerii Kamollie in locum dicti Jannini vocati nunc dominus Johannes, unam aliam cedulam, in qna scriptum repertum fuit, videlicet Janninus Guccii; que cedula per iura etiam supradicta mandato dictorum Dominorum XII, et Capitanei Populi, et dicti domini Potestatis fuit delaniata. Et aliam extraxit in qua scriptum erat videlicet : Grifus Locti.

Tenor vero dictarum licterarum, de quibus supra fit mentio, hic est, videlicet :

Vniuersis Regibus, Prelatis, Principibus, Ducibus et Comitibus, Baronibus, Civitatibus ac Rectoribus earundem vniuersis in Christi nomine constitutis, Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie salutem et sincere dilectionis affectum. Quoniam refulsit in nobis sol, qui prius erat in nubilo, et accensus est ignis mire claıitatis, veritatis et claritatis (így); ideo dignum fore decernitur, et rectum rationi videtur, ut ubi expedire cognoscimus, ibi etiam operam efficacem adhibeamus. Hinc est quod dominus Johanninus dictus Guccii, nutritus in Civitate Senarum, vir nobilis et de stirpe Regali nostrorum progenitorum natus, Serenissimi Principis Domini domini Ludovici Regis Francorum et Regine Clementie beatarum recordationum filius, iuxta considerationem suos gressus dirigens ad partes Regni nostri Hungarie, ad nos veniens,

coronam Francie sibi de jure debitam per multa autentica instrumenta et scripta evidenter demonstravit, in quibus clare vidimus contineri, quod Nobilis domina Comitissa, scilicet de Artes, et dominus Philippus Longus gener suus, patruus dicti domini Johannis, ut in Regno Francie liberius regnare posset, post nativitatem dicti domini Johannis non post multos dies necem eidem ascultando (igy) intendebat, et mortem: sed Divina providentia et nutricis auxilio et consilio mutatus per quasdam simulationes ostenso alio puero more Marie Virginis in Egiptum occulte habitationis fugiens, celansque et fingens puerum de medio sublatum, volente Altissimo vitam ejusdem, pro quo alter interimebatur, caute reservavit. Et etiam nobiles, Seniores scilicet et Majores, Barones et Baronisse Regni nostri, qui post mortem dicti domini Ludovici Regis Francie per Serenissimum dominum Carolum pie memorie patrem nostrum ad visitandam dominam Clementiam Reginam antedictam sororem suam olim missi fuerant, huic testimonium perhibent veritati, et dictum dominum Johannem domino Ludovico Regi et Regine Clementie prefatis parentibus in omnibus dictis videntes, facientes coram nobis assimllari, addicientes iidem, prefati scilicet Barones, quando dictus dominus Johannes tunc puer in Regno Francie fuerat cambiatus et mutatus, et inde ad partes Tuscie, videlicet ad Civitatem Senarum, translatus. Ad eiusdem rei majorem certitudinem investigandam, dicto domino Johanne in Regno nostro existente, misi numptios viros discretos et prudentes ad Regnum Francie secrete, qui demum reversi per nos iuxta fidem Deo et Sacre Corone debitam studiosius requisiti, predicta, sicut dominus Johannes asserebat, sic per omnia fore facta retulerint, et affirmaverint. Quapropter vestram amicitiam quantum passumus viscerosius rogamus, ut prefatum dominum Johannem in suis agendis negociis recommendatum habere velitis, scientes a certo, quod quicquid pro eo feceritis, nostre Corone et carissimo fratri nostro fore factum reputabimus. Valeat vestra cara amicitia per tempora longissima. Datum Bude XV. die mensis Maii anno Domini M.CCC.LVIII.

(Az »Archivio delle Riformagioni«-ban, Siena város levéltárában, a »Consigli della Campana dal anno 1357 al 1358.« 199. köt. 41. lev.)

399.

A horvátországi bánnak panasza, hogy velenczei hajók a magyar korona alatt álló szigetek lakosait károsítják. 1359.

Aneo MCCCLVIIII: indictione XII. die XVII. Junii. Capta: Cum dominus Banus Sclavonie pridie per suum specialem Ambaxatorem requisiverit, quod cum aliqua nostra navigia transeuntia per insulas fecerint damnum in animalibus et bonis subditorum suorum, placeat nobis pro conservatione amoris et pacis taliter ordinare, quod de cetero per nostros talia non committantur; et utile sit, ymo debitum nobis super hoc dare talem ordinem, quod ipse vel alii causam non habeant in posterum conquerendi: vadit pars, quod cridetur publice, quod aliqua nostra vavigia armata vel disarmata, seu aliqui nostri fideles, transeundo per insulas et partes Sclavonie, nullo modo audeant vel presumant facere damnum vel violentiam aliquam in animalibus vel aliis bonis partium predictarum sub pena haveris et personarum ad voluntatem Dominii; et si quis contrafecerit, et aliquis eum accusaverit; habeat accusator de bonis accusati, si per eius accusatorem veritas habeatur, medietatem condempnationis peccuniarie, et teneatur de credentia, et reliquum sit advocatoribus Communis, quibus hec committantur, stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXIX. köt. 12. lev.)

400.

I. Lajos magyar királynak rendelete, hogy Jádra és Nona városoknak előbbi velenczei lakosai kielégittessenek. 1359.

Littere transmisse Bano Dalmatie super extimatione possessionum Jadrensium et Nonensium etc. per dominum Regem Hungerie, et conductarum per Bartholomeum Vrsio de exercitu suo existente in Servia.

Nicolao Bano Dalmatie et Chroatie.

Noveritis, nos alias scripsisse Jadrensibus super facto extimationis possessionum Venetiarum et suorum fidumile

existentium in Jadra et Nona, ac restitutione bonorum Marini de Canarento, et Zoue de Pizolo et aliorum, ut ea et contenta in pace executioni mandarent. Set, prout habuimus per Bartholomeum nuntium — — — Ducis et — — — — — Communis Venetiarum amicorum nostrorum, usque nunc nil est factum. Quare mandamus fidelitati vestre firmiter et districte, quatenus omnia predicta vos executioni mandare debeatis, cum simus dispositi omnia premissa penitus attendere, et inviolabiliter observare. Declarando, quod nostre intentionis est, ut dicte possessiones, facta de ipsis iuxta formam pacis extimatione, solvantur de pecunia predictorum Jadrensium et Nonensium vel nostra, si nobis placebit, secus in premissis intuitu nostre gratie non facturi. Datum etc. VI Julii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 216. lev.)

401.

VI. Incze pápa felkéri I. Lajos magyar királyt, hogy a IV. Rudolf austriai herczeg és Lajos aquilejai patriarka közt bizonyos javakra nézve fennforgó egyenetlenségek ügyében közbenjáró legyen. 1359.

Innocentius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Exposuit nobis venerabilis frater noster Ludovicus Patriarcha Aquilegensis, quod per dilectum filium nobilem virum Rodulfum Ducem Austrie loca de Windesgras, ac Trivin et Tervin, ac Wipaci Superioris et Inferioris, nec non et Venzoni, ad eumdem Patriarcham ac suam Aquilegensem Ecclesiam, ac cluse supra Monasterium Mosacense, atque pedagium sive muta, que inibi exigitur ad fabricam eiusdem Ecclesie, cum eorum iuribus et pertinentiis pleno iure spectantia indebite occupantur, prout per quondam patrem ipsius Rudolfi fuerunt hactenus occupata, in grave predictorum Patriarche et Ecclesie ac fabrice, qua Ecclesia ipsa propter ipsius dirutionem notoriam plus solito indigere dinoscitur,

preiudicium et iacturam. Cum itaqne deceat Magnitudinem Regiam, se in recuperatione iurium Ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum favorabilem exhibere, idemque Dux in magnis et arduis negotiis inherere tuis consiliis, de quo apud Nos conmendandus plurimum redditur, asseratur: Serenitatem Tuam rogamus attente, quatenus dictum Ducem ad restitutionem locorum et iurium predictorum eidem Patriarche libere faciendam salutiferis salutationibus tuis inducas, ut tuo cooperante consilio, et viam timoris Domini laudabiliter demonstrante, Dux ipse tam sue quam dicti patris sui anime salubriter provideat, et justitie debitum pro sui honore nominis in huiusmodi tam prompta quam libera restitutione persolvat. Precibus quoque nostris adicimus, ut Patriarcham, quem nobis multiplicia virtutum merita et familiaritatis obsequia ab olim nobis exhibitione earum reddunt, et Ecclesiam prefatos, in eorum conservandis et defendentis bonis et iuribus, habere velit Regia Celsitudo pro nostra et Apostolice Sedis reverentia favorabiliter et efficaciter commendatos. Datum apud Villam Novam Avinionensis Diocesis XII. kalendas Julii Pontificatus nostri anno septimo.

(VI. Incze pápa regestáiból.)

402.

Az 1358-ki békesség foganatosítására vonatkozó követelések a velenczei köztársaság részéről. 1359.és 1360.

A) Ursio Bertalan mint velenczei biztos küldetik Szécsy Miklós dalmátiai bán és I. Lajos magyar királyhoz. 1359.

Anno MCCCLVIII. die II. Septembris. Cum dominus Rex Hungarie pridie in responsione facta per eum Bartholomeo Vrsio Notario inter cetera concluserit, quod tam de hiis que Banus Sclauonie faceret circa observationem litterarum suarum, quas ipse Rex sibi mittit pro observatione contentorum in pace, quam de hiis, que requisivit super facto Bertrami de Tarsia et aliorum rebellium nostrorum, expectabat re-

sponsionem a nobis; et post hec ipse scripserit etiam nobis litteras super facto cuiusdam Guerre de Castrofrancho rebellis nostri; et bonum sit prouidere, quod ei fiat responsio : vadit pars, quod mittatur unus noster Notarius, qui vadat cum litteris Regis ad Banum et partes Sclavonie ad procurandum observationem pacis et executionem dictarum litterarum Regalium, et reformationem eorum, que debent reformari pro nobis et nostris fidelibus et sequacibus; et cum eo quod habuerit, vadat ad Regem; et si quid restaret apud eum procurandum, procuret, et faciat ei responsionem super facto dicti Trami et Guerre : quod occasione adhesionis quam sibi fecerunt, nullam receperunt seu reciperent modo aliquali novitatem; sed multo tempore ante adventum suum in Trivisanam propter demerita et excessus suos fuerunt damnati pro rebellibus et proditoribus nostris, et eorum bone confiscata, ita quod non sint de inclusis in pace quantum ad hoc. Et cum hiis et aliis verbis excusando nos, et similiter de aliis qui apparerent conquerentes, possit eis fieri responsionem secundum veritatem facti, sicut videbitur Dominio committendum. Et si aliqua alia viderentur committenda pro his, que nostri fideles habent facere in partibus domini Regis, vel subditi et sequaces domini Regis haberent facere nobiscum, possit circa hoc committi quod videbitur Dominio.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvekből XXIX. köt. 29. lev.)

B) Tárgyalások Szécsy Miklós dalmácziai bán előtt 1359.

Anno millesimo CCCLVIII. die X. mensis Decembris. Infrascripta sunt ea que petuntur ex parte incliti domini Ducis et Communis Veneciarum a Magnifico domino Nicolao de Scez Bano Dalmacie et Crohacie secundum pacis formam atque litterarum Illustrissimi Domini domini Ludovici Hungarie Regis super eo sibi destinatarum.

Primo quo ordinatur super facto possessionum Venetorum existencium in Nona et Jadra, que debent extimari secundum formam pacis, et restitucioni mandari iuxta tenorem Regii mandati.

Dominus Banus fixauit terminum ad primam dominicam

Quadragesime, et declarauit, quod (Bartholomeus de) Vrso vadat primo Vranam etc. sicut in meis litteris continetur.

Item petitur, quod ser Marino de Comasuto restituantur integre omnia sua bona, vt in pace plene legitur et est fundatum. Primo videlicet petitur villa Mag — — — re; item villa Sasmue; item pars domus Jadre posite — — — — vico Sancte Anastasie; item domus vna in Obsonat — — — ta; item affictus decem domuum; item affictus et redditus s— — — — — possessionum de tempore pacis; videlicet pro primo om— — — — — — modia LVII vinum et modia — — — — — ordeum et frumentum — — — — — quoque secundo anno.

Super facto domus Sancte Anastasie dominus Banus vult, quod extruatur. Cui dixit, quod in pace sic non legebatur, imo habebat capitulum per se, quod poterat gaudere etc. Super aliis dixit oretenus, vt in meis litteris est denotatum.

Item animalia minuta CCCCLX cum XII bovinis vel circa, que fuerant sibi ablata de insula Pischman per Abbatem de Ragona, et postea per Regimen Jadre facta pace. Item quod facta pace suus barchosius fuerit acceptus et venditus pro Regimen Jadre.

De animalibus et barchosio constabat sibi fuisse accepta tempore guerre.

Item petitur, quod specialiter restituantur integre omnia sua bona Zone de Picolo etc. Primo videlicet petitur quod restituantur sibi mille capri et pecudes, animalia VII, que habebat in insula de Sestereum, in Simano et in Simisina. Que animalia fuerunt accepta per ser Vmbegna de Matafara, et socios Rectoris Jadre facta pace cum decem animalibus a sortenis (?) et vno asino.

Dominus Banus dicit super facto animalium, quod sibi constat, accepta fuisse tempore guerre.

Item ducatos LXX annuos (? talán aureos), quos sibi dare tenetur Dominicus de Massi pro modiis mille salis sui venditi in pace; et istud scit ser Mica de Rosa, qui dederit dictam pecuniam nomine ipsius; sic etiam ser Stephanus de Fadrimolo.

Super isto quod prorogetur terminus ad primam dicte

dominice Quadragesime, et compareat coram suo ordinario modo.

Item quod restituantur sibi ducati L anni ab ipso accepti per Rectores Jadre; quia tempore dominii Venetorum habebat ad affictum dacium vini, de quo dicti Rectores poterant minime se impedire, quia in pace continetur; »Et omnes iniurie, damna et offensiones sint hinc inde remisse«. Et facta pace hoc sit factum et accepta dicta pecunia per ser Johannem filium ser Bartholomei Sloranto et Tomasinum filium ancille Rectoris Jadre.

In simili modo restituantur sibi libre LXXXII parnulorum, que accepte fuerunt per Rectorem Jadre pro affictu insularum, quas tenebat tempore dominii Venetorum; de quo dicti Rectores facta pace nullo modo se intromittere potuerunt racionibus suprascriptis. Et facta sunt ista sacramento per dominum Franciscum de Zorzi et Franciscum de Zadolinis eorum sociis.

Super isto capitulo ducatorum L, et alio librarum LXXXII dicit: quod quia habuit predicta a Comite Jadre, ideo de jure coactus est soluere et debet.

Item quod revocentur nonnulle angarie facte contra ipsum non existente citato, nec poterit deinde ullo modo citari.

Item molendinum suum ab ollio, sicut solebat habere, vel aliter provideatur, circa que non sint in perditione.

Item quod disoccupatur pars aliqua culta sue possessionis, que tenetur per circavicinos occupata.

Item petitur, quod restituantur ser Nicoleto de Montio animalia quinquaginta minuta, pecudes et capre, que fuerunt acceptata per nuncios Rectoris Jadre de insula magna in loo vocato bocassino postulantis publicacionem.

Super facto animalium dominus Banus dixit, quod fuerunt accepta tempore guerrė.

Item quum molestetur quotidie per ser Vubegna de Motaffa Commissarium olim partis, nuncius dicti ser Nicoletti quoad formam aliquorum sermonum, decisionum et deliberatorum et diffinitarum atque datarum per Comites Jadre et indiccionem sub dominio Venetorum ad publicum incantum secundum eorum mores et consuetudines, ut deinceps omnibus

apparuerit publica instantia, que fuerit aprobata per auditores seniores Venetorum, interfuisse gesta et sancita, ubi talia cognoscantur; quia idem ser Vubegna ibi suam disposuisset et prosequitur appellacionem. Ergo non debet molestari et citari, ac eciam circa omnia gesta et sancita per Comites Jadre sub dominio Venctorum firma et solida sint et esse debeant, prout captum est in Consilio Jadre; unde p— — — — — ulterius non molestetur racionibus et causis antedictis.

Super ista molestacione dicit, quod filius dicti Nicoletti cum Vubegna est in termino.

Item petitur pro ser Nicoleto de Monteo — — — — — — heredibus ser Michaelis de Medio circa quod tempus, quo Veneti habebant dominium in pr— — — — — aliqui pastores branchi sui exeuntes in insula vocata Melada, quam insulam a dominis Venetis habebant certo omagio annuatim, ceperunt istos suos dominos ex pura eorum malizia contemnere, eos captiuos oculte transferentes ad aliam insulam MMLVI animalia, que ab istis suis dominis tenebant, sua quidem animalia violabili modo tenuerunt et tenent etc. Item quod dicti pastores et bramhii dent et soluant eis ducatos CCC, in quibus teneantur, scilicet pro inprestito et vendicione aliquorum animalium.

Dicit dominus Banus, quod quia Bartholomeus nuncius predictus non potest nominare dictos, supersedeatur.

Item petitur pro Magistro Jacobo Phisico domus una posita in contracta Sancti Francisci Jadre cum circiutu domus, que domus per Regimen Jadrense fuit data cuidam Jadrensi facta pace.

Super isto dicit dominus Banus, quod non appareat in quo sit Venetus, nec talis, qui per talem modum possit petere, vel pro eo.

Item alie res, que suo loco et tempore dicentur.

Dominus Banus dixit, circa quod constat sibi fuisse vendita secundum mores Jadre et ordinaciones.

Item petitur pro ser Johanne Bencino, quod restituatur ei possessio sua, et cuiusdam eius neptis posita super platea Jadre, que nunc impediatur per Cressimum de Nasti dictum Buzinola, quod ius est.

Commisit dominus Banus dicto Jacobo Subak advisato, ut faceret justiciam secundiim ordinum Jadre, quia tangit eum propter offensam.

Item petitur quod restituantur ser Bancicio Sory de Veneciis vasa scilicet olei, et unum vini, quia cum una sua conducta naufragauerit in mari circa Soltam Sybenici, et per Zanem de Zenabelis transeuntem exinde fuerunt recepta dicta vasa et accepta. Item petitur quod nautis dentur, et conservetur in iuribus suis, et restituantur sibi ablata indebite.

Dicit dominus Banus, quod placet, et quod conserventur in iuribus suis.

Et licet, domine Bane, sic — – — — — — — ut et de vestro mandato et scriptis seduxerim : tamen supplico Magnificencie cum omni reverencia, quod si ad omnia principaliter attendere non potestis; saltem intendatis ad ordinacionem ferendam extimacionis possessionum Venetorum existencium in Nona et Jadra, et ad restitucionem possessionum ser Marini de Comasuto, et — — — — — Picolo, de quibus pro honore sacramenti Regie Maiestatis et vestri vobiscum iurarunt nulla est condicio de aliis non dictis, dectis ordinem sicut decet.

(A velenczei sz. Mark könyvtárának kézirataiból Cod. LXXI Cl. XIV., melynek másolatát birja a magyar tud. Akademia könyvtára 27. l.)

C) Ugyanannak megbizása kiterjesztetili. 1359

Die decimo Octubris. Capta: Quod super facto istius Francisci de Mediolano et Zanini de Jadra, pro quo scribit Banus Sclavonie, committatur Bartholomeo Ursio Notario nostro, quod faciendo viam Sclavonie, sicut debet facere pro aliis factis sibi commissis, debeat cum illa informatione, quam alias habuit et portavit Johannes Bernardus Notarius noster de Tergesto et aliunde, facere responsionem domino Bano et aliis, ubi expedit, et iustificare id, quod per nos est factum. Et si Banus remanserit contentus de nostra responsione, bene quidem; sin autem, dicat quod intendimus de hoc facere consciam domino Regi. Et ipse Bartholomeus vadens ad presentiam Regis, narret seriose dictum negotium domino Regi, et justificet facta per nos, et requirat, quod placeat domino

Regi sic eficaciter mandare Bano et aliis suis, quod pro hoc vel similibus casibus nos non inquietent ulterius.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXIX. köt. 61. l.)

D) Ursio Bertalannak első jelentése a velenczei dogéhez, 1360.

Excellentissime Domine mi. Per meas litteras datas Jadre die XXIV. mensis Decembris preteriti Serenitati Vestre intimavi, qualiter tunc temporis de negotiis michi commissis nil aliud scribere poteram, nisi quod ad requisicionem domini Bani non vallens aliud facere, fueram in suo Consilio diebus IV cum ipso Jadre, ubi erant XV Jadrenses inter Rectores et alios, qui contra me multa et infinita dixerant et allegaverant super peticionibus per me factis a dicto domino Bano, et ego cum omni modestia substinueram secundum meam parvam discrecionem honorem et ius vestrum in quantum potueram; licet predixissem dicto domino Bano multociens, me non venisse ad Jadrenses, nec cum eis in ista parte aliquid agere habebam; nam dominus Rex soli domino Bano scribebat et mandabat. Tamen de eius mandato me opportebat sic facere, quia dicebat, quod de hiis, que petebam, tangebat Jadrenses, eciam quia erat Comes Jadre opportebat, quod sic omnino esset. Super quibus omnibus dixerat, quod michi daret suas responsiones. Sed quia possessiones ser Marini de Canaruto erant extra Districtum Jadre, opportebat, quod ipse haberet consilium cum Sclavis, et quod instrumenta suarum possessionum mecum ferre deberem Tininum ad eum; cui respenderam, quod dicta instrumenta secundum meam commissionem michi data per dictum ser Marinum nullo modo ferre potueram mecum, set ad eius declaracionem licet vidisset dicta instrumenta autentica, tamen reducerem in scriptis eorum copiam, videlicet millessimum, diem indictionem, mensem, nomina notarii, venditoris, emptoris et loca cum suis choerenciis, sicque contentus fuerat et feceram, atque qualiter de eius mandato post ipsum ibam Tininum, nec super aliis potueram suas habere responsivas, set michi darentur ibidem in scriptis ut dixerat, tamen michi videbatur factum in longum procedere,

nec potueram aliud facere nisi sequi voluntatem suam pro bono negociorum michi commissorum. Super vero facto Zanini de Mediolano, qui ad introducionem domini Jacobi Subych et Johannis de Grisogonis fuerat in dicto Consilio pluries et pluries, iustificaveram ius vestrum, in quantum potuerat et sciverat mea parva discrecio, secundum informacionem et commissionem meam, concludendo et inducendo dictum Banum possetenus, quod si graciam de hiis peteret a nostro Dominio, ob eiusdem domini Bani reverenciam ipse graciose obtineret; nam eratis parati sibi in omnibus complacere vobis possibilibus, et cum eo et suis pacifice et quiete pertransire. Et tunc quasi omnes Jadrenses ceperant vociferare, dicentes: »Domine Bane, dominus Rex fecit bonam pacem cum eis, et per formam pacis de novo factam licitum est nobis talia facere, nullo modo consulitur, quod istud sic pertranseat; precipiatis nobis, quod retingamus de suis navigiis taliter, quod fiat satisfaccio«; et cum hiis et aliis verbis multis substinendo, quod istud de iure secundum formam pacis licitum erat eis. Et quia michi visum fuerat, quod quasi dominus Banus condescendebat ad suum consilium, dicebam domino Bano, si erat contentus de dicta mea responsione et iuris vestri antiquissimi. Qui quidem dominus Banus responderat, quod nullo modo videbatur sibi, quod cum honore suo sic posset pertransisse; nam quatenus super ipsa materia scripserat vobis et habuerat verba tantum, et quod plus non intendebat scribere nec graciam petere, ubi ius habebat; in alio vero casu quolibet a vobis fiducialiter tamquam a fratre graciam peteret. Ego autem tunc dixeram sibi, quod in casu quo non remaneret contentus, debebam dicere domino Regi negocium et qualiter processum fuerat, et quod Dominacio Vestra non dubitabat eum esse tam iustum dominum et principem, quod quicquid per vos in predictis factum fuisset, haberet iustum actum esse, et remaneret contentus. Qui dominus Banus dixerat, si dominus Rex erit contentus, eciam ego ero; ymmo poterit tibi dare hominem illum, si sibi placebit, rogando me, quod ex parte mea et non parte sua dominio vestro verba sua scriberem, et quod bonum erat, quod restitucio fieret; cui sic scribere promiseram. Insuper denotave-

ram, qualiter multi et multi comparuenerant petendo multa et infinita, inter quos Comes Pragi nomine aliquorum Pagensium, super quibus omnibus responderam domino Bano sicut predixeram in principio meorum verborum, quod non veneram ad Jadrenses modo litigandi nec placidandi, quia non habebam sindicatum neque mandatum nisi ad petendum et recipiedum secundum formam pacis, et propterea nullam aliam responsionem potueram sibi dare. Nunc autem noverit Excellencia Vestra, me fuisse Tininum apud dominum Banum diebus quinque, et die tercio presentis Januarii habuisse ab eo suas responsiones in scriptis, quarum copiam cum peticionibus Dominio Vestro mitto presentibus introclusam. De restitucione vero possessionum ser Marini de Carnaruto oretenus dixit, quod habuerat consilium cum Sclavis aliquibus, qui dicebant, quo Comes Gregorius tenebat et possidebat aliquas villas et possessiones de suis, quo nomine deuenerant ad manus domini Regis, quando fuerat captus. Et propterea presumendum erat, quod cum aliqua racionabili causa tenebat et possidebat; de aliis vero villis et specialiter villa Rasanz ille vel illi, que vendiderant, non potuerant vendere secundum mores Sclavonicos; pro eo videlicet, quod non habebant heredes, quia quando non sunt heredes, nemo potest vendere, quia defuncto homine sine herede, sua bona devolvuntur ad Regias manus; et quia illi non habebant heredes, fuerant consignate domino Regi, et propterea non videbatur sibi, quod cum honore suo posset ista restituere, nisi primo notificet domino Regi negocium qualiter se habet, et quicquid dominus Rex imposterum sibi mandabit, erit paratus obedire. Cui, domine mi, dixi: »Domine Bane, in pace legitur videlicet: similiter eciam convenimus, quod illis duobus Jadrensibus, qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zoue de Pizolo, restituantur integre omnia sua bona, que habent in Jadra vel alia aliqua parte nostri dominii, et quod ipsis uti, gaudere et frui possint libere, pacifice et quiete, absque impedimento vel turbacione cuiusquam etc.; per quam scripturam clare demonstatur, quod nulla exceptio potest opponi, nisi facere integraliter restitucionem; nam per Dominium Vestrum, quibus multa erant restituta, non fuerat apposita

aliqua exceptio, et non — — — — Ben — — — — — — exercitu — — — — de Servia, Tramo de Tarsia, et aliis pluribus erat facta similis restitucio, quanto magis ipse restituere debebat vidend — — — — — — — — — que nullum contrarium apparebat, nisi modo presumpcionis secundum dictum suum, et quod si Comes Gregorius tenebat et possideb — — — — — — — — — o, erat presumendum, ipsum tenuisse modo usurpacionis quam alia racionabili causa. Ad aliud, quod dicebat — — — — — e non potu — — — — vendere — — — — — — satis clare demonstrabantur in instrumentis, quosdam eius propinquos consensisse dictis vendicionibus; concludendo, quod tenebatur restituere omnino secundum formam pacis et mandatum Regium sibi factum«. Circa que omnia, domine mi, per nos multa et multa dicta fuere, que essent longa scribendo. Finaliter domino Bano dixi, quod loquendo cum omni reverentia videbatur michi, quod modus iste erat temporis dilatacio, et quod intencio domini Regis erat omnino, quod restitueretur, et ipsemet de hoc erat verus testis; et cum hiis et aliis verbis substinendo, quod dicta restitucio iuxta sacramenta et promissiones parcium totaliter fieri debebat. Super quibus omnibus dixit et conclusit dictus dominus Banus, quod nil aliud facere intendebat pro conservacione honoris sui, sicque effectualiter notificat domino Regi per suas litteras michi datas et demonstratas, presentaturas domino Regi per me, apud quem procurabo omnia michi commissa fideliter in quantum scrivero et potero; et quicquid successerit, secundum meam commissionem Dominio Vestro solicite faciam fore notum. Insuper, domine mi super facto extimacionis possessionum Veneciarum existencium in Nona et Jadra dominus Banus fixit terminum ad diem dominicam primam Quadragesime nuper venture, et vult, quod nuncius iturus per me vadat ad Vranam quam alibi, et deinde notificet sibi per suas litteras de adventu suo, et mittat nuncium suum, ubi sciverit eum esse; quibus litteris suis receptis dominus Banus sibi rescribet, et dabit ordinem pro dicta extimacione fienda. Declaravit autem ipse dominus Banus, quod dictus Nuncius, Vranam iturus, sit ad tale tempus, quod dicta extimacio fieri possit in dicto termino.

Ceterum, domine mi, dum essem in dicto Consilio, sicut superius dictum est, procuratores et advocatores Jadre dixerunt domino Bano cum protestatione efficacissima, quod Cressius filius ser Marini de Carnaruto per suum Consilinm Sapientum fuerat privatus a civilitate Jadre, et quod de cetero tractaretur pro Veneto, quia eius pater habet privilegium a nostro Dominio civilitatis Veneciarum pro se et suis heredibus; et quia aliquis Venetus non potest habitare Jadre; quod sibi detur licentia, quod exire debeat Jadram, alioquin de omni periculo, ad quod incurrere posset Civitas Jadre, se excusabant, Tunc, domine mi, omnes de dicto Consilio ceperunt prospicere versus me, et ego nullum minimum verbum dixi, neque demonstravi aliquid actu aliquo multis legiptimis racionibus. Tunc dominus Banus respondit: »Volo facere«; et sic privatus et licentiatus fui. Set per ea, que audivi et vidi, istud processit solummodo propter peticionem; que fitur de restitucione possessionum patris sui, nam multum placent domino Bano propter notabiles redditus, qui nos habemus exhinde. Condiciones autem Dalmatie sunt in tam pessimo statu, quod nemo crederet, quin videret et audiret, nam quasi omnes plorant de Dominio vestro, et de moderno conqueruntur, dicentes, quod sub nostro Dominio erant tam Communia quam singulares persone divites, et modo est totum contrarium, nec audent demonstrare pulcrum quid, si habent. Insuper lix (?) Spalatinis sunt date confines, et debet ibi fortalicium hedificare, ut dicitur. Vidique, domine mi, dominum Banum ascendere turrim porte Jadre a parte terre, et undique prospicere et demonstrare; et sicut sensi, raciocinabatur de construendo castrum ibi, quod teneat ultra Comitatum. Ad suum autem getum portus modo non laborantur, ut dicunt, propter yemale tempus procedit. Preterea, domine mi, Magnitudini Vestre denotavi, qualiter in Tinino dominus Banus oretenus michi dixerat, quod mittebat presbiterum Martinum Camerclarium suum ad partes vestras pro emendo aliqua iocalia occassione aliquarum nuptiarum, que erat celebraturus, eciam pro emendo et conducendo extra aliqua arma tam de Padua quam de partibus vestris, rogando me propterea, quatenus Dominio Vestro denotarem, et ipsum tanquam per-

sonam suam propriam habetis recommendatum; hecque ore suo proprio audivisse eciam, qualiter tam per dominum Banum quam per suos ob reverenciam Vestri Dominii, dum steteram in Tinino, ubi facit residentiam, fui valde honoratus ita quod parvum expendi ibi, inveneramque dictum camerclarium, in quantum potuerat, cum honore suo michi placibilem et favorabilem. Nunc et semper gratie vestre me commendo. Datum Segnie die XVI januarii.

Servulus vester et Notarius
Bartolomeus Ursio.

(A »Marciana« velenczei könyvtár kéziratai közt Cod. LXXI. cl. XIV. melynek másolatát birja a magyar tud. Akadémia könyvtára. 36. l)

E) Ugyanannak második jelentése. 1360.

Serenissime Domine mi. Per alias meas litteras datas Segne instanti die, ea, que feceramus et habueramus, Dominio Vestro effectualiter denotavi. Nunc autem noverit Magnificencia Vestra, quod me existente cum domino Bano causa accipiendi commeatum ab eo, et dictis per me multis et multis verbis inductivis et conservativis amoris et benivolentie inter Dominium Vestrum et ipsum, ipse dixit mihi, quod Dominio Vestro istud denotarem et apud vos esset secretum, videlicet, quod, si non faciebat dictam restitucionem, non admiraremini. Nam tale consilium habuerat, quod nullo modo restituere poterat servato honore suo, nisi primo notificaret domino Regi; quamvis firmiter sciebat, quod dicta restitutio fieri debebat, et licet ille vel illi, qui non potuerant vendere, vendiderunt, forte domino Regi placebit, dictas villas pro pecunia Ego autem, Domine mi, videns, qualiter ista placent domino Bano propter notabiles redditus earumdem, quos habet, et cogitans, ne velit pro tanto precio, sicut constiterint dicto ser Marino, quia precium satis leve est ad respectum affictus et redditus, dixi qualiter super ista materia tanquam nuntius Vestri Dominii nullam informacionem habueram; sed tanquam Bartholomeus dicebam, quod, quamvis idem ser Marinus non esset dispositus ad vendendum, tamen cognoscendo sinceram benivolentiam, quam erga dominum Regem et ipsum habetis, et pro primo habere intenditis, non dubitabam, quod quando-

cumque aut per dominum Regem, aut per ipsum super ipsa materia Dominio Vestro scriberentur, quod vices vestras apud dictum ser Marinum interponeretis, et possetenus induceretis eum ad eisdem complacendum. Sed dominus Rex et ipse, loquendo cum omni reverencia, debebant considerare, quod quando dicte possessiones devenerint ad manus dicti ser Marini, res erant in centuplo meliori foro, quam nunc erant, quod diruynate et devastate et postea centumplum meliorate tam in hedifficando domus de novo et mollendina, quam in reparando et rehedifficando multa alia utilia et necessaria; ac eciam debebant considerare labores et expensas intolerabiles suas, et quia istud erat modicum, quod eis pocius debebant prospicere pro honore suo ad solvendum eas iusto precio, quam aliter procedere in casu, quo esset dispositus vendendi. Et sic remanserunt verba ista. Postquam, Domine mi, dixit eciam michi, quod ista alia verba sua Dominio Vestro denotarem, et quod penes eum essent secretissima, scilicet quod, sicut sciebet Dominacio Vestra, ipse habebat duo Regna ad gubernandum, videlicet Dalmatiam et Crohaciam, sub quibus erant loca et gentes in quantitate, et vos eciam habebatis loca et gentes in quantitate, qui forte non sunt unius eiusdem velle, licet sint Principatus; tamen rogabat vos, quod quandocumque aliqua novitas vestratibus per suos impenderetur, quod per Vestrum Dominium sibi notificaretur; nam per eum reformaretur secundum formam pacis, quia est dispositus eam inviolabiliter observare, et vobis et vestratibus cum honore sui Domini et suo in omnibus complacere; cui Domine mi, regraciatus fui, ut decuit, cum verbis honorabilibus et honestis tamquam Nuncius vester; sed tanquam Bartholomeus cum omni reverentia domestice dicebam sibi, quod secundum primum visum unusquisque, qui hec audiret, habet causam admiracionis, ne forte aliquod factum esset vel facturum; qui respondit, quod non dicebat pro eo, quod aliquod factum esset vel facturum, quod scriret, set solummodo si fiet et adhuc si esset factum per aliquos alios, quam per suos subditos extra suum regimem, teneret modum, quod omnino reformaretur, et pro tanto dicebat. Domine mi, sicut dixit, ita scribo. Insuper Domine mi, ut Magnificencia Vestra

videat et possit, si sibi placebit, demonstare dictó ser Marino, que instrumenta habere potui tangencia ius suum unanimiter cum filio suo, ne forte crederet, quod omnia haberentur copiam sicut dedi domino Bano, Dominio Vestro transmitto per Nicolatum Catormo barcarolum cum aliis litteris meis. Et sicut Magnificencia Vestra videt per verba eiusdem domini Bani; dubito, quod ad suam informacionem dominus Rex mihi dicat aliquid, et tangat super ipsa materia. Et quia, Domine mi, multa de his habui informacionem, neque habere potui neque scirem facere aliam responsionem utiliorem quam illam, quam feci domino Bano, ut superius dictum est. Cum omnimoda reverencia supplico, quatenus si aliquid aliud est vestre intencionis, mihi servulo et fideli vestro declarare dignemini, ut intentum vestrum possit perficere in omni casu, sicut opto; nam intellexi a pluribus, quod dicte possessiones moderno tempore valent a V mille in VI mille florenorum iusto precio. Preterea, domine mi, habui a domino Bano, quod dominus Rex ivit in exercitu ad Transilvanas partes; tamen nescio, si ita est, quia de hinc veridice minime scrire possum. Dicitur quod in partibus Hungarie est magna mortalitas, et multi Barones notabiles sunt mortui, inter quos dominus Leuchus frater Palatini Comitis. Et licet, Domine mi, Magnificencie Vestre scripseram per viam maris omnia ordinate, tamen ad abundantem cautellam propter hyemale tempus, ne possitis incurrere terminum extimacionis possessionum existencium in Nona et Jadra, eciam ut verba suprascripta domini Bani cicius sint vobis nota, proinde cursorem presencium cum his meis litteris Vestre Serenitati destinarem; nam a die X. mensis presentis summo mane, sicut applicui Segne, usque presentem diem tam pessimum tempus et fortuna perfida fuit, quod dicta barca nec ego potuimus recedere, et cras dante Deo recedamus; verumtamen in toto non amisi tempus, nam emi unum equum, alium habere non possum, qui sit pro itinere, nec a L ducatis et inde supra; set spero invenire Modrussie, et cum habuero, solicitabo iter meum pro posse, et quicquid habuero et fecero, solicite Dominio Vestro faciam fore notum. Lator autem presencium habere debet ducatos duos cum dimidio, de quibus sibi dedi ducatum unum, residuum dig-

nemini ordinare, quod sibi detur. Nunc et semper gratie vestre me commendo. Data Segne die XVI Januarii XIII indictionis. Servulus vester et Notarius
Bartholomeus Urssio.

(Ugyanott 36. l.)

F) Ugyanannak harmadik jelentése. 1360.

Serenissime Domine mi. Per duas manus mearum litterarum, unam videlicet per viam terre, aliam vero per viam maris de Segna, omnia, que feceram apud dominum Banum Dalmacie, Magnificencie Vestre particulariter et distincte pleniter intimavi, deindeque aripiens iter meum, intravi Budam die secundo mensis Februarii hora vesperarum. Vbi habui, quod dominus Rex omnino erat reversurus citra carnis privium ab exercitu suo de partibus Transilvanis; quare me opportuit expectare Bude propter mirabilem passionem, que michi devenit nocte sequenti. Set mediante Divina gratia et auxilio medicorum sum in convalescentia. Et in veritate magna mortalitas fuit et presencialiter est in Hungaria, et specialiter Bude et Vicegrado, et sicut fertur, ibidem sunt mortui ultra XVI millia personarum, nec cessare videtur, licet dicatur, quod sic terminum erit. Noverit Excellencia Vestra, quod dominus Rex applicuit Visegradum die Veneris XIIII. mensis instantis hora tarda. Quo scito die sequenti equitavi, ut potui, Visegradum, et die XVI. dicti mensis facta notifficacione de meo adventu sibi per Palatinum Comitem, et quod quandocumque placeret Maiestati Sue essem paratus dicere sibi michi commissa; idem Palatinus Comes rediens dixit michi ex parte domini Regis, quod non habeam pro malo, si non poterat me audire illis diebus carnis privii, nam habeat nuptias, et propterea volebat habere solacium et quietem; set prima die XL-me omnino me audiret. Cui quidem respondi, quod quicquid placebat Regie Maiestati, ita placebat et michi. Set rogabam eum, quod taliter procuraret, quod dicta die ordinata me audiret. Et fuit, domine mi, ita rei veritas, quod habuit nupcias quidam eius propinquus ex parte matris, qui vocatur Cheserzch, videlicet quod conduxit uxorem. Facta

autem prima die Quadragesime fui ad ipsius presenciam, cui, litteris vestris credulitatis presentatis et facta honorabili et decenti salutacione parte Vestri Dominii, dixi sibi ea, que michi commissa fuerunt per Vestrum Dominium. Et primo videlicet super requisicionibus suis de facto Terami de Tarssia Justinopolitani et suorum sociorum, qualiter vos optantes pure et recte cum omni sinceritate servare pacem et contenta in ea, omnes processus factos contra dictum Teramum et aliquos alios de Istria occaxione adherencie facte sibi, parati eratis revocare, et ipsos restituere et tractare tam in personis quam in bonis suis in eo statu et condicionibus, quibus tractabantur ante aderenciam antedictam: et sic ex nunc mandaveratis Potestati vestro Justinopolis, quod debeat inviliolabiliter observare. Qui quidem dominus Rex nullo modo poterat de hiis habere memoriam, set finaliter reducta memoria, valde placuit sibi. De facto autem Guerre Castrifranchi et filii sui dixit, quod si iste esset de casibus contentis in pace, essetis dispositi facere et disponere de eis, sicut de aliis fecistis; set isti nullo modo possunt dici de adherentibus et sequacibus suis, nam per confessiones suorum sociorum, qui fuerunt iustificati, demonstrabantur clare sic esse rei veritas, quia tractatus erat inter eos solummodo extrahendi castrum et locum Castrifranchi de manibus Vestri Dominii, et in se ac pro se met ipsis retinere, nullam mencionem agendo de domino Rege, nec de aliquibus suis, et propterea non tenebamini secundum formam pacis, unde Maiestas Sua debeat vos in hac parte habere legiptime excusatos. Tunc Palatinus Comes Hungarice fuit loquutus domino Regi; et dominus Rex michi retulit dicens: Dominus Palatinus dicit, quod tractatus iste ipsemet faciebat et ordinaverat cnm eis; super quibus multa et multa dicta fuerunt per unamquamque partem pro et contra, que longa essent scribenda. Set quasi in conclusione dominus Rex dixit: Si non vultis, quod intrent civitates et loca, saltim restituantur bona sua, ut possint vivere; nam bene scio, quod male possunt stare proditores cum bonis, quia non debent placere proditores alicui bono, nec michi vere placent. Et facta perinc decenti responsione substinendo ius vestrum, in quantum scivit et cognovit meus parvulus

intellectus, ipse sic antedicens conclusit et dixit: Ergo dimitto istud super fidem et conscienciam Dominii vestri, domini Ducis et Communis. Cui dedi responsionem, ut decuit pro vestra intencione. Insuper, domine mi, dixi, qualiter presentaveram litteras suas Bano suo Dalmacie super facto extimacionis possessionum Venetorum existencium in Nona et Jadra, et restitucione bonorum Marini de Canaruto et Zoue de Pizolo; et quod super facto extimacionis possessionum datus fuerat ordo extimandi prima dominica Quadragesime. Super vero restitucione bonorum Marini de Canaruto narravi sibi puntum parcialiter neccessaria narranda, atque excepciones et opposiciones Bani sui, videlicet quod quando Comes Gregorius fuerat captus, alique ex illis villis et possessionibus devenerant ad manus suas Regias, quia tenebat et possidebat, et presumendum erat, quod cum aliqua racionabili causa tenebat et possidebat — — — — — — — us, quod illi, qui vendiderant, non poterant vendidisse, quia non habebant heredes, et propterea secundum eorum mores — — — — — — — dederant de voluntate; presentando tunc sibi litteras dicti Bani super ista materia; dicendo super prima parte, quod cum omni reverencia loquendo tales exceptiones et opposiciones non debebant admitti, quia demonstraveram sibi quam plura lucida et autentica privilegia et instrumenta, quomodo dicte possessiones et ville erant sue; etiam habebant quam plures possessiones, de quibus non poterant demonstrare aliquod instrumentum, nam in capcione Jadre tota domus sua fuerat derobata, set debebat sufficere, si notorium esset ei, ipsum tenuissse et possedisse tempore pacis; qui quidem dominus Rex statim dixit, quod habebat autentica instrumenta, qualiter presciptus Marinus vendiderat Comiti Gregorio, et propterea erant sue. Cui, Domine mi, cautulose dixit: Regia Magestas, bonum est, quod videantur ista instrumenta, et quod cum istis suis, de quibus habeo copiam, examinentur, quia forte erit divisio in aliqua parte aut de situ aut de loco aut de confinibus earumdem; et sum certus, quod Maiestas Vestra non vult aliud, quam id, quod iuris sit. Tunc ceperunt raciocinare ad invicem dominus Rex et Palatinus Comes et dominus Archiepiscopus Strigoniensis, quia alii non erant

Tandem dominus Rex dixit michi, quod ita cito fieri non posset istud, et si habebam aliud, quod deberem procedere ad aliud. Ego autem, domine mi, tunc narravi sibi seriose factum Zanini de Jadra, et Franceschini de Mediolano, iustifficando ius vestrum, in quantum scivi et potui secundum vestrum commissionem. Cuius vero responsio fuit in hac forma, videlicet quod de hoc nil sciebat nec habuerat novum de partibus Dalmacie, diu erat, nisi hesterna díe; et quod volebat informari, quia Banus eius erat venturus ad eum, nam pro eo miserat. Tunc, Domine mi, dixi sibi: Regia Maiestas, bonum est, postquam ego sum, quod finis aponatur istis negociis. Sicque deliberatum fuit, quod ego expectare deberem Banum predictum, quo vento, procurabo et faciam tam aput dominum Regem quam apud dominum Banum et alios quicquid boni per me fieri poterit iuxta vestram intencionem, et quicquid habuero et fecero, Dominio Vestro faciam fore notum. Insuper, domine mi, de restitucione loci Casamate nichil dixeritis, quia in mea commissione legitur, quod illud idem dicere debeam expeditis aliis negociis michi commissis, et quia non sunt expedicta, ut audiveritis, hec facta servavi dicere suo loco et tempore. Domine mi, per ea, que audivi, dictus Banus non creditur, quod veniet, nisi circa Pasca, et propterea cum omni reverencia loquendo, michi videtur utile, quod ego haberem aliquam informacionem super ipsis instrumentis vendicionum, ut dominus Rex dixit se habere, vel aliter, ut in omni casu possem seriate ius et honorem vestrum sicut opto. Domine mi, si cicius Vestre Magnificencie non scripseram, ut affectabam, dignemini me per dictam passionem meam legiptime excusare. Martinus autem lator presencium habere debet ducatos quinque, de quibus sibi dedi ducatos duos, et residuum habere debet Veneciis a vestro Communi, quod digemini mandare, quod sibi detur. Nunc et semper gracie vestre me commendo. Data Bude die XXVII. Februarii de sero.

Servulus vester et Notariu
Bartholomeus Urssio.

(Ugyanott 42. l.)

403.

Az 1358-ki békesség foganatositását tárgyazó követelések Magyarország részéről. 1359.

A) A velenczei kormánytanácsnak Szécsy Miklós dalmatiai bán. 1359.

Excelse Magnitudini Vestre presentibus patefiat, quod comparentibus coram nobis Ambaxatoribus et Nunciis ac syndicis Vniuersitatis Terre Pagi, fideles domini nostri Regis, exposuerunt cum querela, quod cum mandato predecessorum vestrorum fuisset datum Vniuersitati et populo antedicto firmiter in mandatis, eis tunc existentibus sub Veneciarum dominio, quod secundum taxacionem et modum datum de Ducali mandato per nobilem virum dominum Paulum Lauredano tunc de suo mandato Comitem Nonensem, quod solucio et satisfaccio fieret integralis Bellote Georgii de Pago et eius propinquis, ac aliis, quibus ad suggestionem populi Vniuersitatis predicte fuerunt eorum domus inconsulte et indebite posite in ruynam, ut manifeste Dominio Veneciarum fuit liquide patefactum; ipsi, ut tenebantur, volentes mandata Ducalia effectualiter observare secundum taxacionem prefati domini Pauli, imposuerunt collectam et avedaticum de florenis sexcentis auri exigendis a quibuscumque de Vniversitate Pagi pro rata. Quibus exactis, solucio facta fuit quibusdam dampnificatis, qui tunc erant presentes secundum dictam taxacionem, que ascendit ad summam trecentorum ducatorum, vel idcirca. Et quia dictus Bellota et eius propinqui tunc erant absentes, quibus secundum dictam taxacionem tangebat ressiduum dictorum VI centum ducatorum, depositi fuere in camera Vniuersitatis Pagi ducati trecenti iamdicta de causa, exacti pro solvendo et satisfaciendo eisdem tempore congruo. Contigit postea, quod medio tempore dominus Mapheus Bembo tunc de Ducali mandato Comes Pagi invenit pecuniam antedictam in dicta Camera Vniuersitatis, et eam accepit et misit Venecias, prout fertur et constat per quaternos repertos in camera antedicta; et demum comparuerunt predicti Bellota et propinqui petentes ab Vniuersitate pecuniam ante-

dictam; super quibus fuit tam per Vniuersitatem quam per predictum Bellotam significatum et supplicatum Dominio antedicto, quod ut patet publicis documentis provisum fuit et ordinatum per predictum Dominium dictam pecuniam debere restitui, quod hucusque non extitit exequutum. Nunc vero ad requisitionem et instanciam dicti Bellote et suorum propinquorum sententiatum extat iuridice, quod Vniuersitas terre Pagi solvere teneatur dicto Bellote et eius propinquis dictos florenos CCC auri secundum taxacionem dicti damni. Quare cum non sit consonum racioni, ut quod semel exactum est amplius exigatur, et cum dicta quantitas pecunie, ut premittitur, iam exacta extiterit et accepta, ut predicitur; non credimus fore dignum, quod Vniuersitatis in predictis ulterius agravetur. Quare Magnitudinem Vestram presentibus duximus deprecandam, quatenus iustitia procedente pro honore domini nostri Regis et nostris intervenientibus precibus indempnitati predicte Vniuersitatis et populi taliter providere dignemini, quod cedat iuri et honori vestro ad laudem, et ne querela eorum ad aures Regis valeat devenire, sed per satisfationem condigname eorum querimonie cessare cogantur Et super hiis, que Vestra Magnificencia ordinaverit et disposuerit, si placet, dignetur rescribere per latorem. Data Jadre XXIII. Decembris.

Nicolaus de Zeech Regnorum Dalmacie et Croatie Banus Generalis, Comesque Civitatis Jadre.

Kivül: Excelso et Magnifico domino Johanni Delphyno Dei gratia inclito Duci Veneciarum. Banus Sclavonie pro Pagensibus.

(A Marciana nevü velenczei könyvtár Cod. Lat. LXXI. számu kézirati codexből; a m. t. akad. könyvtárában levő másolat szerint 47. l.)

B) Ugyanannak ugyanaz. 1359.

Excelsam Magnificenciam Vestram non latere volentes, vobis duximus presentibus fore notum, quod coram Judice Civitatis Jadre nomine cunctorum Nobilium et Communis querelam exposuerunt, quod cum nos vice Regia eis commiserimus aliqua peragenda, asserunt ea non potuisse perficere, quoniam necessaria ad predicta non possunt habere, nisi de

civitate vestra Veneciarum, utpote ferrum, arma et alia consimilia ad perficiendum per nos eis imposita superius, ut est dictum; addentes, quod per officiales vestros suis non datur licencia et facultas pro sua pecunia extrahendi de civitate et aliis locis Vestre Dominacioni subditis predicta et allia quamplurima suo usui necessaria. Quare cum in locis, terris et portubus subiectis domino nostro Regi plena sit vestratibus concessa facultas extrahendi queque victualia et alia universa pro eorum libito voluntatis absque contradiccione vel molestia, et dignetur Magnificencia Vestra pro honore domini nostri Regis et nostris intervenientibus precibus, ut omnis materia scandali de medio auferatur, et amor et gratia augeatur, disponere et ordinare, quod predicti fideles domini nostri Regis, et alii eorum subditi possint et valeant pro sua pecunia mercimonia queque, et alia usualia et eis necessaria extrahere et extrahi facere de omnibus terris et locis vestro dominio subditis, ut nos pro inde et eos Magnitudini Vestre faciatis ad similia debitores; rogantes, si placet, ut quidquid disposueritis fieri superinde, velitis et dignemini nobis per Vestre Magnitudinis litteras intimare. Data Jadre XXIII. Decembris.

Nicolaus de Zeech Regnorum Dalmacie et Crohacie Banus Generalis ac Comes Civitatis Jadre.

Kivül: Excelso et Magnifico domino Johanni Delphyno Dei gratia inclito Duci Veneciarum.

(U. o. 49. l.)

C) Ugyanannak ugyanaz. 1359.

Meminimus dum essemus Veneciis personaliter super pace tractanda inter dominum nostrum Regem et Vestre Magnitudinis Regimem, secundum querelam et peticionem nobis expositam per Cernolum Johannis Dobroxii civem Jadre colloquium habuimus de facto cuiusdam sui barcusii caseo et aliis mercimoniis suis onusti, eidem indebite sublati de portu Jadre clandestine et furtive per Franciscum Rubeum civem vestrum. Super quibus post plura dicta et replicata, per Vestram Dominacionem nobis promissum extitit, talem ordinem per vos dari debere, quod dictus Cernolus conservaretur indempnis et possit merito contentari. Nunc vero ipse querulanter

exposuit, se velle ius super inde consequi potuisse. Quare predicta ad Vestre Magnitudinis conscientiam reducentes, vos duximus deprecandum, quatenus promissionem vestram et gratam policitationem super predictis taliter per execucionem et complementum corroborare dignemini, quod Vestre Magnitudinis cedat honori, et pro inde vestratibus simus in futurum ad similia oblicati. Respondentes, si placet, quid decreveritis fieri superinde. Datum Jadre XXIIÌ. Decembris.

Nicolaus de Zeech Regnorum Dalmatie et Crohacie Banus Generalis Comesque Civitatis Jadre.

Kivül. Excelso et Magnifico domino Johanni Delphyno Dei gratia inclito Duci Venetiarum.

(Uyyanott 48. l.)

404.

Adalékok I Lajos magyar királynak a német birodalmi rendek egy része által tervezett császárrá választatásáról. 1359.

A) IV. Károly császárnak Gerlak majnczi választó fejedelem.

Invistissimo domino Karolo Imperatori Semper Augusto, Domino suo Gratioso, Gerlacus Dei gratia Archiepiscopus Moguntimus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius sincere fidelitatis obsequium tam debitum quam paratum. Ad meam, quod dolenter refero, noticiam deduxit relacio fide digna, Illustrem siquidem dominum Rudolfum Austrie Ducem Imperialibus vestris auribus instilasse, qualiter ego et quidam alii Imperiales Electionis prerogatina et titulo decorati mei Conprincipes, de conniventia quidem et scitu Sanctissimi in Christo Domini nostri Summi Pontificis, apud inclitum dominum Regem Vngarie factiones et consilia presumpserimus attemptare pro deposicione Serenissimi Status Vestri, et sublimatione dicti domini Regis in locum vestrum ad fastigium Imperialis Maiestatis. Cuius rei admiracione stupenda, donec in lucem prodeat huius tam infausti negocii veritas, animus meus incessanter vehementissimis non inme

rito motibus anxiatur. Quia igitur teste Deo cordium scrutatore, et fidelitate, qua Imperiali teneor Celsitudini, quamque semper constanti fide erga Vestram Dominacionem Qesaream gessi, et inantea auxiliante Domino observabo, nichil horum michi sum conscius; nec quidem in cogitatione, ut de factis taceam, ad hoc inconveniens presumpsi ullo unquam tempore prosilire. Proinde flexo animo Vestre supplico Maiestati, quatenus ab huiusmodi, quo nescio emulatore conficta calumpnia credulitatis animum avertentes, meam circa ista habere dignemini devocionis et puritatis constanciam de benignitate Cesarea penitus excusatam, et meam super his expurgacionem clementer admittere. Quam pro innocencie mee puritate paratus sum et desideranter exopto facere in Consistorio Imperialis Aule, prout Vestre Serenitati et Conprincipum meorum vestri Imperii deuotorum Judicium decreverint faciendam. Datum stb.

B) IV. Károly császárnak Gerlak majnczi választó fejedelem.

Serenissime Domine. Prout vestra Imperialia iussa me nuper litteratorie requirebant, ut una cum quibusdam aliis meis in electione Imperiali Comprincipibus ad certum michi et ipsis per Illustrem dominum Rupertum seniorem Ducem Bavarie designandum terminum convenirem auditurus una cum ipsis ea, que ipse dominus Dux ex parte vestri nobis duceret exponenda: ita ad eiusdem insinuationem tam ego quam predicti domini convenimus hodie cum ipso domino Duce apud Bacheracum, et fidelem ipsius relationem Imperiali nomine provide nobis factam concorditer audivimus, et grato animo recepimus, cum ea deuotione qua decuit et honore. Vestre igitur Serenitati cupio innotescere per presentes, quod ad omnia illa per dictum dominum Ducem nobis exposita tam ego quam dicti mei Conprincipes, vestri Imperii devoti, hic in presenti congregati, pro voluntate, honore et beneplacito Vestre Imperialis Celsitudinis taliter faciemus, — — — — — — — —, quod de nobis in hac parte debebit, optanter confidimus, Vestra Supercellens Dominatio contentari, prout etiam dominus Dux supradictus iuxta responsionis nostre formam

sibi expositam, Vestram Serenitatem poterit latius informare etc. MCCCLIX.

C) I. Lajos magyar királynak Gerlak majnczi választó fejedelem.

Excellentissimo Principi domino Ludouico Vngarie Regi Gerlacus Dei gracia Archiepiscopus Moguntinus stb. sinceram et obsequiosam ad beneplacita voluntatem. Infausta ad nostram nuper noticiam deduxit relacio, Illustrem videlicet dominum Rudolfum Ducem Austrie, quo miramur auctore ad ipsum talia peruenerint, Invictissimi Domini nostri, Romanorum Imperatoris animum informasse, qualiter nos et quidam alii nostri Conprincipes Sacri Imperii Electores, de coniuventia et scitu Sanctissimi Patris — — — — Summi Pontificis apud Vestram Preclaram Dominationem factiones, tractatus et consilia presumpserimus attemptare pro dicti Domini nostri Imperatoris deposicione, et Vestre Regie Persone sublimacione in locum ipsius ad apicem Imperatorie dignitatis. Sed quia, Deo teste, et vestra Regia consciencia veraciter cognoscentes, quod de his et omni faccione huiusmodi peruersi conaminis sumus penitus innocentes: Vestram affectuose rogamus Regiam Dignitatem, quatenus ob zelum iusticie et veritatis nostram dignemini apud dictum dominum nostrum Imperatorem, et ubicunque de his mentio ventilabitur, innocenciam debite et favorabiliter excusare. Cum constet Vestre Sublimitati Regie, quod de his nunquam ad vos sermo noster fuit, nec aliquando super hoc vel aliquo talium ad vos nostra scripta vel nuncia peruenerunt. Nec intendimus itaque, vel possumus famam nostram negligere in hac parte, quin in ipsius Domini nostri Imperatoris Consistorio et ubique per expurgacionem condignam nostre puritatis innocenciam declaremus. Datum stb.

Jegyzet. Vilmos kölni választó fejedelemnek. 1359. Bacharachban november 11. kelt hasonló tartalmú levelét l. Fejérnél Cod. Dipl. IX. köt. 3. r. 82. l.

D) IV. Rudolf ausztriai herczegnek Gerlak majnczi választó fejedelem.

Illustri Principi et potenti, domino Rudolfo Duci Austrie, amico nostro dilecto, Gerlacus stb. sinceram ad beneplacita voluntatem. Ad nostram nuper deduxit noticiam relacio fidedigna, Vestram quidem Generositatem Serenissimi Domini nostri, domini Imperatoris auribus intulisse, quod nos et quidam alii nostri Conprincipes Sacri Imperii Electores, de conniventia et scitu — — — — Summi Pontificis apud inclitum dominum Regem Vngarie factiones et consilia presumpserimus attemptare, pro deposicione siquidem dicti Domini nostri Imperatoris, et sublimacione dicti domini Regis ad fastigium Imperatorie dignitatis. Quia igitur nichil omnino horum conscii nobis sumus, et per talia ac tam nefanda conamina inviti vellemus, nedum cogitando, ut de facto taceamus, inferre maculam fame nostre : admiracione nimium perturbante percellimur, quonam adinventore, quove calumpniatore, ad vestre cognicionis noticiam hec de nobis et nostris Conprincipibus perversa relacio convolarit ; cum certum sit, et Excellencie Vestre notum existat, quod de his nunquam ad vos sermo nobis fuit, nec ulla ad vos super eo scripta nostra seu nuncia pervenerunt. Quapropter Vestram preclaram Nobilitatem rogamus animo affectuosissimo, quatenus sinceritatis mutue, qua unumcumque Principem honorem alterius zelare convenit, ob respectum, talia de nobis minime sencientes, nos super delacione huiusmodi iniuriosa velitis in ipsius domini Imperatoris audiencia excusare, nobisque pro innocencia nostra in hac parte conservanda, portare et conferre per vestras patentes litteras, et oris beneficio ubi necesse fuerit, debitum testimonium veritatis. Nam si qui ultra forsitan sinistre de nobis suspicans, causare de contrario nos curaret : parati essemus in Imperialis Aule Judicio, et in omni loco iuxta dicti Serenissimi Domini nostri Imperatoris, et dictorum dominorum nostrorum Conprincipum decretum super his nos veritate lucida expurgare. Datum stb.

(Gudenus Bálint Ferdinánd, Codex Diplomaticus Anecdotorum Res Moguntinas stb. illustrantium, III. köt. Frankfurt és Lipcse 1751.

424. sk. ll. Az itt szóban lévő eseményekre nézve fontos IV. Károlynak 1360. Nagy Szombatban feria sexta ante Ascensionem Domini kelt okmánya, Fejérnél Cod. Dipl. IX. köt. 3. r. 162. l.)

405.

I. Lajos magyar királynak a florenczi köztársaság oroszlány kölyköket küld. 1359.

Petenti domino Hungarie Regi Illustrissimo a Communi Florentie, per litteras suas eidem Communi, seu dominis Prioribus, et Vexillifero Justitie, Populo et Communi Florentie presentatas per Nicolaum Taldi Valoris, duos leonum catulos.

Responsum fuit per litteras Communis Florentie, quod una leena parva dabitur, et quod daretur, deliberatum fuit dicto Nicolao pro ipso domino Rege recipienti; et dum fetus futurus habebitur, qui speratur de proximo, masculus etiam dabitur iuxta petitionem Regiam; cui libenter annuitur per Regiam flagitationem. XXIIII. Decembris.

(Carteggii. Signoria filza XII. 112. l. a florenczi levéltárban.)

406.

A velenczei köztársaságnak Gergely corbaviai gróf. 1360.

Littere Comitis Gregorii filii Curiatii nunc in Regno Hungarie in Castro Levia existentis ad Ducale Dominium Venetiarum.

Excellentissimo Principi domino Duci Venetorum, Domino suo metuendo Comes Gregorius filius Curiatii nunc in Regno Hungarie in Castro Levia moram trahens, inclinationem cum promtitudine sui famulatus honore condecenti. Noviter Vestre Dominationis devotio nuper per quemdam meum nuncium videlicet Isho, litteras meas vobis pro transmittendis mihi expensis direxisse, et idem meus nuncius demum ad me reversus, prout idem mihi asseruit, tantum sexaginta florenos pro expensis mihi duxeritis transmittendum; secundum vero nuncium mediantibus meis litteris pro petendis a vobis expen-

sis, videlicet Prolebanum de Leva ad vos transmisisse, idem ad me reversus nullam expensam ex parte Vestre Gratie mihi portavit. Super quo supplico et peto Vestram Excellentiam presentibus intuitu Dei Omnipotentis, et ob respectum meorum servitiorum per immensum, quatenus predictos sexaginta florenos usque ad ducentos florenos mihi complere dignemini vestri gratia et velitis. Insuper suplico Maiestatem instanti prece qua possum, ut mihi, quousque hic in isto infelici statu existo, quem statum sciente Divina Clementia, quod non meritis meis culpis graviter patior, et sum adeptus, singulis annis centum florenos mihi ad usum meum vestri gratia transmittere velitis; quia preter Deum ad nullum habeo refugium seu spem, nisi ad Vestram Excellentiam. Quia sic communis fama sonat in Regno Hungarie, quod ego contra honorem domini Ludovici Dei gracia Hungarie Regis favendo Vobis, sibi scilicet infidelis et contrarius extitissem et essem. Causam per hoc verum Deum, meam veram fidem erga dictum dominum Regem mere nostis, ac novistis. Igitur supplico Vobis instanter ac devote, ut singulis annis mihi, ut premissum est, per meum nuncium exhibitorem presentium centum florenos pro expensis Vestri gratia transmittere velitis. Insuper sexaginta florenos, quos mihi per meum nuncium nuper ad Vos missum transmisistis, eosdem sexaginta florenos usque ad ducentos florenos mihi compleatis; ita tamen, quod predictam pecuniam meo filio Georgio, aut suo Procuratori vel latori presentium accomodare Vestri gratia debeatis. Datum feria secunda post festum Beatorum Fabiani et Sebastiani anno Domini MCCCLX.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 290 lev.)

407.

A IV. Károly császár és IV. Rudolf ausztriai herczeg közti egyenetlenségek I. Lajos magyar királynak közbenjárásával elintéztetvén, mind két részről az okmányok kiadatnak. 1360.

A) Wir Karl etc. vnd wir Johans Marggraf zu Merhen thun kunt, dass wir dem allerdurchleuchtigsten Hochgebohrnen Fürsten, Herrn Ludwigen Kunig zu Vngern vnnserm lieben Bruder, von sulcher Sache vnd Theidung wegen, als er zwischen vns vnd dem hochgebohrnen Rudolf Herzogen zu Oesterreich etc. etc. von sein selbenes vnd aller seiner Brueder wegen gefurt vnd getan hat, geantwurt vnd geben haben gentzlich alle die Handfesten vnd Prife, die unser vorfordern vnd wir von Lehens oder Pfantschafft wegen uf den Landen Oesterreich, Steyern vnd Kernten, vnd vf andern iren Landen vnd Herschafften vntz vf diesen hutigen Tag dhains weges gehabt haben. Wer aber das fürbas hinter vns oder vnsern Erben sulicher Briefe, die vnsern Vorfodern oder vns gegeben wern icht mer funden wurden, die sulle alle tod vnd ab sein, vnd dhain Krafft mer haben. Mit Vrkund ditz Briefs versigelt mit vnserm Insiglen. Datum Tirnauie sabbato post Ascensionem anno LX., vnsers des vorgenanten Keysers Reiche XIIII. Imperii V. per Cancellarium.

Johannes Eistedensis.

B) Wir Rudolff von Gottes Gnaden Hertzog zu Oesterreich, zu Steyer vnd zu Kerndten thun kundt, dass wir dem Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten, Herrn Ludwigen Kunig zu Vngern, vnnserm lieben Bruder, von solcher Sache vnd Theidung wegen, als er zwischen dem Allerdurchleuchtigsten vnserm Gnedigen Hern, Herrn Karl Römischen Keiser vnd Kunig zu Beheimb vnd vns gefürt vnd gethan hat, geantwurt vnd geben haben genzlich alle die Handvesten vnd briefe, die vnser Vordere, wir vnd vnser Bruder von Lehens oder Pfandschafft wegen auf den Landen Beheimb vnd Merhern, oder auf andern Iren Landen vnd Herschafften, bis auf diesen heutigen Tag einichs Wegs gehabt haben. Were aber, das fürbasser hinter vnss, vnsern Brudere, oder vnsern Erben

solcher Briefe, die vnsern Vordern, oder vns gegeben wären, nicht mehr funden wirden; die sollen alle todt vnd ab seyn, vnd keine Krafft mehr haben. Ausgenomben allein des briefs, den wir haben von dem Hochgebornen Fürsten, vnserm lieben Oheimb, Herrn Johannsen Marggrauen zu Merhern vmb den Dienst, den er vns thun soll von der Richtung wegen, die der vorgenandt vnser Bruder von Vngern zwischen vnserm Vatern seligen vnd Im gemacht hat. Vrkundt dits Briefs versiegelt mit vnserm anhangenden Innsiegel. Der geben ist zu Tierna am Samstag nach dem heiligen Auffahrts Tag vnsers Herrn, nach Christi Geburth tausend dreihundert Jare darnach in dem sechzigsten Jahre.

(Néhai Feil József úr közleménye. A kiegyezkedési okmányokat lásd Lunig János Keresztélynél Codex Germaniae Diplomaticus I. köt. Frankfurt és Lipcse 1732. 1238 és 1258. ll.)

408.

Delfino János velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1360.

Littere Ludovici Regis ad Ducem Venetiarum.

Amice carissime. Sicut alias Vestram Amicitiam per venerabilem patrem dominum Paulum Frisingensem Episcopum requisivimus diligenter; sic etiam nunc eandem duximus presentibus exhortandam, quatenus vestrum sindicum ad Romanam Curiam, quanto citius fieri poterit, transmittatis, qui pro parte nostra supplicet domino Summo Pontifici, ut contractum et formam pacis inter nos et Vos celebrate dignetur per suas Apostolicas litteras confirmare. Ceterum illam clausulam: »Et e contra nos Dux et Commune« etc., que continetur in pace, et loquitur de facto subditorum nostrorum venientium ad terras et loca vestra, velitis ita sufficienter exprimere, sicut exprimitur ista clausula: »Preterea promisit dominus Rex prefatus« etc. que similiter continetur in pace, et loquitur de facto subditorum nostrorum venientium ad terras et loca Vestra, et hanc diccionem: »E contra« velitis mutare in: »E converso«, vel: »Viceversa«, aut in aliam hiis consimilem addictionem, prout refferet Damianus Andree Notarius

ut supra, qui de hiis et aliis nostris intentionibus Vobis explicandis teneatur plenius informare. Data Vissegradi ultimo die mensis Junii.

Lodovicus Dei gratia

Rex Hungarie.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 292. lev.)

409.

Delfino János velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1360.

Littere Ludovici Regis ad Dominium Ducale.

Amice carissime. Veniens ad nostri presentiam Damianus Andree Notarius Vester nobis sub credentia litterarum vestrarum inter cetera supplicavit, ut Vobis castrum Gasamata restituere vellemus, sicut ex forma pacis ad hoc astringeremur. Super quo Amicitie Vestre sic decrevimus respondere : Quod idem castrum tempore guerrarum olim inter nos habitarum non recepimus de manibus vestris seu vestrorum; sed pridem dominus Imperator Romanorum nobis ipsum cum Civitatibus Feltri et Belluni pro nostris usibus deputavit. Cui castrum iam dictum iuxta promissa nostra reddere tenemur, quando sue placuerit voluntati. Vnde castrum memoratum non a nobis, sed a dicto domino Imperatore, qui nobis ipsum, ut premittitur, commisit, repetatis. Preterea super facto Marini de Canarino scire vos cupimus, quod circa proximum Sancti Michaelis festum intendimus ad partes Dalmatie dante Domino proficisci, facturi eidem Marino de hiis, que ipsum de jure contingere videbimus, debite justitie complementum; quem tunc ad nos, vel loco sui idoneum procuratorem super recipienda justitia transmittere velitis. Ceterum super liberatione Ambassiatorum vestrorum direximus Domino — — — Duci Austrie, fratri nostro, iuxta petita dicti Notarii vestri, litteras nostras efficaces. Data Vissegradi die ultimo mensis Junii MCCCLX.

Ludovicus Dei gratia

Rex Hungarie.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VI. kötetből 291. lev.)

410.

I. Lajos magyar király Belluno és Feltri városok és vidékeik birtokában. 1360.

Anno MCCCLX. indictione XIII. die nono mensis Augusti. Infrascripta sunt capitula presentata Ducali Dominio per Antonium de Cumirano Ambaxatorem Nicolai Tomasii Capitanei Feltri et Belluni pro domino Rege Hungarie, nec non Ambaxatorem Communitatis Civitatis Feltri. Primo, quod muda de Querro, ubi solvuntur libre quinque parvorum pro quolibet plaustro vini, que solebat esse de solidis L, reducatur ad dictos solidos L. Secundo, quod ubi solvuntur grossi duo pro stario salis Tarvisii conducto Feltrum, non graventur amplius, quia est nova impositio. Tertio de confinibus canalis Sancti Victoris et de Querro, quod eligantur duo vel unus pro parte, qui de iure cognoscant dictam questionem, vel de iure et de facto, ne aliquod scandalum oriatur.

Capta: Quod respondeatur ad capitula Ambaxatoris Capitanei Feltri pro domino Rege Hungarie; et primo ad factum confinium cluse Querri et canalis Sancti Victoris, quod sumus contenti et placet nobis pro cessandis omnibus scandalis et erroribus, quod primo et ante omnia reducantur termini novi et veteres in illo statu, quo sunt soliti esse. Postea vero hoc facto deputentur duo vel unus pro parte, qui examinent et cognoscant de iure, vel de iure et de facto in facto dictorum confinium illud, quod sit conveniens atque iustum, et quicquid fuerit cognitum et terminatum per eos, sit firmum. Super aliis vero duobus capitulis de removendis datiis vini et salis etc. respondeatur, quod novit Deus libentissime complaceremus dicte Communitati in eo, quod honeste et sine nostro manifesto damno et periculo fieri posset; sed bene credimus notum esse, quod introitus Trivisane non sufficiant ad maximas expensas, quas necessario opportet nos pati pro ea, immo vere expedit nostrum Commune Venetiarum supplere in maxima quantitate. Et etiam est clarum, quod, removendo dicta datia, daretur materia et causa aliis temptandi de diminuendo de aliis datiis nostris, quod esset cum maximo damno nostri

Communis; et propterea vellint nos habere in hoc merito excusatos. Et cum hiis et aliis verbis, que Dominio videbuntur pro bono facti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXIX. köt. 165 lev.)

411.

A velenczei köztársaság követeket küld I. Lajos magyar királyhoz. 1360.

Anno MCCCLX. die V. Novembris. Captum est in Consilio Rogatorum, quod mittantur ad dominum Regem Vngarie tres solemnes Ambaxatores, quorum vnus sit Cancellarius noster. Qui Ambaxatores mittendi ad dominum Regem predictum Vngarie habere debent de salario libras trecentas pro quolibet pro tribus mensibus, et abinde in antea libras quinquaginta in mense, et vnum Notarium Curie cum suo famulo, domicellos quatuor pro quolibet, tres ragacios pro quolibet, vnum interpretem, vnum expensatorem, vnum mareschalcum, et vnum coquum; dando cuilibet domicello pro vna veste ducatos octo auri; quos perserviant in tribus mensibus; et abinde in antea habeant id quod videbitur rationabile Ambaxatoribus. Et possint expendere in omnibus expensis tam oris quam agaziorum et aliter ducatos V pro quolibet in die; emptis primo equis pro Ambaxatoribus necessariis de alijs denarijs nostri Communis. Et salaria expensatoris, interpretis, domicellorum, ragaziorum et mareschalchi sint ultra summam eis concessam; et similiter expense stortarum stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXIX. köt. 184. lev.)

412.

Delfino János velenczei dogének I. Lajos magyar király. 1360.

Littere Ludovici Regis ad Ducale Dominium.

Amice carissime. Super eo, quod de morte felicis memorie Illustris Johannis nepotis carissimi, quemadmodum le-

gatió Bartholomei vestri Notarii et Nuncii continebat, animum geritis ex integro compassivum, vobis ad uberrimas gratiarum assurgimus actiones. Vos nihilominus scire cupientes, quod nos ex spolio, quod quedam gentes nostre, quibus per terras vestras intuitu nostro liberum prebuistis transitum, in Tarvisina Marchia, sicut dictus retulit Bartholomeus, commiserunt, non modicum perturbamur. Rogantes Vos affectuose, quatenus huiuscemodi spoliatorum nomina et ablatarum rerum valorem in litteris vestris describere velitis; presertim cum dispositi sumus Vobis de rebus per hujusmodi spolium ablatis satisfactionem impendere condecentem. Et super hiis non erat visum sepedictum Bartholomeum hic debere trahere moram longiorem. Data Zagrabie die XVII. mensis Novembris anno LX.

Ludovicus Dei gratia
Rex Hungarie etc.

Kivül : Inclito Domino Joanni Delphino Duci Venetiarum amico nostro.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből VI. köt. 312. lev.)

413.

Szécsi Miklós dalmatiai bán elégtételt követel egy velenczei hajó által kárositott két jádrai kereskedő számára. 1361.

Magnifice domine. Novissime dum essemus in Jadra, querelam recepimus nobilium virorum Simeonis de Bothono et Galli mercatoris, civium Jadre, habencium a Communi Jadre insulam Sancte Marie pro certo precio ad incantum, quod de proximo hiis diebus elapsis quedam navis, cuius est patronus Petrus Helye, applicuit ad insulam antedictam, et quod per homines dicte navis accepta sunt de dicta insula animalia minuta ovina et caprina numero viginti; et quod peius est, per violentiam ceperunt quemdam hominem pastorem predictorum, et quamdam eius barcham abstulerunt, licet postea per litteras Rectorum Jadre ipsi restituerint dictam barcham et hominem relaxaverunt, danno tamen animalium

non refecto vel soluto. Quare cum talia sint contra formam pacis inite inter nostrum dominum Regem et vestrum Dominium, et que de levi possent scandala producere, rogamus Vestram Dominacionem pariter et hortamur, quatenus taliter providere dignemini, quod de cetero talia et consimilia per vestrates subditis domini nostri Regis nullactenus inferrantur, et quod de illatis taliter fiat satisfactio, quod iniuriam et dampna passi possint merito contentari, nec decetero habeant materiam querelandi. Data Jadre die XIII mensis Februarii.

(A »Copia de Commemoriali« czímü velenczei államkönyvből VI. köt. 295. lev.)

414.

Delfino János velenczei doge felszóllitja Szécsi Miklós dalmatiai bánt, hogy több velenczei alattvaló érdekében hajtsa végre az 1358-k békesség határozóit. 1361.

Nos Johannes Delphino Dei gratia Dux Venetiarum etc. Committimus tibi discreto viro Petro Santo Notario et fideli nostro, quod de nostro mandato vadas ad dominum Nicolaum Zech Banum Dalmatie et Chroacie, quo pro parte nostra salutato expones, quod sicut ipse scit, Ambaxatores nostri, qui nuper fuerunt ad dominum Regem Hungarie, fecerunt eidem domino Regi specialem ambaxatam de nonnullis nostris fidelibus et sequacibus, qui conquesti sunt et conqueruntur de aliquibus oppressionibus, occupationibus et novitatibus sibi factis contra formam pacis, petentes ipsas reformari, ita quod predicti non haberent justam causam querele. Quibus dominus Rex respondit, quod ipse preciperet et sic precepit eidem Bano ibidem presenti, quod deberet querelas predictas audire particulariter et distincte, et facere cuilibet ex eis plenam et expeditam iusticiam, et quod volebat, ut mitteremus aliquem nostrum nuncium, qui videret id quod fieret de predictis. Et sic idem Banus obtulit se facturum. Quare providimus te mittere ad eum cum informatione querelarum predictarum, requirentes et rogantes eum, quatenus tam pro

precepto domini Regis sibi facto, quam iustitia et honore suo, sibi placeat providere taliter super dictis querelis, quod ipsi nostri fideles et sequaces causam non habeant ulterius conquerendi, sicut de ipso plene speramus. Et proponens eis negotia dictorum conquerencium, cuiuslibet pro se, videlicet querelas Marini de Canaruto et Zove de Pizolo, factum Nicoleti de Auantio, factum ser Johannis Georgio olim Comitis Curzole, et aliorum, qui conquerentur. Preterea quia possessiones, quas nostri cives et fideles habent intra Civitates Jadre et None, debent per formam pacis extimari, et solvi eis, rogabis ipsum Banum, quod super hoc ponat modum et ordinem ita, quod extimacio fiat, et quod habeant illud, quod habere debent. Quicquid autem habueris, feceris et senseris, nobis scribas quam cicius esse potest, et expectes nostrum mandatum, ut tibi melius videatur. Dedimus tibi litteras credulitatis Bano et regiminibus Jadre, ut possis procurare, sicut expediet, tibi commissa.

Datum in nostro ducali palacio die quarto Aprili, XIV. indictionis.

415.

Ursio Bartalan velenczei titkár, ki I. Lajos magyar királyhoz küldetett, jelentése a dogéhez.

Serenissime Domine mi. Per plures meas litteras datas in itinere et missas per nuncius speciales omnia, que feceram et habueram, Dominio Vestro denotavi, et solicitando pro posse iter meum, tum propter induciam, quam opportebam facere pro sciendo de novis iuxta vestrum mandatum, quia parva hora inducie satis dilactat de tempore, tum propter equorum debilitatem cicius quam diebus septem a die mei recessus de Tervisio aput Neustat applicare' nequivi, ubi congegracio magna gencium erat causa faciendi unum torniamentum et dum — — — — — bantur per omnes, quia dominus Rex Hungarie ibi debebat venire ad dictum festum die Martis XVII. mensis instantis. Qua die hora tercia omnes ceperunt recedere, et nichil factum fuit, dicendo, quod indu-

ciabatur dictum festum ad celebrandum Vienne, nec dominus Rex Hungarie ibi venit, set dicebatur, quod dominus Comes Palatinus erat Vienne; ubi accessi ipsa die XVI. mensis iam dicti tali hora, quod ipsa die de vestra intencione nichil sentire valui. Set inveni ipsum Comitem altera die precedenti de Vienna recessisse, et ivisse Hungariam. Nova autem, domine mi, que in partibus istis sonant pleno ore, sunt hec, videlicet Quod unus homo comparuit in Hungaria, dicens quod est Rex Andrea frater domini Regis; et non est verum, quod fuerit interfectus, set presciens de morte sua, unus eius camerarius fuit interfectus loco eius, evadens hoc modo a periculo mortis; et ex timore ivit ultra mare tanquam ignotum, ubi stetit usque nunc. Fertur eciam, quod ipse demonstrat signa ipsius domini Regis Andree, et omnes actus atque motus, quos habuit et fecit idem Rex Andreas in suo reccessu de Hungaria; et quia Rex vult veritatem habere de hoc, idem homo captus et detemptus est in Buda, et non est sine angonia Rex, etiam Barones et mater Regis. De domino Imperatore, domine mi, habui a fide digna persona in Vienna, quod circa festum Pentecostem debet esse in Norimbergo maximum et notabile colloquium, ubi presentialiter esse debet. Ad quod et quare dictum colloquium celebratur, durum est scire, nam tales domini dicunt et demonstrant unum, et faciunt aliud. Set ut dicta persona sentire potest, ipse vocavit dictum colloquium occasione usurpationis iurium Imperii. Habui eciam ab alia persona, quod oportet vobis habere bonam et diligentem custodiam de loco vestro Coneglani. Domine mi, sicut habeo, ita scribo. Die autem crastina summo mane, Deo dante, quia equi mei sunt claudati et fessi, et non possunt peditare, recedam de hinc cum una nave, icturus per Danubium usque Visegradum, ubi est dominus Rex, ut fertur, et faciam toto posse de adimplendo vestram intentionem. Jam vero scriptis presentibus, per Dionisium nuncium et cursorem vestrum litteras Magnitudinis Vestre suscepi cum interclusis litteris Nicoleti Lonatio, ad quas cum illa reverencia, qua teneor, respondeo; quod toto posse procurabo vestrum mandatum ad effectum deducere, et quicquid habuero, solicite Dominio Ve-

stro denotare curabo. Datum Vienne die XVIII. Aprilis hora vesperarum.

Vester servulus et fidelis Notarius
Bartholomeus Ursio.

Kivül. Serenissimo et Excellentissimo Domino suo domino Johanni Delphyno Dei gratia Duci Venetiarum etc.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

416.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1361.

Ludovicus Rex Ducali Dominio.

Inclite amice carissime. Bartholomeus de Ursio Scriba vester nobis quasdam sub credentia litterarum vestrarum legationes exposuit, unam potissime super emanatione novarum litterarum certi tenoris; et alteram super restitutione castri Casemate etc. Quibus auditis et diligenter intellectis Vestre sic Amicitie respondemus: quod nobis et toti nostro Consilio fuit visum, quod littere, quas inter nos et vos de novo fieri petitis, non debeant, sicut verisimiliter non possent absque scandalo quomodolibet emanari. Et ideo litteras ipsas non duximus admittendas; Vestram Amicitiam nunc, sicut alias fecisse recolimus, instanter requirentes, quatenus obmissis hujusmodi litteris novis circa declarationem illius clausule : »Et e contra Nos Dux et Commune« etc. et immutationem istius vocabuli : »Et e contra«, que in prioribus litteris plenius continentur; taliter intendere velitis, ut sicut vestrorum ita nostrorum subditorum et fidelium commoditatibus equaliter provideatur. Super eo vero, quod castrum Casemate vobis restitui petitis, taliter providemus respondendum: quod decedente Venerabili Nicolao olim Patriarcha Aquilegiensi sequace nostro, quem utique ad ipsius Castri restitutionem, si hucusque vixisset, juxta formam pacis compulissemus, Serenissimus dominus Carolns Romanorum Imperator frater noster dictum castrum recepit, asserens se in ipso, quando eum pro sui restitutione requisitum habuimus, illud jus habere, quod habet in munitionibus Feltri et Belluni. Quo-

circa rogamus Vestram Amicitiam instantia qua supra, quatenus nos de cetero super restitutione dicti castri non requiratis; presertim cum nec dictum dominum Imperatorem possimus, nec modernum Patriarcham debeamus ad prefati castri restitutionem aliqualiter coarctare. Ceterum super aliis vestris legationibus prefatus Bartholomeus revertitur ad Vos de responsione nostra sufficientius informatus. Data in Pohos die XXI. mensis Aprilis anno LXI.

(P. H.) Commissio Regis propria.

Kivül : Inclito domino Johanni Delphino Duci Venetiarum amico nostro carissimo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 366. lev.)

417.

Egy magyar fegyveres csapatokból alakitott hadtest, vagyis az u. n. »Magna Societas Ungarorum« a siciliai király és királyné szolgálatában. 1361.

Capitula habita et firmata inter Regiam et Reginalem Maiestatem Jerusalem et Sicilie, que erant in dicta littera interclusa ex una parte, et Magnificum virum dominum Nicolaum filium Johannis de Othim Comitem et Capitaneum Magne Societatis Ungarorum noviter congregatorum in Regno, et Amerigum filium Hemerici, Lardilaum (igy) filium Johannis Militem, Stephanum filium Becche, Laurentium dictum Thus Juthe, Martinum filium Nicolay, Nicolaum filium Stephani, Michaelem dictum Elach Ungaros, Ente et Filister Theotonicos, Marescallos dicte Magne Societatis Ungarorum; ac Quoniam Militem, Johannem filium Johannis, Gregorium Magnum, Johannem filium Stephani, Petrum filium Petri, Paulum dictum Thuoria, Johannem filium Georgii Ungaros, Consiliarios dicte Societatis; nec non et alios Comestabulos et Ungaros Societatis eiusdem ex parte altera, sunt hec. Videlicet:

In primis predicti Capitanei et Consiliarii, Marescalli, Comestabuli pro se ipsis et tota Societate predicta, moti ex

devotione et reverentia, quam habent ad dictam Regiam et Reginalem Maiestatem, credentes etiam in hoc seruire illustri domino Regi Ungarie Domino eorum, cum sciant ipsum cum dicta Maiestate esse unum et idem, et habeant a Domino eorum Rege Ungarie supradicto, super hoc speciale mandatum, promictunt eidem Maiestati Regie et Reginali, facere totum et ultimum posse eorum, per ensem et armorum potentiam et non aliter, expellere debellatos et fugatos de hoc Regno Theotonicos omnes et alias gentes cuiuscunque nationis eisdem Theotonicis adherentes et existentes in Societate Annichini de Mongardo in dicto Regno existentis, et debellare ipsos, et eos mortuos vel captivos tradere in manibus dicte Maiestatis Regie, vel alterius cui dicta Maiestas ipsis assignari mandabit; nec desinent persequi Theotonicos ipsos et gentes ipsis adherentes, donec cum auxilio Dei predicta fuerint realiter assequuti, cum deliberacione et pacto habitis specialiter et expresse. Quod si dicta Companea Anachini predicti vel pars ipsius exiret de Regno predicto non destructa, non debellata et ad exterminium deducta per Ungaros supradictos, ut superius dictum est; quod Ungari ipsi ipso facto possint argui, teneri et reputari de fide fracta, et ut manifesti proditores apud Deum et predictum Regem Ungria, et dictam Maiestatem Regiam, et alios mundi Dominos, et omnes homines merito reputenter.

Item promictunt, ut supra dictum est, quod donec predicta executioni mandabunt, fideles dicte Maiestatis terras, et vaxallos ipsorum bene tractabunt, et in personis, bonis et rebus eorum non inferent dampnum, nec iniuriam, disrobationes vel oppressiones aliquas, nec facient aliquam noxiam, novitatem; et pro victualibus, que a terris et vaxallis predictis recipient, satisfacient in pace, nec facient alicui aliquam violentiam.

Item promictunt ut supra, quod posita cum auxilio Dei in executione predicta promissione ipsorum de expellendo de Regno Theotonicos supradictos et gentes eis adherentes, et ipsos debellando, captosque reddendo in manibus dicte Maiestatis, ut dictum est, statim ipsi Ungari omnes exibunt de dicto Regno sine dampno et violentiis regnicolis inferendo;

et qued dum moram trahent in Regno eodem, erunt in seruitiis Regie et Reginalis Maiestatis predicte, contra omnes homines cuiuscumque nationis volentes intrare Regnum predictum in diminutionem Maiestatis eiusdem et Regni predicti; et omnem personam cuiuscumque status et dignitatis existat, et contra omnes terras et homines inobedientes Regie Maiestatis predicte iuxta assertionem Maiestatis eiusdem.

Item promictunt ut supra, quod usque ad annos quinque complendos, numerandos a die ergessus eorum de Regno in antea, non invadent ipsum Regnum, nec se aliquo modo invenient contra predictam Maiestatem Regiam et Reginalem.

Item eodem modo et forma promictunt et conveniunt predicti Capitanei et alii superius nominati, atque ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis corporaliter jurant esse ad servitia et mandata eiusdem Maiestatis Regie vbicunque vellet eos habere et ducere in tota Italia, et in provincia Provincie et Avinionis, et Comitatu Venisii; ac in partibus illis ubicunque ad servitia sua, et ad servitia et defensionem domini nostri Pape, et Reverendissinorum dominorum Patrum dominorum Cardinalium, et cuiuscumque ipsorum, et similiter terrarum Ecclesie ubicumque sistentium, fideliter et legaliter servire, et mandatis eiusdem domini Regis prompto animo et operibus obedire contra quoscumque opprimentes vel inquietantes ipsum dominum Regem, vel ipsum dominum Papam nostrum, vel Ecclesiam Dei et terras eius ubicumque sistentes pro stipendio et solido in Italia consueto ad presens ad alia servitia Regia, preterquam in insula Sicilie.

Item simili modo et forma et juramento promictunt et conveniunt, Magnificum virum dominum Nicolaum de Aczarolis Melfie et Palatinum Comitem, ac Magnum Regis Sicilie Senescallum, et ad guerram in Regno eodem Regium et Reginalem Capitaneum Generalem sequi, et in omnibus Regiis atque suis obedire mandatis, ac ipsum Generalem Capitaneum, amicos, stipendiarios, subditos et adherentes dicte Regie et Reginali Maiestati ubicunque fuerint, sub dicti Magni Senescalli seu Generalis Capitanei ducatu, ac omnes sotios et

amicos dicti Magni Senescalli qui sunt et erunt in comitiva eiusdem, defendere et amabiliter in omnibus et per omnia tractare, ac ipsos ab omni persona et loco defendere, nec pati eis per aliquos molestiam, violentiam vel dampnum in persoua vel rebus inferri; et predicto domino Jerusalem et Sicilie Regi illustri in omnibus et per omnia, durante guerra et executione premissorum, fideliter obedire, sicut facerent illustri Domino eorum domino Regi Ungarie; nec a vaxallis et fidelibus Regiis predictis bestias, spolia quavis sumpta occasione capere vel auferre, nec non et dicto Magno Senescallo, Generali Capitaneo, tanquam superiori eorum in omnibus, que ad dictum guerrarum spectant Capitanee offitium, devote et prompte obedire et parere durante tempore guerre predicte, seu Capitaneatus predicti, ac executionis premissorum dictorum. Quod si facere contempserint in toto vel in parte, possint, debeant reputari et teneri, accusari et argui de fide fracta, et ut manifesti proditores apud Deum et predictum Regem Ungarie, dictam Regiam Maiestatem, et alios mundi Dominos, et generaliter apud omnes homines merito reputentur.

Item promictunt dicti Capitanei et alii supra nominati, quod quandocumque dictus Magnus Senescallus, et alii de ipsius comitiva, seu quivis alius de Regno vellet se segregare, seu disiungere vel separare ab eisdem Ungaris, ex nunc prout ex tunc ipsi Capitanei et alii promictunt sub fide et sacramento predictis, quod Ungari ipsi non inferant eis vel eorum alteri in personis, equis, rebus et bonis eorum, tacite vel expresse, pro quavis causa vel re, iniurias aliquas vel violentias, offensas vel oppressiones quascumque, quin ymmo ipsos liberos et securos ire et redire quo voluerint, permictant sine contrarietate quacumque; alioquin si contrafecerint, possint ac debeant dicti Capitanei, et alii, reputari, accusari ac teneri de fide fracta, et proditores reputari.

Item promictunt dicti Capitaneus et alii predicti, quod durante guerra predicta et executione predictorem promissorum, per eos et postea quandocumque non petent nec petere possint per se vel alterum eorumdem, sive quemlibet alium de sotietate predicta pactum aliquod novum, seu conventiones,

novitates et questiones quaslibet alias facere, quam supradictas et infrascriptas, aliqua ratione occasione vel causa, etiam dolo seu fraude quandocumque. Quod si facere quoquo modo temptaverint seu temptaverit, tam ipsi quam alii de sotietate predicta, possent accusari, argui et teneri de fide fracta, et ut manifesti proditores, ut supra. Et si quis vel si qui de sotietate predicta fecerit vel fecerint aliquam inobservantiam predictorum, possint seu possit ipse Capitaneus et alii accusari, capi et teneri, ut supra.

Declarato semper specialiter et expresse, quod ubi Ungari ipsi deficerent a dictis eorum promissionibus in totum vel in partem, prout superius in dictis capitulis continetur, possint et debeant accusari, argui et teneri de fide fracta; et ut manifesti proditores apud Deum et predictum Regem Ungarie, dictamque Maiestatem Regiam, et alios mundi Dominos, et generaliter apud omnes merito reputentur, ut supra.

Item predicti Capitaneus et aliis promictunt et iurant in manibus dicti Magni Senescalli ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, observare, adimplere et actendere omnia et singula suprascripta per eos promissa et non contra facere, dicere, opponere vel venire aliqua ratione vel causa, sicut superius expressum est; ac promiserunt sub religione predicti per eos prestiti sacramenti, curare, et facere cum effectu, quod omnes alii Ungari de dicta Sotietate contra promissa per eos minime veniant in totum vel in partem, ymmo ad voluntatem et requisitionem ipsius Magni Senescalli facient illos iurare similiter in manibus eiusdem Domini, adimplere et inviolabiliter observare eidem Regie Maiestati et dicto domino Magno Senescallo omnia et singula contenta in capitulis suprascriptis, prout ad quemlibet ipsorum spectaverit.

Et versa vice predicta Regia et Reginalis Maiestas promictit predictis Comiti Nicolao et aliis superius nominatis, statim facta executione reali dicte promissionis eorum donare eis generose florenos auri et de auro triginta septem milia hoc modo et sub hiis pactis; videlicet quod postquam elevaverint vexillum Maiestatis predicte ad honorem et fide-

litatem ipsius Maiestatis, et dampnificaverint Theotonicos supradictos et gentes ipsis adherentes, ita quod manifeste appareat et cognoscatur, quod est inimicitia capitalis inter ipsos Ungaros, et Theotonicos ac gentes ipsis Theotonicis adherentes, ipsa Maiestas seu alius pro parte sua statim faciet eis assignari et solvi florenos auri decem et octo milia; restantem autem summam, videlicet florenos decem et novem milia Ungari supra nominati, et alii de Sotietate predicta sunt contenti recipere et habere facta reali debellatione, expulsione, et effugatione ac exterminio, prout superius est expressum, Theotonicorum ipsorum et aliorum eis adherentium. Confixi, quod ipsi facient tale servituim, quod dicta Maiestas inclinabit ad faciendum eis alias gatias speciales; declarato semper et expresso, quod si executio predicte promissionis eorum differretur, quantocumque tempore ipsam differri contingat, non possint petere nec debeant habere aliquid ultra predictam summam decem et octo milia florenorum, tacite vel expresse, dolo vel astutia aliqua aut fraude quacumque cessante.

Item vult et contentatur dicta Regia Maiestas, quod predicti Vngari habeant et habere debeant libere omnes equos, arma, pecunias et res Theotonicorum et aliorum eis adherentium, qui a dictis Ungaris fuerint debellati et capti; persone vero captivorum usque ad numerum quinquaginta de melioribus et nobilioribus iuxta electionem Maiestatis Regie, vel alterius pro parte ipsius, dentur et sint in potestate Maiestatis eiusdem seu dicti eorum Generalis Capitanei ad guerram; residui sint Ungarorum ipsorum. Declarato quod de equis, armaturis, pecunia, bonis et rebus predictis habeant portionem illi de gente predicta Regie Maiestatis, qui ad debellandum et capiendum dictos Theotonicos et adherentes eis una cum dictis Ungaris personaliter interenunt.

Item promictit dicta Maiestas Regia et Reginalis parcere et remictere omnem penam, culpam et offensam omnibus illis personis dicte Societatis Theotonicorum, et cuiuscumque etiam nationis, que ad exequendum predicta et exterminium predictorum Theotonicorum inimicorum seu emulorum Regalium personaliter fuerint cum dictis Ungaris, et

quod a Maiestate Regia suisque fidelibus sint affidati et ubique securi.

Item promictit dicta Maiestas predicto Amerigo olim Capitaneo, et nunc Marescallo dicte Societatis Ungarorum, et ipsis Hungaris sue comitiue, quod facta executione et debellatione plenaria, votiva et effectuali Theotonicorum et aliorum de Societate seu Companea Annichini Mongardi, ut prefertur, dictus Henricus et Ungari Societatis ipsius habebunt effectualiter florenos decem milia pro duplici paga ipsorum de summa florenorum dictorum decem VIIII milia restantium ad solvendum de ultima paga facienda et provisa Comiti Nicolao predicto post complementum executionis eiusdem debellationis, presentibus dicto Comite Nicolao, et aliis cum eo superius nominatis, volentibus et acceptantibus promissionem predictam, ac etiam providentibus contra hoc nullatenus contrahire, et curare et facere cum effectu, quod reliqui Vngari de eorum Sotietate non contraveniant quoquo modo. Quos decem milia florenos dicto Emerico et eius sotiis Ungaris, ut predicitur, promissos dicta Regia Maiestas promictit integraliter et sine tarditate quacumque in Castro Melfie pro causa predicta dare seu dari facere, et quod exinde libere assignentur eidem infra dies duodecim dictam executionem premissorum, seu dicti exterminii dicte Companee et Anicchini predicti immediate sequentes, infra quos dies XII similiter dicta Maiestas sub fide sua Regia assignari faciet plene et integre, sine diminutione aliqua, in eodem Castro Melfie predictos restantes florenos novem milia predictis domino Nicolao et sotiis. Nec non promictit etiam dicta Maiestas sub fide et verbo Regali, quod adimpletis omnibus et singulis promissis, ut predicitur, per predictos Comitem Nicolaum et alios, dicta Maiestas, nec aliquis de fidelibus suis, nullam iniuriam, molestiam, offensam, dampna realia vel personalia inferant seu inferri faciant Ungaris supradictis.

Item in casu quo predictus Illustris dominus noster Rex Jerusalem et Sicilie, quod absit, nec credendum est quod numquam fecerit, non observaverit promissa dicto Capitaneo et aliis; coram domino Papa, ac Imperatore, et Illustre Rege

Ungarie, querimoniam facere possint de dicto domino Rege, quod non observaverit in premissis promissionem sue fidei.

Et pro maiori cautela et certitudine premissorum facta sunt de premissis duo consimilia scripta; quorum alterum, scilicet presens sigillatum anulis secretis dicte utriusque Maiestatis penes dictos Capitaneum et Ungaros; et alterum sigillatum sigillis predictorum Comitis Nicolay, et Emerici, et omnium aliorum Caporalium dicte Sotietatis, penes eandem Maiestatem debeat remanere. Declarato, quod si forte dicta Sotietas evitaret bellum, et poneret se per terras domini Ludovici de Duratio et aliorum, qui forsan essent rebelles et inobedientes dictorum Regis et Regine, subsequenti modo, videlicet quod si dicta Companea Theothonicorum poneret se in una parte sive terra, vel divideret se per medietatem sive tertiam seu quartam partem, vel quasi poneret se in quatuor terris vel locis; dicti Capitanei et omnes alii Caporales et sequaces teneantur obsidere illos usque ad consummationem omnium predictorum superius narratorum; ita tamen, quod de gente Regia sit cum eo et eis, et quod omnes vulnerati vel infirmi de dicta Sotietate Ungarorum possint intrare terras et loca fidelium Regiorum ad curandum se, et alia necessaria recipiendum, eorum pecunia mediante; et ibi tractentur amabiliter, sicut decet. Data Melfie die XXV. Aprilis XIIII. indictionis.

(A »Riformaggioni XVI. Classe XI. Dist.« codexéből, a florenczi levéltárban.)

418.

Delfino János velenczei dogenek Ursio Bertalan. 1361.

Serenissime domine mi. Dominus Rex equitavit ad nemus in venationem die dominica VI. mensis presentis Maij sumpto prandio, et dicitur redire Visegradum die Sabati vel die dominica nuper subsequenti. Ego autem volens me informari a domino Guilielmo, icturo ad dominum Imperatorem, de die sui recessus, ut possem Dominio Vestro denotare de Buda, equitavi Wisegradum presenti die summo mane, locu-

turus dicto domino Guilielmo. Qui michi dixit, quod non credebat, ymmo afirmabat, quantum in se, posse secedere de hinc ante quam cellebrarentur nupcie filii Comitis Bartholomei de Segna, que debent cellebrari octava die post festum Pentecostem. Hoc vero videns et cognoscens, disposui per latorem presencium litterarum, que mittitur illi de Hel — — — super facto ballarum, quam ipse dominus Guilielmus ferre debebat Dominio Vestro, destinare, ut deinde possitis celerius ibi transmittere, si opus fuerit, quam dehinc. Illi autem, qui se faciebat fratrem domini Regis, fuerunt nares sfisse et auricule incise, et positus pluribus diebus ad berlinam cum tonsura capilorum ad modum unius — — — — —; et quia confessus fuerit, se fecisse illud contra omnem — — — — ad svasionem cuiusdam presbiteri de Renno, et esse filium unius cerdonis. Datum die VIII. Maij in Visegrado hora vesperarum.

Vester servulus et Notarius fidelis
Bartholomeus Urssio.

Kivül : Serenissimo et Excellentississimo Domino suo domino Johanni Delphyno, Dei gratia Duci Veneciarum etc.

(Eredetie a velenczei levéltárban.)

419.

A florenczi kormánynak Tarentói Lajos siciliai király és I. Johanna királyné. 1361.

Magnificis et potentibus viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Florentie, amicis et devotis nostris precarissimis.

Viri Magnifici et devoti karissimi. Non sine mentis admiratione, ymmo verius turbatione referimus, quod gens vestra armigera, nullis precibus, nullis suadelis, nullis sibi monstratis periculis, atque, quod magis est, nullis protestationibus coram Magnificis viris Comite Nicolao Capitaneo Ungarorum, Comite Asperg, nec non Comitibus et Baronibus Regni, et pluribus aliis Caporalibus nostri exercitus contra companeam militantis, per instrumentum publicum sollempniter

sibi factis, ex arrupto de campo discessit. Et quantum periculi generare possit ipsius gentis temerarius et animosus discessus, animos advertite vestros. Pluribus diebus elapsis inter hanc Ungarorum multitudinem pestifera est orta dissentio, quam sedare facile non est ab eis, quibus non minor inest animi asperitas quam linguarum. Hec enim unica spes inimicis predonibus, in qua confidunt, relicta est. In terra Atelle hinc inde ex circumstantiis, si quod residuum erat gentis armigere de ipsa companea, est reductum, et iam aliquem tractatum cum inimicis habebat una pars Ungarorum de concordando et coniungendo se cum companea, et eundo quo eis placeret. Quem tractatum gens vestra prefata bene scivit et palpavit in exercitu existendo, sicut et alii qui sunt ibi. Si divisio Ungarorum processerit, remota dicta gente vestra, exercitus noster signanter debilitatus existit; ex quo prevalentibus inimicis, non videmus, quod possit esse simul cum nostro sine vestro futuro periculo et aliarum Communitatum, que communi tanto negotio, cui intendimus auxilia sua ponere nullatenus curaverunt stb. Data Neapoli sub annulis nostris secretis, die X. Junii XIIII. indictionis.

Rex et { Jerusalem
Regina { et Sicilie.

(Az »Archivio delle Riformagioni cl. XVI. dist. II.« codexéből a florenczi levéltárban.)

420.

A florenczi kormánynak Tarentói Lajos siciliai király. 1361.

Magnificis et potentibus viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Florentie, amicis et devotis nostris carissimis.

Amici et devoti karissimi. Recepimus noviter litteras devotionis vestre; ex quarum tenore collegimus, quantum vobis molesti fuerint gentes reprehensibiles, et utinam non perniciosi; quos potius malitiose quam inscienter Capitaneus et Conestabuli vestre gentis armigere, in nostrum subsidium per devotionem vestram ad exterminium inique predonum com-

plicitatis transmisse, detestabili defectione et discriminosa temeritate commiserunt. Ex quo sinceri affectus vestri puram integritatem conspicientes, ea mentis gratitudine benefitium vestri prelibati subsidii in nostris compendiis computamus stb· Dum res in fieri erat, dumque hostes omni spe destituti nullam salutis viam sibi superesse cernebant; dum mortem pre oculis intuebantur, ut de more est aduersantium interdum ex qualicumque causa inter se animorum, seditio quedam inter Ungaros nostri exercitus orta est, ex quo ipsorum hostium spes quodammodo respirare cepit; eo quidem puncto, quo ad spem dictorum hostium deprimendam, que exinde exigi conabatur (igy), animis opus erat presidiis atque armis. Bona gens vestra, quasi si punctum ipsum pro expectati temporis occasione et malignandi habilitate cepisset, in quo facili successuum nostrorum et parate victorie de ipsis hostibus, certum ac indubitatum eventum valuisset in nostri status precipitium convertere, cum nulla alia ad huiusmodi incurrendum sinistrum via foret; nullis precibus, nullis suasionibus, nullis sibi monstratis periculis, nullisque protestationibus, ac pro parte vestra additis comminationibus, retineri in ipso campo potuit. Considerate nunc, viri prudentes, quis tunc animus Capitaneo exercitus nostri, aliisque Magnatibus Regni ibidem astantibus, cum hinc cernerent Ungarorum seditionem, hinc dicte gentes vestre sic inordinatum de campo discessum, illinc hostium spem non modo suscitatam, sed forte plus quam nobis ipsique nostro exercitui expediens, fuisset augmentata, cum se victos in puncto, nisi Deus consuluisset, hostes ipsi victores viderent. Ex quo sequuta est totius dicti exercitus inesplicabilis et formidanda commotio. Nam ex hinc suspitiones orte sunt innumerabiles, variique rumores, et diverse inter nostratesmet extimationum sententie. Et si forte presto Deo concedente ad sedandam pro remedio unico Ungarorum discordiam per nos de grandi summa pecunie inter Ungaros ipsos ultra omne pactum, omnemque conventionem cum eis habitam distribute, succursum non fuisset pariter et provisum; iniqua ipsa predonum conspiratio per novam cum Ungaris sic discedentibus confederationem, ad totius Regni et aliarum partium Italie, et specialiter vestra-

rum desolationem validiores quam nusquam habuerit hactenus, vires reformabat. Quod totum causabatur ex perfidia gentis vestre stb. Data in Castro Novo Bellifontis supra Neapolim sub anulo nostro secreto XVI. Junii XIIII. indictione. Rex Jerusalem et Sicilie.

(Az »Archivio delle Riformagioni Cl. XVI. dist. XI«. codexéből, a florenczi nagy levéltárban.)

421.

I. Lajos magyar király unokatestvéreit, Robert konstantinápolyi czászárt és Tarentói Fülöpöt, hívja meg magához Magyarországba. 1361.

Ludovicus Rex Hungarie ad Ludovicum de Tarento Neapolim.

Serenissime frater carissime. Quia Serenissimos Principee dominos Robertum Imperatorem Constantinopolitanum etc. et Philippum de Tarento fratres nostros communes, propriis oculis intueri concupiscimus, et fraternalibus eorum affectibus refici desideramus : Fraternitatis Vestre Serenitatem rogamus affectu quo possumus cariori, quatenus eosdem fratres nostros, vel saltem alterum eorum, si ambo venire non possent, ad domum nostram sicut ad domum propriam fiducialiter et secure transmittatis, nobiscum et cum Serenissimis Principibus dominabus Reginis, genitrice videlicet et conthorali nostris carissimis, quamdiu vobis et ipsis placuerit, gauisuros; vt eciam ex hoc illis, qui nos credunt fratribus et consanguineis fore destitutos, clare constet, nos adhuc habere fratres et consanguineos in hoc mundo. Nos enim quam cito aduentum eorum audierimus, Jadram ipsis in obuiam veniemus, eos ad domum nostram cum decenti honore personaliter conducturi. In casu uero, ubi nos alijs nostris occupati negocijs eos personaliter conducturi suscipere, et ad domum nostram conducere non possumus; Prelatos et Barones nostros ad id faciendum illuc cum decenti comitiua transmittemus. Datum Bude die X. mensis Septembris MCCCLXI.

(Camera Máté lovag úr gyűjteményéből Amalfiban.)

422.

IV. Károly császárnak I. Lajos magyar király az anya Erzsébet királyne ellen intézett sértő szavainak folytán. 1361.

Ludovicus Dei gracia Ungarie dicenti se Imperatorem et Regem Boemie, salute favorosa pro meritis preoptata. Non est dignus honore, honoris origini qui insurgit; nec est dignus imperio, qui sue non sufficit imperare racioni. Cur itaque te Principem et Imperatorem nominas et vis regere seculum, tuam nequiens racionem regere (et) linguam castigare malilogam (így)? Qualis est enim Imperator, cuius sensibus vinum dominatur; ut dominarum machinatur (így) vituperium, quas totus mundus non sufficit commendare. Perpendens enim natum se dominarum probis ex visceribus, exigeret ipsarum non deturbacionem, sed titulum virtutis. Igitur si te produxisset virtus, genitricem meam Serenissimam vino repletus viciosis verbis inficere stupuisses. Sed ut verba protrahamus, hoc factum non tam tue genitricis, sed tue nature bestialis est, quod nobis tempore quolibet dolorosum. Unde committimus (et) cum hortatu tibi strictissimo persuademus, quatenus reclamacione malignorum verborum cicius peracta domine mee genitrici, tanteque fame procures laudem, quanti vituperii tuis exhibuisti presentibus detraccioni. Alioquin ipsius et mei volentes honoris defendere titulum, tibi tuisque flagellum ulcionis apponemus fletibundum, volentes nos coram melius preservare.

(Egy XIV. századi mintakönyvből vagyis formulariumból, a herczeg Schwarzenberg wittingaui családi levéltárban Csehországban, Cod. Ms. sing. C. num. II. olim 22. 84. lev.)

423.

IV. Károly császárnak válasza. 1361.

Karolus Dei gracia Ludowico Ungarie dicenti se Regem prescriptis favoribus merito coequatis. Adversus excel-

lenciam pugnans potencie, a lite revertitur sepe flendo. Admirari siquidem non sufficimus, unde tibi tam stolida mentis protervitas, unde tam proterva stoliditas; dum vix membrum nominaris debile, capiti presumis insurgere, nos qui caput mundi sumus et dicimur, ad negacionem morum volens ducere, verborum minime sufficit perfinire (így). Dic ergo, quem nos fore reputas, ut miseriarum nunquam pennam flatu mobilem aut leporem pulsu clamoreque fugabilem (így). Quiesce, turrim nos reperis inexpugnabilem, a qua retrocedant hostiliter intuentes, leonem nos invenies, acerrimum opere nutuque sevientem; perpende, quem consequitur triumphum, qualem victoriam, quantum preconium, dum miles insurgit Regi, filius patri, servus Domino, discipulus Magistro, creatura perituraque creatori. Nescis quantam potestatem habemus te tuosque in celum elevare et in pulverem commutare? Hortamur igitur protervum : obtempera, animum domita, linguamque refrena, minari desine, graciam penitus maturo queras tempore˙ Parati enim sumus ex innata nobis clementia, te quemlibetque resipiscentem, (et) veniam petentem gracie brachiis amplexari; quo neglecto verbis abscituris (et) verberum fulminibus tibi tuisque durissimis intonemus (így).

(U. o. 136. l.)

424.

Egy Olaszhonban harczoló magyar csapatnak vezérei fogadják a florenczi kormánynak, hogy nem fogják bántani a köztársaság birtokát és embereit. 1362.

Promissio facta per dominum Nicholaum Capitaneum Ungarorum de non offendendo Commune Florentie.

In Christi nomine Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo CCC. LXI. indictione quintadecima die XVIII. mensis Januarii.

Nos Nicolaus filius domini Johannis de Achina Comes et Capitaneus Ungarorum, et omnes alii Ungari Conestabiles, quorum nomina subscribentur, et sigilla presentibus apponentur, nunc presentialiter in Ciuitate Florentie cum

quampluribus aliis Ungaris constituti, volentes in recompensationem honoris recepti in ciuitate predicta Commune et Rectores Ciuitatis eiusdem prosequi quibus vere posumus obsequiis et honore, promittimus, et corporaliter ad Sancta Dei Evangelia iuramus nostra libera et spontanea voluntate, tibi Notario infrascripto tamquam persone publice recipienti et stipulenti vice et nomine Communis Florentie et populi eiusdem, quod donec erimus nos vel aliqui nostrum in Ciuitate, Comitatu vel Districtu Florentie, defendemus ad posse ipsum Populum et Commune, et dominos Priores Artium et Vexilliferum Justitie dicti Populi et Communis, et contra ipsorum honorem nichil faciemus vel facere moliemur, et quod nullo tempore erimus nos vel aliqui nostrum per modum compagne advervus dictum Populum vel Commune. Mandantes tibi dicto Notario infrascripto, quod de predictis publicum conficias instrumertum, et nichilominus ipsam hanc scripturam nostrorum sigillorum appensione muniri in testimonium predictorum. Acta fuerunt predicta Florentie in templo Sancti Laurentii anno et indictione predictis, dicta die decima octaua predicti mensis. Presentibus Stephano dicto Pereci, Emirico Parvo, et Andreusio Parvo familiaribus dicti Comitis testibus rogatis.

Nomina vero dictorum Hungarorum sunt ista: videlicet:

Dominus Ladislaus Miles, Emiricus de Cupa, Nicolaus filius Elisii, Bogdanus, Johannes filius Cibale, Petrus filius Johannis, Johannes filius Demetrii, Stephanus filius Andree, Nicolaus filius Gregorii, Ladislaus filius Galli, Georgius Nabitid, Georgius filius Stephani, Benedictus, Johannes filius Andree, Johannes Furlanus, Thomas Cergeri, Martinus Parvus.

Ego Michael condam Thome de Parma Imperiali auctoritate Notarius et tunc Scriba dicti domini Comitis predictis interfui, et ea imbreviavi de mandato predictorum, et ideo me subscripsi.

(19 pecsét. »Atti publici. Documenti. vol. XXXIX. Archivio delle Riformagioni« ; a florenczi levéltárban.)

425.

A florenczi kormánynak Tarentói Lajos siciliai király és I. Johanna királyné. 1362.

Magnificis et potentibus viris, dominis Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Florentie, precarissimis amicis nostris.

Viri Magnifici et devoti, ac amici nostri charissimi. Quia sub individue sortis connexione communis nostre vestreque fortune versatur in singulis casibus occasio, et ad eundem intentionis finem utriusque tendit affectus, cum amicitia et devotione vestra, que Nostre Maiestati emergunt, et per temporum successus occurrunt circa ipsa Nostre Maiestati presentialiter incumbentia, caritativa participatione singula communicare decrevimus. Hinc est, quod Magnificentie et devotioni vestre presentibus significamus, quod ipsa Maiestas Nostra post varios multiplicesque tractatus, quos intricata rerum perplexitas inducebat, habitos cum Hungaris, qui videlicet primo Regnum intraverant cum iniqua complicitate Anicchini de Mongardo et Theotonicorum, et aliis etiam, qui deinde semotim eos sequuti sunt; ad certas conventiones cum eisdem Hungaris devenimus nostro nostrique Consilii iudicio Maiestati Nostre acceptabiles, gratas et expedientes, tam ad reformationem pacifici status Regni nostri, quam ipsius Anicchini totiusque cohortis sue predonum, complicium suorum conculcationem et exterminium. Quarum conventionum et pactorum et confederationis, ut totius materie series particulariter vobis innotescat, et devotio vestra in singulis cum Maiestate Nostra votivis successibus participet, ecce presentibus copiam ipsi Magnificentie Vestre destinamus interclusam; sperantes cum dextere superne auxilio, cuius est de gente non sancta causam nostram diiudicare, infra paucos dies felicem et votivam dictorum tractatuum exequutionem subsequutam, prosperis etiam auspiciis eidem vestre devotioni nostris litte-

ris intimare stb. Data in castro nostro Ovi sub anulo nostro secreto die IIII. Madij quintedecime indictionis.

Rex et } Jerusalem
Regina } et Sicilie.

(Az »Archivio delle Riformagioni cl. XI. dist. 1.« codexéből, a florenczi levéltárban.)

426.

Lengyelország és Ausztria közti kereskedelmi egyezkedés I. Lajos magyar király közbenjárásával. 1362.

In nomine Domini Amen. Ne res gestas coram Regum magnificencia aboleat successus temporum, necessarium est eas scripturis autenticis et fide dignorum testimonio testium ad perpetuam rei geste memoriam perhennari. Proinde nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracouie, Sandomerie, Siradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranieque Dominus et Heres, tenore presencium recognoscimus vniuersis, quod Illustrissimus et Magnificus Princeps dominus Rudolfus Quartus Dei gracia Dux Austrie, frater noster carissimus ex vna, et nos parte ex altera, ex parte ciuium nostrorum Cracouiensium, ipse quoque ex perte ciuium suorum Wiennensium, omnem dissensionis materiam, controuersias, impedimenta et arrestaciones, que hinc inde inter eosdem ex vtraque parte a die et data presencium vsque in hodiernum diem viguerunt a retroactis temporibus, totaliter amputare cupientes, et eos inuicem amicabiliter et fraterne concordare totaliter; mediante dicto fratre nostro preclarissimo Duce Austrie inter ipsos duximus ordinanda, pro commodo rei publice et vtilitate communi ciuium predictorum : quod ciues Wiennenses prefati fratris nostri carissimi domini Ducis Austrie cum omnibus eorum bonis et rebus mobilibus et mercimonialibus, quiscunque et cuiuscunque fuerit condicionis, aut quocunque nomine nuncupetur, secure sine omni impedimento nostro et nostrorum in Regnum nostrum Polonie, et specialiter in ciuitatem nostram Cracouiensem transire valeant, prout alij mercatores et hospites pro eorum mercimo-

nijs emendis et vendendis ad eandem ciuitatem Cracouiensem transire consueuerunt; et e conuerso ciues nostri Cracouienses predicti, ac alij de Regno nostro eodem modo possint et valeant ad predictum Ducatum Austrie, et specialiter ad ipsam ciuitatem Wiennensem laborare et mercari suis mercimoniis quibuscunque, quocunque eciam nomine censeantur, certitudinaliter et secure, prout alij hospites et mercatores in eodem Ducatu Austrie commorantes consueuerunt ad eandem. Preterea adicimus expresse, quod si alterutra parcium ciuium predictorum vnus ab alio quicquam debiti mutuo contraxerit, aut vnus alteri ex quocunque contractu vel aliter aliquid teneatur, quod possit probari, aut per sufficiens fide dignorum testimonium testium comprobari, supradicti ciues Wiennenses super ipso debito aut mutuo contractu a Consulibus Cracouiensibus aut ciuibus eorundem equitatem et iusticiam requirentibus sine omni retardacione, briga et recusacione ac dilacione quacunque facere teneantur et debeant reddere justicie complementum; et viceuersa Consules et ciues nostri Cracouienses predicti per recompensam predicte clausule hic proxime posite Consulibus Wiennensibus et eorum ciuibus sine difficultate, recusacione, dilacione et briga id ipsum facere teneantur, quociens et quando ab ipsis seu eorum aliquo fuerint requisiti; taliter quod vtraque pars ciuium predictorum pro quibuscunque debitis contractis sine querela maneant et fatiga. Et in horum omnium euidens testimonium, et ad certitudinem pleniorem premissorum, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum Tirnauie die dominica ante diem Beate Margarethe Virginis gloriose sub anno Domini M.CCC.LXII. Datum per manus Johannis Cancellarij nostri Cracouiensis; scriptum vero manu Henrici dicti Cropelin Tewtunici Notarij nostri et Curie nostre Jurati de expresso nostro mandato et consensu.

(Eredetie bőrhártyán a bécsi cs. titkos levéltárában.)

427.

A florenczi kormánynak Tarentoi Lajos siciliai király és I. Johanna királyné. 1362.

Magnificis et potentibus viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Florentie, carissimis amicis nostris.

Magnifici viri et amici karissimi. In subsidium fidelium nostrorum Comitatuum Provincie Forcalquerii per confederationis dampnate companeam ad nostri absque causa evidentem iniuriam invasorum, Magnificum Comitem Nicolaum de Hungheria, cum septingentis principalibus equitibus, et aliis subsequuturis eos usque ad numerum mille equitum, et sub ducatu tam eiusdem Comitis Niccolai, quam Magnifici viri Fulconis de Augoto militis vallium, saltus et relanie Domini, collateralis nostri dilecti, transituris per partes vestras versus Comitatus nostros, eosdem presentialiter destinamus. Ex quodam igitur habuntanti, licet alias non expediat, decrevimus venerabilem virum Johannem Luccii Priorem Sancti Apollinaris de Florentia, Magnifice nostre Curie Magistrum Rationalem, Consiliarium et fidelem nostrum latorem presentium destinare, de predicte gentis nostre armigere versus Comitatus nostros eosdem accessu Vestram Amicitiam preventurum; cum subiunctione amabili, quod ipsi per easdem partes vestras transituri aliquos deputatos per benivolentiam vestram inveniant, cum quorum ordine securum transitum, et necessaria ad usum eorum et equorum habeant pro pretio condecenti. Rogamus igitur Amicitiam Vestram, quatenus dictum Priorem velitis amore nostri caritative suscipere et amabiliter pertractare, et circa premissa dare operam; sicut nos vellitis pro vobis in similibus versa vice facere; sibique propterea fidem credulam adhibere. Data Neopoli sub annulis nostris secretis die XX. Novembris XV. indictione.

Rex et | Jerusalem
Regina | et Sicilie.

(Az »Archivio delle Riformagioni Cl. XVI. dist. XI.« codexéből, a florenczi levéltárban.)

428.

VI. Orbán pápa Péter volterai püspököt bizza meg, hogy I. Lajos magyar király, IV. Károly császár, IV. Rudolf ausztriai herczeg és János morvai herczeg közt helyre állitsa a békességet. 1362.

Vrbanus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Regiminibus, ac Consilio et Communi Ciuitatis Florentie salutem et Apostolicam benedictionem. Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Vulterranensem latorem presentium ad carissimorum filiorum nostrorum Caroli Romanorum Imperatoris Semper Augusti, ac Lodouici Regis Vngarie illustris, nec non dilectorum filiorum Rodulfi Ducis Austrie, ac Johannis de Boemia Marchionis Moravie presentiam occasione cuiusdam discordie dudum inter ipsos exorte, per dicti Episcopi ministerium auctoritate dicte Sedis fauente Domino precidende destinamus ad presens, sibique per Ciuitatem vestram facturo transitum quedam Vestre Devotioni per eum ex parte nostra exponenda commisimus, super quibus eidem Episcopo fidem velitis credulam adhibere. Data Avinione VIIII. kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

(Az »Archivio delle Riformagioni«- ben vol. XVI die Capítuli Cl. XI. dist. 1-ból a florenczi levéltárban.)

429.

A florenczi kormánynak Tarentoi Lajos siciliai király és I. Johanna királyné. 1362.

Magnificis viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Civitatis Florentie carissimis amicis nostris.

Viri Magnifici et amici karissimi. Super securo transsitu per partes vestras, et super impendendis necessariis pro personis et equis sub competenti et tollerabili utrisque pretio Magnifici viri Comitis Niccolai Generalis Capitanei felicis

nostri exercitus Hungarorum eiusque comitive proficiscentium ad nostra servitia versus partes Comitatuum nostrorum Provincie Forcalquerii, Magnifico viro Fulconi de Anguto et Cicco Budetta de Neapoli militibus latoribus presentium, dilectis collateralibus et fidelibus nostris, vel eorum alteri fidem adhibere credentie Sinceritas Vestra velit. Data Neapoli sub annulis nostris secretis die tertio Decembris XV. indictione.

Rex et | Jerusalem
Regina | et Sicilie.

(Az »Archivio delle Riformagioni Cl. XVI. dist. XI.« a florenczi levéltárban.)

430.

Durazzoi Lajos egyetértésben I. Lajos magyar királylyal. 1362.

Troppo improbo senso s' era dato Luigi di Durazzo contro li Re Ludouico e Giovanna, tentando assiduamente perniciosi (így) novità contro loro e contro il Regno. Teneva questo continue prattiche col Re d'Ungheria troppo scandalose. Fu arrestato un suo confidente Consigliere, ch' era stato due volte in Ungaria, et li furono trovate alcune lettere di proprio carattere di Luigi, quali furono da questi Re originalmente trasmesse al Pontefice Innocentio, nelle quali si vedevano chiaramente le macchine e frodi di Luigi. Supplicorno (így) perciò la Santità Sua à non concedere le bulle al Re d'Ungaria enunciate in dette lettere, quantunque ne fuse supplicato dal detto Re e Regina sua madre, li quali inviorno per tal' effetto fra Manuele ministro provinciale di Dalmatia. Così lo scrissero questi Re al Pontefice con episcola scripta Neapoli die XXV. Maij XIV. indictione, et anco pregono alcuni Cardinali e soggetti della Corte Romana, acciò assistessero al Pontefice per impedir dette bulle.

(Alife Miklós, Arcani Storici del Regno di Giovanna I. Regina di Napoli, kézirat Camera Máté úr birtokában Amalfiban 96. lev.)

431.

V. Orbán pápa Pétert volterai püspököt apostoli követnek nevezi ki, hogy egyrészről IV. Károly császár és János morvai őrgróf, s másrészről I. Lajos magyar király és IV. Rudolf ausztriai herczeg közt állítsa helyre a békességet. 1363.

Vrbanus Episcopus etc. venerabili fratri Petro Episcopo Vulterano, Apostolice Sedis Nuncio, salutem etc. Ad gerendas in terris licet immeriti vices regis pacifici dignatione sue inscrutabilis dispositionis assumpti, cunctorum Christi fidelium, presertim Regum et Principum, quorum discordia maiora solet afferre pericula, paternis affectibus cupimus unitatem, illamque, prout nobis permittetur ex Alto, sollicitis studiis intendimus procurare, ut destructis adversitatibus universis populus Domini nostre custodie creditus per viam pacis incedens, facilius possit ad eterna tabernacula pervenire. Nuper siquidem in nostre promotionis ad apicem Summi Apostolatus exordio de Imperii Romani, ac Regum et Principum aliorumque Christi fidelium tranquillitate soliciti, de ipsorumque statu paterna investigatione querentes, admodum dolenter audivimus, quod quedam discordia dudum inter carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem Semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum Johannem de Boemia Marchionem Moravice fratrem suum ex parte una; et carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem, et dilectum filium nobilem virum Rodulfum Ducem Austrie ex altera, procurante satore zizanie, suscitata, nondum fuit, prout sperabatur, ad finem optate pacis adducta, quamvis sub pendulo sufferenciarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne scintilla tenuis non extincta in flammam, quod absit, transeat destructivam, Apostolice provisionis remedium in hac parte providimus adhibendum, et de zelo pacis ac circumspectionis industria tue fratermitatis in hiis et aliis gerentes in Domino fiduciam pleniorum, te velut pacis angelum de fratrum nostrorum consilio ad prefatorum discordantium partes ac presentiam propterea duximus destinandum. Quocirca eidem fratermitati

per Apostolica scripta presencium tenore committimus et mandamus, quatenus ad eosdem Imperatorem, Regem et Nobiles te personaliter conferens, ac eis innumera pericula animarum et corporum, rerumque dampna tue nota prudencie, que ex dissensione huiusmodi, si, quod absit, procederent, procul dubio resultarent, ex parte nostra diligenter exponens, eos, quos ad hoc per diversas nostras litteras clausas, quas tibi cum presentibus destinamus, quasque per te ipsis presentari volumus, exhortamur, viis et modis, quibus melius poteris, iuxta datam tibi a Deo prudentiam procures inducere, ut ad mutuam pacem et concordiam, utique Deo gratam, eisdemque discordantibus plurimum oportunam, suos animos humilient et inclinent, ipsamque faciant firmis roborationibus stabilitam. Et si, ut optamus, Deus corda dissidentium eorundem tetigerit, quod huiusmodi salubribus exhortationibus faciendo pacem eandem realiter acquiescant, ac de voluntate ipsorum processerit, quod pax ipsa, ut observetur irrefragabilius, auctoritate Apostolica roboretur, id auctoritate nostra faciendi penis et sententiis spiritualibus et temporalibus, de quibus tibi expedire videbitur, necnon et quasvis collegationes, pactiones, promissiones et obligationes factas seu initas causa vel occasione huiusmodi discordie nutriende, cum quibuscumque personis seu universitatibus, etiam si iuramentis vel penarum adiectionibus vel quibusvis firmitatibus aliis essent vallate, dissolvendi, irritandi, vacuandi et annullandi, ac nullas, irritas et vocuas nunciandi, utpote contra bonum pacis in offensam Dei presumptas, ac penas et iuramenta huiusmodi, cum iuramentum vinculum iuiqnitatis esse non debeat, relaxandi, et si, quod absit, iidem discordantes ad firmam concordiam ad presens reduci non possent, cum de ipsius perfectione concordie non sit pro futuro tempore desperandum, treugas aliquas pacis representantes ymaginem, usque ad certi et competentis temporis spatium duraturas, ut cessantibus interim hinc inde offensionibus et commotionibus bellicosis, que viam pacis predicte difficiliorem redderent, utilius et liberius possit reformationis concordie tractatus alius suo tempore, Deo favente, procedere inter civitates et populos eosdem, ipsorumque subditos, valitores, sequaces et adheren-

tes quoslibet, etiam si Communia Civitatum et Vniversitates opidorum extiterint, auctoritate nostra indicendi, ac mandandi eas inviolabiliter observari, nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, apellatione postposita, compescendi, non obstante, si eis vel eorum aliquibus aut ipsorum Imperio, Regnis et terris a Sede Apostolica sit indultum sub quacunque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut eorum terre ecclesiastio interdicto supponi quavis auctoritate non possint, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, tibi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem Datum Avinione IX. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

(V. Orbán pápa registáiból; V. ö. Fejér Cod. Dipl. IX. köt. 3. r. 360. l.)

432.

Della Scala Cangrande veronai fejedelem és a durazzoi herczeg leánya közti házasság. 1363.

Nos Laurentius Celsi Dei gratia Dux Venetiarum etc. Comittimus tibi nobili viro Nicolao Justiniano dilecto civi et fideli nostro, quod de nostro mandato vadas et sis Capitaneus istarum trium galearum, quas mutuavimus et de gratia concessimus armari hic per domino de la Scala, pro eundo in Apuleam ad levandum filiam condam domini Duche Durachii, quam dominus Canis Signorius de la Scala in uxorem accepit, regendo et gubernando eas et gentes earum ad honorem nostrum, et habendo et haberi faciendo bonam curam et diligentiam tam ad conservationem gentis nostre, quam ipsarum galearum et corredorum, sicut pro bono nostri Communis et nostro videris convenire stb.

(Eredetie a velenczei nagy levéltárban.)

433.

Görbeszáju Margit (Margaretha Maultasch), fia Mainhart brandeburgi őrgrófnak halála után, megujítja azon szövetséget, melylyel ez magát I. Lajos magyar királynak lekötelezte. 1363.

Wir Margaret von Gottes Genaden Marggrefin ze Branndenburg, Herzogin ze Bayrn vnd in Kärnten, Grävin ze Tirol vnd ze Görz etc. die elter, etc. bekennen offentlich an disen brief vnd tuen khunt allen den die in ansehent, lesent oder hörent lesen. Wann die hochgebornen Fürsten vnser liebe Oheimen Herzog Ruedolph von Oesterreich vnd seine brieder weilendt den hochgebornen Marggraf Meinhardten von Brandenburg, Herzogen vnd Grafen der egenanten vnserer Landten vnsern lieben Son genomen haben in die pintnus vnd ainigung, die sie gemacht vnd getann haben mit dem durchleichtigisten Firsten Herrn Ludwig Kunig ze Ungaren, das wir nach gueter vorbetrachtung vnd zeitigen rat vnser Landthern vnd vnserer Rät zu ere, from vnd gemache vnserer Land vnd Leit mit sambt vnseren egenanten Oheimen von Oesterreich in diselben pintnus vnd ainigung getretten sein an statt des egenanten vnsers Sons, den der allmechtig Gott von diser Welt genomen hat; mit solcher beschaidenheit, das wir mit allen vnseren Fürstentumen, Graffschafften, Herrschafften, Landen vnd Leiten pflichtig vnd gepunden sein sollen vnd wellen, diselben pintnus vnd ainigung ze volfiehren vnd stett ze haben in aller der mas, als die brief weisend, die darüber geben vnd gemacht seind, vnd der egenant Marggaf Meinhart seelige darinnen begriffen was, ohn geverde; vnd geloben vnd verheissen auch bey vnseren treu, und ayds statt stb. Datum Botzano feria sexta post festum Purificacionis anno Domini millesimo CCC.LXIII.

(Nébia Feil József közleménye; v. ö. Steyerer Antal, Commentarii pro historia Alberti II. Lipcse 1725. 364. l.)

434.

I. Johanna siciliai királyné Jakab maiorcai királylyal harmadik házasságára lépvén, V. Orbán pápa ezt I. Lajos magyar királynak ajánlja. 1363.

Vrbanus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Ad Tue Serenitatis noticiam credimus pervenisse, quod carissimi in Christo filii nostri Jacobus Rex Maioricarum, ac Johanna Regina Sicilie illustres matrimonium invicem contraxerunt, de quo Sancta Romana Ecclesia, consideratis fide, prudencia, aliisque virtutibus dicti Regis, nec non certis conventionibus habitis inter eos, et per dictum Regem solemniter promissis et iuramento firmatis, pro honore ipsius Ecclesie ac Domus Regie dicte Regine, statuque pacifico ac libero Regni Sicilie contentatur. Eapropter Excellentiam Tuam decet se Ecclesie prefate beneplacitis conformare, et id quod pro meliori multa est maturitate firmatum, Regiis, affectibus applicare, ac eundem Regem, qui suis elegandis (így) moribus cunctis se reddit amabilem, et in conspectu Sedis Apostolice graciosum, fraterne diligere, ac etiam honorare. Datum Avinione VII. kalendas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

435.

Ursio Bertalannak a velenczei köztársaság, hogy I. Lajos magyar királyt a Paduával fennforgó egyenetlenségére nézve világositsa fel. 1363.

Bartholomeo Ursio Notario ad Dominum Regem Hungarorum.

Bartholomeus. Die XXVIII, mensis hujus fuit ad nos dominus Johannes Surdus Episcopus Vaciensis cum litteris credulitatis ex parte domini Regis, et premissa nobis salute exposuit, quod datum erat nitelligi domino Regi nos petere a Domino Padue quoddam territorium circa partes Sancti Yllarii, quod idem Dominus Padue dicebat sibi spectare, et

quod profferente ipso de stando juri recusabamus; de quo dominus Rex mirabatur, hortans nos, ut abstinere vellemus a novitatibus contra eum, et contenti essemus de eo, quod jus vellet; quia vollendo sic, ipse esset paratus esse nobiscum ad faciendum, quod Dominus Padue faceret illud quod de jure deberet erga nos. Alioquin ubi ipse ex sua parte jus haberet, dominus Rex non possit ipsum deserere tamquam amicum suum. Adquam Ambaxatam respondemus referentes gracias domino Regi de salute, et quod salva pace domini Padue non erat data vera informatio domino Regi. Quia locus ille erat de jurisdictione nostri Ducatus; quamvis per quamdam pacem de MCCCIV. inter nos et Commune Padue fuerit conventum, quod in locis questionum non fieret novitas, donec jus partium cognosceretur. Contra quam pacem inventum est prefatum Dominum fecisse plurimas novitates de facto, quas pluries requisitus amicabiliter rêfformare non curat; colorans se sub isto velamine de stando juri, et volens interim possidere et occupare nostrum, quod quam sit justum et conveniens, ipse dominus Rex, et quilibet satis considerare poterat. Et cognoscentes, quod hoc sibi displiceret plus quam nobis, miseramus te ad informandum eum de nostra justitia, ut ipse videret nos habere justum, et ut nos excusatos haberet, si ad recuperacionem jurium et honoris nostri, mediante Deo et justitia, intendemus. Nec intendebamus ullo modo, quod ipse dominus Rex de ipsis factis se impedire deberet; quia hoc licite facere non possit ex forma pacis quam secum habemus. Quoniam teste Deo id, quod facimus et faciemus contra ipsum Dominum Padue, non procedit ex aliqua alia causa, quam propter novitates predictas, et quod sciebamus eum esse ita sapientem et justum, et reputabamus eum tantum nostrum amicum, quod nedum ipse vellet impedire nos, sed potius adjuvare ad recuperandum nostrum. Et cum ista responsione ipse recessit a nobis. Quia vero incertum nobis est, si reportabitur responsio in ea forma; volumus, quod domino Regi debeas seriose exponere ambaxatam nobis factam, et responsionem nostram, ut sit de veritate plene informatus. Datum ultimo Junij MCCCLXIII.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

436.

János tinini püspök, ki mint I. Lajos magyar királynak követe a szent székhez volt küldve, visszatér Magyarországba. 1363.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Tiniensis, lator presentium, super negotio, pro quo eum ad Romanam Curiam destinasti, apud nos institit fideliter et prudenter; sed occurrentibus impedimentis quam pluribus ipsum negotium non potuit expediri. Propter quod supervenientibus vacationibus per nos more solito in Curia Romana indictis, dictus Nuncius ad tuam presentiam revertitur, prout ipse de hiis Tue Serenitati plenius exponet oraculo vire vocis. Datum Avinione VI. idus Julii, Pontificatus nostri anno primo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

437.

I. Lajos magyar királynak követei az apostoli széknél. 1363.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Dilecti filii Magister Johannes de Bredensched Legum Doctor primo, et deinde Conradus Archidiaconus Nitriensis in Ecclesia Strigoniensi secundo, Nuncii tui ad Sedem Apostolicam destinati, pro commissis eis a Tua Serenitate negotiis apud nos prudenter et sollicite institerunt, nuncque de nostro beneplacito ad Regiam presentiam revertuntur. Quibus sicut viris, quos reputamus fideles, in hiis, que de negotiis ipsis Eidem Serenitati retulerint, fidem plenam poteris adhibere. Datum Avinione III. idus Julii, Pontificatus nostri anno primo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

438.

Celso Lőrincz velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1363.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Amice carissime. Super eo, quod examinationem et discussionem questionum inter nostros et vestros subortarum usque ad reditum Capitanei Galearum vestrarum distulistis, sicut littere vestre nobis per cursorem vestrum directe testantur, animus noster bene contentatur; rogantes vestram amiciciam nunc sicut prius, quatenus, adveniente dicto vestro Capitaneo, unum ex vestris deputetis, qui simul cum Bano nostro Croatie et Dalmatie querelas nostrorum et vestrorum examinet, et examinatas discutiat, sicut iustitia persuadebit. De hoc etiam, quod inter vos et Dominum Padue super litibus et dissensionibus utrobique ventilatis, concordia, prout scribitis, est secura, singularem accepimus materiam gaudiorum, desiderantes attente, ut cum eodem decetero in vera amicicia et sub pacis vivatis tranquilitate. Datum Lipche in loco venationis nostre die XVIII. mensis Augusti, anno LXIII.

Kivül : Inclito domino Laurentio Celsi Duci Veneciarum amico nostro carissimo etc.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyv VII kötetéből.)

439.

V. Orbán pápa felkéri I. Lajos magyar királyt, hogy a ciprusi királynak a szent föld visszafoglalásában segítségére legyen. 1363.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Indictionem passagii generalis per nos factam ad recuperationem terre Sancte, ac defensionem fidelium, et impugnationem infidelium partium Orientis dudum, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cipri illustris apud Apostolicam Sedem existeret,

Tue Serenitati meminimus per Apostolicas litteras intimasse, ac Magnificentiam Tuam, de qua idem Rex plurimum sperabat et sperat, paternis affectibus monuisse, ut ad coadiuvandum huiusmodi negotium dicti passagii ea, que pro dicto passagio dare disponeres, parare studeres. Quia vero postmodum idem Rex, prout nobis notificare curavit, nonnullas partes fidelium peragravit, et presentiam aliquorum Regum et Principum adiit, multosque Magnates et potentes ad transfretandum secum, Domino cuius negotium agitur inspirante, induxit, et tempore veris proxime futuri sperat cum multitudine nobilium et aliorum fidelium esse Venetiis, et interim, vel postquam inde recesserit, inclitam tuam videre personam : Sublimitatem Tuam sollicitam reddimus et attentam, eamque cordialiter deprecamur, quatenus ea, que eidem Regi Cipri in galeis vel alias pro dicto subsidio exhibere volueris, studeas preparare; et quia dicto Regi aliqua subsidia in tuo Regno concessimus, in eorum receptione nunciis et procuratoribus suis ad hoc deputandis velis favorem Regium exhibere. Datum Avinione nonis Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

440.

A velenczei kormánytanács kármentesítést határoz János trau-i lakosnak, ki tengeren velenczei hajók által megkárosíttatott. 1364.

Anno MCCCLXIII. die X. Januarii. Capta: Cum pri die venerit huc quidam Johannes de Tragurio, olim filius Magistri Nicolai medici, cum litteris Bani Dalmacie et vno suo Ambaxiatore, petens satisfactionem aliquorum damnorum suorum, que asserit sibi illata fuisse per ser Nicolaum Faledro olim Capitaneum Culphi pro submersione vnius ligneti cum mercationibus et bonis suis venientibus de partibus Sorie in aquis Corphiensibus ad valorem ducatorum mille auri, prout in litteris dicti Bani continetur : vadit pars, quod possint accipi de monte ducati centum quinquaginta auri, qui

dentur sibi per viam gratie, et non occasione alicuius juris quod habeat, faciente ipso Johanne nobis et Communi nostro finem et remissionem generalem ad plenum de non petendo aliquid occasione predicta.

(A »Liber Secretorum« velenczei államkönyvből.)

441.

A velenczei kormánytanácsnak a magyar ügyekre vonatkozó határozata. 1364.

Anno MCCCLXIII. die XXI. Januarii. Capta. Cum sint electi tres Sapientes in Consilio Rogatorum, qui per se et Sapientes Ordinum per se debent examinare super negotiis Vngarie et Sclavonie, et omnibus et singulis ad ipsa spectantibus vel dependentibus aut emergentibus, seu que possent ad ipsa facta applicari; et cum eorum consilio debet veniri in Consilio Rogatorum, et fieri quod sit melius pro statu nostro: vadit pars, quod additio data Consilio Rogatorum pro factis Crete, et quando tractabitur de factis premissis, vocetur in dicto Consilio, et accipi possit pars cum libertate et conditionibus factis, captis pro parte Crete. Insuper quandocunque tractabitur de factis domini Ducis Austrie, Domini Padue, et domini Patriarche Aquilejensis, et aliis spectantibus vel dependentibus quoquomodo a predictis vel aliquo predictorum; vocetur additio predicta in Consilio Rogatorum, et debeat capere partem conditionibus et libertate in totum capta et data pro factis Crete, ut dictum est. Et si Consilium est contra, sit revocatum.

Sapientes sunt ser Petrus Zane ser Zaccarias Contareno, ser Nicolaus Justiniano.

(A »Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

442.

A velenczei köztársaság Segniában hadi csapatokat fogad a Cretában kitört lázadásnak legyőzése végett. 1364.

A) Exemplum instrumenti plezarie prestite per nobiles viros Moysem filium Judicis Bartholi de Segnia, et Nicolaum filium quondam Vicencii Vindeni de Cherlino, ire debentium cum centum equitibus ad servitium domini Ducis et Cummunis Veneciarum in Cretam.

In Dei nomine Amen. Anno Domini a Nativitate eiusdem millessimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quarto mensis Januarii. Temporibus equidem domini Lodovici Dei gratia Serenissimi Regis Hungarie; venerabilis patris domini fratris Prothiue eadem gratia Episcopi Segniensis: Magnificorumque dominorum Stephani et Johannis Vegle, Modrusie, Ghezche et Vinodoli Comitum, et Civitatis Segnie Dominorum generalium; nobilis militis domini Andree Vicecomitis, Jacobi quondam Judicis Cosme, Veroli quondam Judicis Dimini, et Jacobi quondam Judicis Vidonis, Judicum Civitatis predicte. Actum in civitate Segnie in statione habitationis ser Marci Sclavi de Veneciis, presentibus ipso ser Marco Sclavo, ser Francischo Sacheto de Veneciis, Jacobo filio quondam Judicis Philippi de Segnia, Michaele Campiono de Veneciis, et aliis testibus ad hec vocatis, habitis et rogatis. Cum Illustris et Excelsus Dominus, dominus Laurentius Celsi Dei gratia Dux Venetiarum etc., cum Communitate sua susceperit ad suum servitium et soldum contra rebelles suos Insule Crete nobiles viros Moysium filium Judicis Bartholi de Segnia, et Nicolaum filium quondam Vincencii Vindeni de Cherlino, qui ambo et in solidum promiserunt, convenerunt et se obligaverunt ire personaliter cum centum bonis et sufficientibus hominibus in bonis et sufficientibus equis et bene armatis et paratis omnibus armis opportunis ad dictum servitium cum certis pactis et conventionibus, que constrare dicuntur in libris Cancellarie ipsius domini Ducis, quorum quidem pactorum copia est penes ipsos Moysem et Nicolaum, secundum quod iidem Moyses et Ni-

colaus in presentia mei Notarii et testium suprascriptorum legi fecerunt pacta ipsa. Et illico confessi et conventi fuerunt sicut esse. Nunc autem suprascriptus idem Judex Bartholus, pater ipsius Moysis confirmans, ratificans et approbans omnia et singula in ipsis pactis contenta, in quantum ipsum seu predictum Moysem filium suum tangunt vel tangere possent, tanquam qui de eius consensu et mandato expresso pepigit et convenit: ac nobiles viri domini Andreas prenotatus et Bartholus Judex Segnie, et Frixonus Vicarius Segnie, omnes tres simul et concorditer, ac quilibet eorum in solidum constituerunt se plezios ac fideiussores dicto domino Duci et Communitati Veneciarum pro dictis Moyse et Nicolao, et pro eorum utroque, ad quem vel ad quos ipsorum principalium seu fideiussorum dictus dominus Dux et eius Communitas voluerit se tenere in parte et toto de omnibus et singulis infrascriptis: Primo videlicet, quod dicti Moyses et Nicolaus cum tota sua comitiva supra specificata bene armata et fulcita erunt parati in loco sibi deputato cum omnibus suis equis et armis ad terminum specificatum, videlicet in calendis Marcii proximi pro ascendento cum ipsis in navigio ad omnem requisitionem dicti domini Ducis seu deputandorum ab ipso. Item quod dicti Moyses et Nicolaus et uterque ipsorum cum tota eorum comitiva bene et fideliter servient et operabuntur in dicto servitio, que decet eos, et quoslibet legales homines, absque dolo aliquo et militia ubicumque et contra quoscumque domino Duci seu deputandis ab eo videbitur et placebit ipsos deputare sive unitos sive separatos, secundum formam et continentiam pactorum et conventionum supra specificatorum. Item quod dicti Moyses et Nicolaus cum tota sua comitiva observabunt inviolabiliter, in quantum ad ipsos spectat et ad quemlibet ipsorum, omnia et singula capitula in ipsis pactis et conventionibus contenta fideliter et legaliter absque dolo et malitia aliqua. Item de omni soldo, quod dicti Moyses et Nicolaus tam pro se quam pro comitiva sua reciperent, et de omni pena, ad quam incurrunt, ubi non perserviunt; item de omni damno, expensa et interesse, quod idem dominus Dux et Comune Veneciarum incurrent, in casu quo prefati Moyses et Nicolaus seu aliquis de eorum comitiva

deficeret in aliquibus seu aliquo capitulo in ipsis pactis contento, quod Deus avertat. Promittentes omnes ipsi tres, videlicet suprascripti Judex Bartholus et domini Andreas Vicecomes et Frixonus Vicarius per se suosque heredes et quilibet eorum in solidum cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, reficere et restituere omnes et singulos denarios, quos nomine sui soldi vel alio quovis nomine reciperint a domino Duce predicto seu deputandis ab eo, quos non perfinirent cum pena, ad quam cadunt alii stipendiarii non perfinientes, ac reficere omnia et singula damna, expensas et interesse, que dictus dominus Dux incurret, in casu quo dicti Moyses et Nicolaus cum comitiva sua, quod Deus avertat, deficerent in aliquo capitulo pactorum ipsorum, credendo de damnis, expensis et interesse predictis soli et simplici verbo ipsius domini Ducis seu deputandorum ab ipso absque sacramento vel alia probatione. Et hoc sub pena et in pena ducatorum quingentorum auri toties committenda et exigenda cum effectu, quotiens contra predicta vel aliquid predictorum factum fuerit vel conventum. Et ea soluta vel non, semel vel pluries, presens tamen contractus in suo robore perseveret. Insuper pro predictis omnibus observandis et firmiter attendendis suprascripti Judex Bartholus, domini Andreas Vicecomes et Frixonus Vicarius sponte se obligaverunt posse conveniri realiter et personaliter ac detineri per totum Comitatum dominorum Comitum Stephani et Johannis Vegle, Segnie et Modrussie, per totum Regnum Hungarie, Venecie et alibi ubique terrarum et locorum taliter, et ubicumque inventi fuerint, ibi solvere et reficere teneantur etc. prout plenius fieri poterit secundum substantiam predictorem.

Ego Andreas Vicecomes Segnie examinator manum misi.

Ego Michimus filius ser Bayoni de Bocchaziuppis de Ancona Imperiali auctoritate Notarius et Communis Segnie Juratus, ut supra legitur, interfui, scripsi et publicavi rogatus, meoque signo solito roboravi.

B) Instrumentum confessionis ducatorum mille auri datorum et assignatorum per providum virum Johannem Bernardum Notarium nobilibus viris Moysi filio Judicis

Bartholi deSegnia, et Nicolao olim filio Vicecomitis Vindeni ire debentibus cum C sociis equestribus contra Cretenses.

In Dei nomine amen. Anno Domini a Nativitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quarto mensis Januarii. Temporibus equidem domini Lodovici Dei gratia Serenissimi Regis Hungarie; Venerabilis patris domini fratris Prothine eadem gratia Episcopi Segniensis; Magnificorumque virorum dominorum Stephani et Johannis Vegle, Modrussie, Gezche et Vinodoli Comitum ac Civitatis Segnie Dominorum Generalium; nobilis militis domini Andree Vicecomitis, Jacobi quondam Judicis Cosme, Veroli quondam Judicis Dimini, et Jacobi quondam Judicis Vidonis, Judicum Civitatis predicte. Actum in Civitate Segnie in stancia habitationis ser Marci Sclavi, presentibus ipso ser Marco Sclavo, ser Francisco Sachetto de Veneciis Jacobo filio quondam Judicis Philippi de Segnia, Michaele Campiono de Veneciis, et aliis testibns ad hec vocatis, habitis et rogatis. Ibique nobiles viri Moyses filius Judicis Rartholi de Segnia verbo, consensu et auctoritate dicti patris sui ibi presentis et ad omnia et singula infrascripta consentientis, ac Nicolaus filius quondam Vicecomitis Vindeni de Cherlino, ambo simul et uterque eorum in solidum contenti, confessi et vere manifesti fuerunt, in se habuisse et manualiter recepissi mutuo a Zambernardo de Cisono Notario domini Ducis et Communis Venetiarum, dante, numerante et mutuante nomine et vice ipsius domini Ducis et Communis Venetiarum ducatos mille boni auri et iusti ponderis. Qui quidem ducati mille computari debeant et defalcari de pagis et soldo ipsorum Moysi et Nicolai et sotiorum suorum debentium ire ad servitium dicti domini Ducis et Communis Veneciarum contra rebelles suos insule Crete, sicut eidem domino Duci seu deputandis ab eo conveniens et melius videbitur, renuntiantes ambo et eorum uterque exceptioni non sibi datorum, non numeratorum et non receptorum ducatorum ipsorum mille auri, et exceptioni doli mali et in factum et ex iniusta causa. Pro quibus quidem Moyse et Nicolao et utroque eorum in solidum nobiles viri domini Vice-Comes Andreas, Frexonus Vicarius Segnie et Judex Bartholus pater ipsius Moysi omnes concorditer et

quilibet eorum in solidum, ad quem ipsorum dictus dominus Dux et Communis Venetiarum voluerunt se tenere in parte et in toto, fideiusserunt et so constituerunt plezios eidem domino Duci et Communi Venetiarum, videlicet quod dicti Moyses et Nicolaus cum sotiis suis bene et fideliter perservient dicto domino Duci et Communi Venetiarum, donec dicti ducati mille auri, ut supra dicitur, de suis pagis fuerint defalcati. Et in casu quo non perservirent, ut tenentur per pacta inter ipsos habita tantum, quod dicti ducati mille defalcarentur de pagis suis, ut premittitur, constituerunt se proprios pagatores pro ipsis de dictis ducatis mille auri seu de illa parte, que restaret defalcari. Quos quidem denarios non defalcatos prefati domini Andreas Vicecomes, Frexonus Vicarius et Judex Bartholus et eorum quilibet in solidum cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum per solemnem stipulationem promiserunt dare et restituere dicto domino Duci et Communi Venetiarum seu deputandis ab eo cum integritate infra duos menses, postquam prefati Moyses et Nicolaus recesserint a servitio ipsius domini Ducis et Communis Veneciarum, cum refectione damnorum et expensarum ac interesse sub pena et in pena ducatorum centum auri stipulatione premissa. Pro quibus omnibus attendendis omnes suprascripti tam principales quam fideiussores sponte obligaverunt se posse conveniri realiter et personaliter ac detinere per totum Comitatum dominorum Comitum Stephani et Johannis, et specialiter Segnie, Vegle, Modrussie, et per totum Regnum Hungarie, Venecie et generaliter ubique locorum et terrarum taliter, quod ubicumque inventi fuerint, ibi solvere et reficere teneantur; renuntiantibus ipsis fideiussoribus et eorum quolibet legi loquenti, quod prius conveniri debeat principalis quam fideiussor ac omni alii iuri legum ac decretis, statutis et reformacionibus Consilii, omnique alii rationi, quibus a suprascriptis vel suprascriptorum aliquo se possent aliqualiter defendere vel tueri etc. prout plenius fieri poterit secundum substantiam predictorum

Ego Andreas Vicecomes Segnie examinator manum misi.

Ego Micchinus filius ser Bayoni de Bocchaziupis de

Ancona Imperiali auctoritate Notarius et Communis Segnie Juratus, ut supra legitur, omnibus interfui, scripsi et publicavi, rogatus meoque signo solito roboravi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VII. kötetéből.)

443.

De Ravignanis Beneint ndi, a velenczei köztársaság kanczellárjának Miklós esztergami érsek és Konth Miklós nádor. 1364.

Littere Archiepiscopi Strigoniensis et Palatini ad Venetum.

Reverende amice. Litteras vestras inter alia factum quarundam novitatum, ut scribitis, in Dalmatia ad vestrum preiudicium illatorum, quodque pridie nobis apud dominum nostrum Regem existentibus idem dominus noster Rex de facto salis de Pago mentionem fecerit; postmodum dictus Ambaxiator eiusdem ex parte sua Vestro Dominio aliquam responsionem non fecerit, declarantes recepimus; et continentiis earundem intellectis ad easdem sic Vestre Dominationi respondemus : Quod quia de illis novitatibus, de quibus scribitis, penitus nihil nobis constitit, nec ad nostrum scitum alique novitates facte sunt; littere etiam vestre ipsas novitates, que et quales sint, quarum tamen declarationem libenter nos vidissemus, seriose non exprimebant : ad hoc nihil ista vice respondere potuimus de eisdem; sed sciscitabimur de ipsis, scitaque premissorum veritate his proximis diebus mediante nostro propio homine per nostras litteras Vestre Dominationi respondere curabimus. Ceterum in facto non responsionis Ambaxatorum dicti Domini nostri in facto salis, de quo scribitis; propter absentiam prefati Domini nostri, eo quod nihil nobis consistit de eodem, nihil scribere possumus. Sed rediente ipso Domino nostro de Varadino, ubi nunc existit, ea que scire exinde poterimus, curabimus rescribere Vestre Dominationi. Ad procurationem autem pacis unionis inter dominum Regem et Vestrum Domiuium servande, de qua scribitis, sumus promti et parati. Et sicut nos scimus, dominus noster Rex una

cum Vestro Dominio juxta suum assumptum in pacis tranquillitate semper intendit perseverare. Datum in Vissegrad sabbato proximo post festum Sancti Valentini martiris.

Nicolaus Archiepiscopus Strigoniensis

Nicolaus Palatinus Regni Hung. etc.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt, I. r. 203. l.)

444.

I. Lajos magyar királynak a ciprusi érsek, és a ciprusi király cancellárja. 1364.

Forma litterarum mittendarum Domino Regi Ungarie pro parte domini Archiepiscopi Cretensis et domini Cancellarii Regis Cipri.

Serenissime Princeps. Quia vera et publica fama sonat, quod Excellencia Vestra ad exaltationem fidei Christiane et exterminium infidelium singularem zelum et affectum semper habuit atque habet, et quare nobis est uota spes et fiducia precipua, quam gerit Serenissimus Dominus noster Rex Cipri in Majestate Vestra circa inceptum per cum negocium Sancti Passagij prosequendum; ideo ea, que circa ipsum factum usque nunc successerunt et succedunt feliciter, ad consolacionem Vestre Celsitudinis vobiscum ejus vice communicare decrevimus; denotantes, quod cum per suas litteras et Nuncios ipse dominus Rex, nobis existentibus pro pace Lombardie jam ejus intercessione feliciter consummata, significaverit, se futurum Venecijs per totum mensem Aprilis, transiturus cum nobili comitiva duorum millium militum electorum pro nichoando passagio, niter quos sunt Comes Sabandie, et multi alij Nobiles et Magnates; nosque ad presenciam Illustris domini Ducis et Communis Veneciarum venissemus, pro parte domini Pape, domini Legati Regis, et Comitis predictorum instantissime deprecantes, quod sibi placeret providere, quod gentes iste mavigia pro eorum transitu habere possent nostris sumptibus et expensis; prefati dominus Dux et Commune, velut Sancte Matris Ecclesie devotissimi filij, et qui pro honoribus

fidei Christiane semper primi et principales hactenus in hujusmodi passagijs extiterunt, nedum requisitionem nostram admiserunt, sed multo plus quam petebatur ex mera curialitate sua liberaliter obtulerunt. Nam de dictis II^m^ equitibus, vel inde infra, si pauciores forte transirent cum Rege nostro in presenti, medietatem transducere cum eorum navigiis promiserunt absque alicujus nabuli solucione, et pro reliqua medietate contenti fuerunt, quod possemus de suis navigiis ad nostrum beneplacitum naulizare. Concesserunt insuper, quod propter bona dicti domini Regis et Baronum iturorum cum eo possimus facere armari in Venecijs usque quatuor galeas. Quam oblacionem et liberalitatem quare nobis utique magnifica et ex magna devocione procedere visa est, dicique potest tocius negocij fundāmentum, sine qua nil prorsus fieri potuisset; et sumus certi quod domino nostro Pape vobiscum, ac cunctis Christianis Principibus affectantibus felicem prosecucionem hujus sancti negocij erit gratissima et accepta, et ad consolationem singularem accedet, Vestre Serenitati significare providimus. Et quamvis ipse dominus noster Rex, sicut firmiter credimus, Vestram Excellenciam visitaturus personaliter sit, qui de hoc et alijs vos seriosius informabit; ad abundantem tamen cautelam hec vobis prenotificare curavimus, ut etiam in terris et locis vestris maritimis dari possit ordo, quod gentes dicti passagij declinantes ad illas possint invenire pro sua pecunia de victualibus opportunis; sicut de Vestra Celsitudine plene speramus. (MCCCLXIV. Martius II.)

(A velenczei »Liber Secretorum« czimű államkönyvből.)

445.

Szécsi Miklós dalmatiai bánnak a velenczei kormánytanács, a velenczei hajók által megkárosodott jádraiak panaszára. 1364.

Bano Dalmacie et Croacie.

Recepimus litteras vestras datas XVII. mensis presentis; quibus intellectis rescribimus, quod damna, que scribitis esse illata hominibus Jadre per gentes navigiorum nostrorum,

multo plus gravia et molesta nobis occurrunt quam vobis; maxime quare licet hoc alias sit nostrum precipuum et generale mandatum; in speciali tamen Capitaneis et patronis omnium navigiorum nostrorum, missorum per nos in hac nostra expedicione navali contra Cretenses, dedimus efficaciter in mandatis, ut cunctos subditos Regios viderent et tractarent amicabiliter et fraterne, et eos ac bona sua plus quam nostrorum salvarent et diligentissime custodirent. Set consideramus rem ut est. Misimus enim cum dictis Navigiis soldatos equestres et pedestres diversarum et plurium Nationum, sicut sunt Alemani, Anglici, Hungari, Sclavi, Italici et Ultramontani, et hujusmodi, quos putamus. Quare sicut scitis sunt gentes efrenes et que regulari non possunt, invitis patronis et prefectis Navigiorum ad hos actus illicitos prorupisse. Quod satis verificatur ex hoc, quod in quam pluribus locis Istrie nostrismet fidelibus et subjectis intulerunt damna similia et majora. Nec est quid novum; meminimus enim, dum olim dominus Rex mitteret Bononiam ad Ecclesie Romane servicia multitudinem Hungarorum, quamvis ut justissimus et prudentissimus Rex efficaciter sub gravi comminatione jussisset, ut nulli amico, presertim nostris fidelibus transeuntes ullam facerent injuriam vel offensam; tamen in eorum transitu per Trevisanam, ubi passus liberos et victualia parata pro suis pecuniis habere poterant, damna in bonis et rebus nostrorum fidelium quam plurima committerunt ad summam ultra libras V^{m}, de quibus facta consciencia domino Regi per nos graviter doluit; nec tamen quare per omnem multitudinem erant commissa, de satisfaccione nostrorum provideri potuit, vel aliud remedium adhiberi; et nos cognoscentes mores exercituum in similibus casibus, placavimus nostros fideles sicut melius potuimus. Verum tamen quomodocunque sit; sicut prediximus, de commissis per gentes predictorum navigiorum nostrorum una vobiscum vehementissime condolemus. Et intendimus ex parte nostra diligenter inquirere; et rogamus vos affectuose, quod vos ex parte vestra eciam inquiratis, et omnem informacionem et claritatem quam potestis, tam de nominibus patronorum navigiorum, quam culpabilium et auctorum ipsorum damnorum, si quomodo haberi potest, quam velocius et celerius poteritis, transmittatis. Scicutes, quod nostri

firmi propositi est, culpabiles et eorum bona nedum ad dignam et decentem satisfaccionem et emendam compellere; sed eos insuper penis debitis taliter coherere, quod alij in posterum attentare similia reformident, et quod vos et vestri de nostra justicia habeatis et possitis merito contentari. Datum penultimo Aprilis, secunde indiccionis anno MCCCLXIV.

Similis Regiminibus Jadre.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

446.

I. Lajos magyar királynak a velenczei kormánytanács ugyanazon ügyben. 1364.

Domino Regi Hungarie.

Ne forte super isto negocio Vestre Majestati per aliquos minus vera informacio preberetur, copiam quarumdam litterarum nobis per Banum vestrum Dalmacie noviter transmissarum super quibusdam damnis Jadrensium, et copiam responsionis nostre ad ipsas litteras Vestre Celsitudini mittere providimus interclusam; optantes, si forte ultra oblata per nos aliud fieri posse vobis secundum justiciam videretis, exinde per Vestras Regias litteras informari. Nam in hiis et aliis omnibus, que cum vobis et vestris nobis possent occurrere, non intendimus quoquo modo recedere ab eo, quod justum et honestum suadeat; sicut econtra credimus esse dispositam Vestram Regiam Majestatem. Datum penultimo Aprilis, Secunde indiccionis MCCCLXIV.

(A »Liher Secretorum« czimű velenczei államkönyből.)

447.

Ursio Bertalannak a velenczei kormánytanács ugyan azon ügyben. 1364.

Bartholo Ursio in partibus Hungarie.

Mittines has litteras Domino Regi, quarum copia hic est inclusa, et copia litterarum Bani, et copia responsionis

nostre; volentes, si es in Curia Regis quod eas presentes, et responsiones earum procures et mittas. Si autem recessisses; ordinavimus cursori, quod vadat cum eis ad Regem, et responsionem reportet. Datum ut supra (1364. april. 29.)

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

448.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király a jádraiak megkárosodása ügyében. 1364.

Amice carissime. Litteras nobis per harum exhibitorem directas, et etiam copiam responsionis vestre fideli nostro Nicolao Bano Croatie et Dalmatie ad quasdam litteras suas facte, affectione solita recepimus. Et super his amicitie vestre respondemus, quod de hujusmodi responsione vestra bene contentamur; tenentes indubie, quod fidelibus nostris Symoni de Diacono et Johanni Galli civibus Jadratinis ex parte vestrorum, quos auctores dampnorum suorum reperieritis, condignam impendatis et iustam satisfactionem. Data Bude die decima septima mensis Maii.

Kivül. Inclito domino Laurentio Celsi Duci Venetiarum, amico nostro carissimo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VII. kötetének 1. részéből.)

449.

V. Orbán pápa I. Lajos magyar királyt IV. Károly császár, a siciliai királyság és az Egyház irányában követett tartásáért dicséri. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Nuper Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Florentinus a tua reversus presentia, capitula pacis, quam cum carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore Semper Augusto Tua facerat Magnitudo, et de qua pace toti populo Christiano perutili, sicut

per alias litteras Regie Serenitati scripsisse meminimus, habuimus et habemus plenitudinem gaudiorum; ac bonam dispositionem tuam circa quietem et statum Regni Sicilie, super quo idem Episcopus nobis tuas litteras presentavit, et etiam oblationem magnificam, per quam devote et liberaliter obtulisti eidem Ecclesie, que tunc agitabatur bellorum procellis, in potenti brachio subvenire, nobis retulit fideliter et prudenter. Ipsam igitur dispositionem ac oblationem tuam magnificam, et eximie tue devotionis affectum, quem ut Christianissimus et devotissimus Princeps geris ad Ecclesiam ipsam Matrem tuam, merito habentes acceptos, proinde Tue Serenitati referimus graciarum multiplices actiones. Datum Avinione kalendis Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

(V. Orbán pápa registáiból.)

450.

Erzsébet magyar anyakirálynénak V. Orbán pápa ugyanazon értelmében. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissime in Christo filie Elisabeth Regine Seniori Vngarie illustri, salutem etc. Grata nobis Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Florentini relatione cognovimus, quod Tua Serenitas ex sincere devotionis affectu, quem ad nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobaris, carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie Illustrem natum tuum, quamvis ipse ad pacem habendam cum omnibus Christi fidelibus, ac ad nostra et eiusdem Ecclesie obsequia velut Christianissimus et devotissimus Princeps esset bene dispositus, tamen ad concordiam reformandam cum carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore Semper Augusto, et ad offerendum liberaliter in potenti brachio subvenire eidem Ecclesie tunc bellorum impetibus agitate, tuis exhortationibus validis vehementius animasti; de quibus Serenitati Tue, quam Apostolice Sedis ubilibet graciis prosequi affectamus, graciarum multiplices referimus actiones. Datum Avinione kalendis Junii Bontificatus nostri anno secundo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

451.

Benintendi cancellárnak, kit a velenczei köztársaság követnek küld I. Lajos magyar királyhoz, utasítása. 1364.

Comissio saprientis viri Domini Benintendi honorabilis Cancellarij Veneciarium, Ambaxatoris ad Dominorum Regem Hungarie.

Nos Laurencius Celsi dei gracia Dux Veneciarum etc. Committimus tibi sapienti et circumspecto viro Benintendi de Ravignanis Cancellario et fideli nostro dilecto: Quod de nostro mandato in Ambaxatorem nostrum ire debeas ad Serenissimum et Excellentissimum Principem dominum Ludovicum Regem Hungarie; quo ex parte nostra amicabiliter salutato, prout convenit expones, quod intellecta responsione providi viri Bartholi Ursio Notarii nostri, et ipsius domini Regis requisicione super declaracione clausule et econtra, quam declaracionem, sicut asserit, non intendit verti in aliquod prejudicium vel derogacionem antiquorum ordinum, consuetudinum et jurisdiccionum nostrarum; respondemus, quod licet pax sit solemniter scripta et facta, sicut dictum est alias; tamen ob reverenciam Majestatis Sue, cui vellemus in cunctis possibilibus complacere, postquam ejus intencio est, ut supra dicitur, contenti sumus, quod inveniatur super hoc aliquis bonus modus, qui conservet honorem suum et nostrum, per quem ipse et nos ac posteri nostri simus semper clari et securi, quod antiqui ordines et jurisdicciones utriusque partis sint salve, nec eis aliquod prejudicium generetur. Et si Rex videretur dispositus ad illam intencionem nostram, possit ellargiri et fieri declaracio in forma alias missa et oblata per litteras; vel si non contentaretur de litteris, possit reformari pax in eisdem verbis et forma que continentur in litteris. Si vero Rex non contentaretur de hac nostra intentione, tunc nolumus, quod elarges te ad aliquod; sed trahes finalem intencionem suam, et dextro modo queras de causa dubij, pro qua petit de predicta clausula. Et id quod habueris rescribas, rescribas, vel redeas, sicut sapiencie tue melius videbitur.

De facto salis sui emendi per nostrum Commune vel spe-

ciales personas, non facias ullam mencionem; sed si Rex aliquid tangeret, excuses factum dicendo et allegando, quod de nostro tantum habemus, quod ex omni parte nobis habundat. Et quod illum, quem mittimus acceptum de longinquis partibus ultramarinis, est pro dando inviamentum navigiis et civibus nostris, et non pro alia causa; et cum his et alijs racionibus, que tibi videbuntur alleganda circa hoc.

Habere debes tres famulos, unum medicum cum uno famulo, unum coquum, duos ragacios a stalla, et duos equos pro saumis.

Et propterea expendere potes in omnibus expensis quomodolibet occurrentibus ducatos VI auri in die, non computatis in hoc uabulis navigiorum et scortis.

Jurasti (igy) proficuum et honorem Veneciarum eundo, stando et redeundo. Datum die XI. Junij MCCCLXIV.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

452.

Benintendi, a velenczei köztársaság cancellárja, követnek küldetik I. Lajos magyar királyhoz. 1364.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXquarto, indiccione secunda die XII. mensis Junij, Excelsus et Magnificus Dominus dominus Laurencius Celsi Dei gracia Dux Veneciarum ect. unacum suis Consilijs ad infrascripta omnia et singula exercenda et complenda specialiter deputatis, et ipsa Consilia cum ipso domino Duce unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis, ac nomine et vice Communis Veneciarum, fecerunt, constituerunt, creaverunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Sindicum, actorem et negotiorum gestorum et quicquid amplius dici potest, sapientem et circumspectum virum dominum Benintendi honorabilem Cancellarium et Ambaxatorem suum, absentem tanquam presentem specialiter, et nominatim ad comparendum coram Serenissimo et Excellentissimo domino Ludovico Dei gracia Hungarie Rege illustri et cum illo seu deputatis ab eo tractandum, conveniendum,

paciscendum, transigendum et concordandum ac tractatus, convenciones, pacta, transacciones et concordias faciendum, iniendum et firmandum super omnibus et singulis articulis rebus et negocijs, sub illis modis, formis et condicionibus, que dicto suo Sindico et procuratori videbuntur stb.

(A Sindicatusok I. kötetéből, a velenczei nagy levéltárban.)

453.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király a crétai lázadás tárgyában. 1364.

Amice carissime. Nosse vellitis, quod nuncius vester harum exibitor nobis litteras vestras exibuit, victoriam, quam dominus Deus vobis et Communi vestro de rebellibus vestris insule Cretensis largitus est, plenius exprimentes. Quas quidem litteras tanto maiori jocunditate et propensiori solacio suscepimus et legimus, quanto ampliori leticia de vestris et vestrorum prosperis successibus sincere semper exultamus, et hos omni desiderio iugiter percipere delectamur; sperantes, quod huiusmodi vindicte vestre claritas aliis, ne consimilia velint presumere, transeat in exemplum. Data in Lipche die XXVI. mensis Junii.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyv VII kötetéből.)

454.

A boszniai bán velenczei polgárnak felvétetik. 1364.

Laurentius Celsi Dei gratia Dux Veneciarum etc. vniuersis et singulis tam presentibus quam futuris, et tam amicis quam fidelibus presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius Ducalis providentia consuevit personas illustres et magnificas sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et petitiones earum liberalius exaudire, quanto

Ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam illustres et magnifici domini Tuercto Dei gratia totius Bossine Banus, Comes Wolf eius frater, et Helena Comitissa, eorum genitrix, ad Nostre Magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendunt; qui in agendis nos, Ducatum nostrum, et singulares personas Venetas tangentibus, devotos et promptos se incessanter prebuerunt laudabiliter atque prebent; eorum supplicationibus gratiosius annuentes, ipsos et ipsorum quemlibet cum suis heredibus, nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servatą, perpetuo in nostros cives et Venetos recepimus atque recipimus, et Venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro Venetis et civibus nostris in Venetiis et extra ubilibet deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, eosdem sincere benevolentie brachiis amplectantes; et firmiter statuentes, quod singulis beneficiis, libertatibus et immunitatibus ac honoribus quibuscumque, quibus alii nostri cives Veneti gaudeant et perfrui dignoscuntur, prefati domini Wolf et Helena, cum dictis eorum heredibus, in Venetiis et extra perpetuo gaudeant et utantur; nobis quoque per nobilem virum Marcum Bonzi civem nostrum, eorum fidelem familiarem, solemniter ad Sancta Dei evangelia prestiterunt fidelitatis debitum iuramentum. In quorum omnium fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, nostraque bulla pedente aurea communiri. Datum in nostro Ducali palatio anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, die septimo mensis Septembris, tertie indictionis.

(»A Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VII. kötetéből.)

455.

I. Lajos magyar király megerősiti a nürnbergi és prágai kereskedők szabadalmait. 1364.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vni-

uersis, quod Perthold Holchner et Johannes Ebner, Ciues et Jurati de Neurumperg in suis ac vniuersorum ciuium seu hospitum de eadem Neuremperg personis Nostre Serenitatis adientes conspectum, exhibuerunt nobis quoddam priuilegium nostrum maiori et priori sigillo nostro in terra Vzure furtiue sublato consignatas super diuersis libertatum ipsorum articulis, quibus in locis tributorum Regni nostri vsi sunt, consueto confectum tenoris infrascripti; supplicantes Nostro Regio Culmini humiliter et devote, vt quia ipsi propter discrimina viarum pretactum priuilegium secum in specie deferre non auderent; ideo nos tenorem eiusdem de verbo ad verbum presentibus nostris litteris patentibus transsiribi et transsumpni faciendo, apposicioneque noui sigilli nostri pro eisdem eorumque heredibus dignaremur confirmare. Cuius tenor talis est.

Lodouicus Dei gracia Hungarie stb. Rex. stb. (következik I. Lajos magyar királynak 1357-ki okmánya mint fentebb 387. sz. a.)

Nos itaque justis et juri consonis, admissioneque dignis supplicacionibus prefatorum Pertholdi et Johannis, Ciuium et Juratorum de eadem Neurumberg, suis et vniuersorum ciuium et hospitum de eadem Neurumberg et de Praga vice et nominibus Nostre humiliter porrectis Maiestati fauorabili pietate inclinati, predactum priuilegium nostrum omni prorsus suspicione et vicio carentes de verbo ad verbum presentibus transscribi et transsumpmi faciendo, simul cum dictarum libertatum articulis in tenore eiusdem contentis et expressis pro predictis ciuibus et hospitibus de Neurumberg et de Praga eorumque heredibus perpetuo confirmamus. Datum in Wissegrad in octauis festi Beatorum Petri et Pauli Apostolorum anno Domini millesimo CCC. LX. quarto.

(Eredetie bőrhártyán a müncheni bajor kir. államlevéltárban.)

456.

A florenczi köztársaság szolgálatában lévö u. n. fehér hadicsapatban (Compagnia-Bianca, Inglese). 1364.

Johannes Cibol Vngarus Maliscalcus Vngarorum et Consiliarius dicte Societatis. (1364. julius 12.)

(Atti pubblici XXXIX. kötetében, a florenczi nagy levéltárban.)

457.

V. Orbán pápa Károlyt durazzoi herczeget ajánlja I. Lajos magyar királynak. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Vngarie Regi illustri salutem etc. Quamquam expedire non debeat, quod os ex ossibus tuis, et carnem ex carne tua Regali Magnitudini commendemus : quia tamen paterna monitio semper operari debet fructum in filiis, nostraque caritas erga pupillorum presertim clarissimi sanguinis profectum invigilat; Serenitatem Tuam affectuose rogamus, quatenus ad statum dilecti filii nobilis Caroli de Duracio pupilli consanguinei tui dirigens oculos Regie pietatis, ad ipsum tam consideratione tui preclarissimi sanguinis, quam intuitu pietatis, que debetur talibus, ac ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram, gratiam tuam dilectionis et favoris extendas, eumque Regalibus favoribus Tue Magnitudinis possibilibus prosequaris. Datum Avinione II. kalendas Augusti Pontificatus nostri anno secundo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

458.

V. Orbán pápa I. Lajos magyar királyt felkéri, hogy IV. Rudolf austriai herczeg és a salzburgi érsek, s István bajor herczeg közt a békességet helyreállitani igyekezzék, s e tekintetben Agapitus esculánai püspök és apostoli nunciusnak müködését támogassa. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Super custodia animarum fidelium licet insufficientibus meritis a Domino constituti, illarum tenemur obviare periculis, et salutem Apostolice sollicitudinis studio procurare, cunctaque, prout nostre possibilitati conceditur, de medio tollere, per que aditus eisdem pandatur periculis, prefateque salutis semita obstruatur. Nuper siquidem non absque amaritudine cordis nostri multorum fidedignorum significacione didicimus, quod orta dudum discordia inter venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Salzeburgentem, et dilectos filios nobiles viros Rudolfum Ducem Austrie ex una parte, ac Stephanum Ducem Bavarie ex altera, procurante zizanie satore, sic crevit, sicque utriusque partis animos inflammavit, quod partes ipse propriarum virium terminos excedentes, consanguineorum et amicorum quam plurimorum auxilia invocant, iamque incipiunt congregare; et cum ipsi Duces generositate prepolleant, magnaque potiantur gloria facultatum, totam pene Alamaniam et vicinas partes ad mutui congressus excidium trahere moliuntur, ex quo nisi de festine pacis succurratur remedio, cum illarum partium populi sunt naturaliter bellicosi, si, quod absit, partes ipse ad prelium deveniant generale, Christiani sanguinis grandis effusio, et per consequens animarum pericula, aliaque mala quam plurima, vel bellorum calamitas solet producere, probabiliter formidantur. Nos igitur adversus mala ipsa, ne vires sumant ulterius, cupientes, prout tenemur, oportunam diligenciam adhibere, de tuaque interpositione adhibenda in hac parte solicite spem precipuam obtinentes, venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Esculanum Apostolice Sedis Nuncium, harum latorem,

virum circumspectum, scientia preditum et concordie amatorem, ad Regiam ac eorundem Archiepiscopi et Ducum presentiam, ad exhortandum eos et adherentes ipsorum ex parte nostra, ut a bellicis progressibus desistentes ad pacis redeant unitatem, et ad pacem ipsam cum tuo consilio et favore tractandum, oportuno sibi super hiis mandato tradito, providimus destinandum. Quare Regiam Serenitatem paterna caritate requirimus et affectuose regamus, quatenus pro dicta pace, presertim apud eundem Ducem Austrie, qui tuo in hac parte speratur adhesurus sano consilio, interponas efficaciter partes tuas, prefato Nuncio ob reverenciam auctoris pacis, per quem regnas feliciter, ac dicte Sedis et nostram, oportuna favores et consilia tribuendo. Datum Avinione III. Nonas Septembris. Pontificatus nostri anno secundo.

In eodem modo Carolo Romanorum Imperitori Semper Augusto, Rudolfo Duci Austrie, Stephano Duci Bavarie, Archiepiscopo Salzeburgensi, Johanni olim Olomucensi Episcopo in Archiepiscopum Pragensem Electo, Theodoro Archiepiscopo Magdeburgensi, Bertholdo Episcpo Eystetensi, Burghardo Magdeburgensi Burgravio Magistro Curie Imperialis, Johanni de Bohemia Marchioni Moravie, Frederico Balthasar et Wilhelmo Marchionibus Misnensibus, Thimoni Domino in Cholditz militi, Frederico Burgravio de Nuremberg, Ruperto Seniore Duci Bavarie et Comiti Palatino Reni.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

459.

V. Orbán pápa I. Lajos magyar királyt felkéri, hogy IV. Rudolf ausztriai herczeg és Carrarai Ferencz paduai fejedelem közt a békességet eszközölni igyekezzék. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Licet discordie cunctorum Christi fidelium, presertim que gravia bella periculaque animarum et corporum sunt verisimiliter pariture, non immerito mentem nostram amaricent et conturcent; cum tamen fidelibus Ecclesie, qui pro ea exhibuerunt sponte se

pugiles, et eidem in magne necessitatis tempore magnifice subvenerunt, guerram et pericula presertim iniuste preparari sentimus, dolore pungimur duplicato. Cum itaque ad nos fidedigna relatione pervenerit, quod dilectus filius nobilis vir Rudolfus Dux Austrie contra dilectum filium nobilem virum Franciscum de Carraria militem, in Civitate Paduana et eius Districtu Imperialem Vicarium, tuumque devotum, et servitorem precipuum, guerram movere proponat, ex qua idem Franciscus specialis Ecclesie Romane devotus et filius, qui pro ea, ut Regiam Magnitudinem audivisse putamus, multa grandia et fructuosa magnifice operatus extitit, vexaretur et debilitaretur non modicum, et ad defensionem ipsius Ecclesie in oportunis casibus debilis redderetur, quiesque partium Lombardie irrumperetur indubie, et magna in eis posset commotio exoriri: Regiam Celsitudinem, quanto affectuosius possumus, deprecamur, quatenus ob reverenciam Dei ac Apostolice Sedis et nostram, pro Tueque Sublimitatis honore huiusmodi discordie ac novitati noxie nimium, viis et modis, quibus tue pregandi circumspectioni videbitur digneris sollicite obviare: super hiisque venerabili fratri nostro Agapito Episcopo Esculano Apostolice Sedis Nuncio, latori presentium, in dicendis tibi ex parte nostra per eum velis fidem plenariam adhibere. Datum Avinione III. idus Septembris Pontificatus nostri anno secundo.

In eodem modo Carolo Romanorum Imperatori.

(V. Orbán pápa regestaiból.)

460.

V. Orbán pápa I. Lajos magyar királyt kéri, hogy IV. Rudolf ausztriai herczeg és Lajos aquileiai patriarka közt a békeséget eszközölni igyekezzék. 1364.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem, etc. Regiam Celsitudinem credimus non latere, quod dilectus filius nobiles vir Rudolphus Dux Austrie venerabilem fratrem nostrum Ludovicum Patriarcham Aquilegensem ac eius Aquilegensem

Ecclesiam, cuius, ut dicitur, vasallus existit, bellicis insultibus multipliciter molestavit, ac gravibus iniuriis et dampnis affecit; quodque de hiis postmodum treuga facta extitit, que adhuc modico tempore dicitur duratura. Ideoque cum venerabilem fratrem Agapitum Episcopum Esculanum, Apostolice Sedis Nuncium, latorem presentium, pro aliis magnis arduis negociis ad tuam et dicti Ducis presenciam destinemus, eidem commisimus, quod ex parte nostra inter eosdem Patriarcham et Ducem pacem firmam tractare procuret. Quare cum in hoc multum valere possit, ut credimus, Regia Celsitudo, Eam affectuose rogamus, quatenus in hac parte dignetur interponere benigne partes tuas, prefatam Ecclesiam, ad quam specialem affectionem te habere percepimus, habendo pro Divina ac dicte Sedis et nostra reverencia commedatam. Datum Avinione III. idus Septembris Pontificatus nostri anno secundo.

In eodem modo Carolo Romarorum Imperatori.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

461.

I. Lajos magyar királynak a velenczei köztársaság a crétai lázadás tárgyában. 1364.

Domino Regi Hungarie.

Cum in mente nostra revolvimus sincere devocionis affectum, quem ad Vestram Excellenciam gerimus; certi reddimur, quod Regia Majestas eundem erga nos animum gerens, sicut de quibusquam nostris prosperitatibus conganderet, ita in adversitatibus vehementer condoleret. Quocirca Vestre Celsitudini denotamus, quod pheudati nostri Insule Crete nobis vinculo fidelitatis astricti, quos semper tamquam filios et fratres tractavimus, tanquam ex eadem Civitate et eisdem parentibus ortos nobiscum, ex quadam insolentia rebellionem contra nostrum statum in eadem insula excitarunt. Et quamvis speremus, quod ipsi errore suo recognito ad nostre gracie gremium revertentur; nichilominus propositum nobis est, ubi forte perseverarent, ad recuperationem nostri honoris intendere, et contra ipsos habere continuo potens stollium galea-

rum, quod prohibeat atque turbet, nequid ad eos defferi possit, vel inde extrahi, seu alias quomodilibet exhiberi eisdem auxilium sive favor. Quare Serenitatem Vestram cum singulari fiducia deprecamur, quatenus advertentes enormitatem facinoris, quod vobis et cuique justo Principi merito debet esse exosum, dignemini cunctis vestris fidelibus et subjectis maritimis efficaciter imponere et mandare, quod durante novitate premissa ab eundo, mittendo vel conversando cum eis abstineant, et ab omni eorum favore ac auxilio prorsus desistant, sicut decet inter amicos servari, et sicut pro nobis et nostris in casu simili faceremus. Tauta enim est fiducia, quam in famosa vestra benignitate locavimus, quod nedum predictam requisicionem nostram utique satis honestam et congruam speramus admitti per vos; quinimo, ubi opus foret, contra eos et alios nostro statui adversantes vestrum speraremus auxilium et favorem. Datum XI. Octobris, secunde indiccionis anno MCCCLXIV.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei állmakönyvből.)

462.

I. Lajos magyar király déli Francziaországnak partján tengeri hajókat készittet. 1365.

Rafayno Notario nostro in Romana Curia.

Rafayne. Ad audientiam nostram plurimorum fide dignorum relatione noviter est perductum, quod in partibus Provincie ad petitionem domini Regis Hungarie armantur decem galee; sed ad quem finem, nescimus. Et propterea cupientes multis respectibus certificari de predictis; fidelitati tue scribimus et mandamus, quatenus per illum modum, qui prudentie tue videbitur, sive per viam protectorum et amicorum nostrorum, sive aliter, dare debeas operam toto posse sentiendi veritatem huius rei, videlicet si alique galee in partibus predictis armantur, et per quos et ad cuius instantiam, et per quem modum; et quecumque inveneris et habueris in premissis, absque dilatione ordinate et distincte debeas nobis per tuas litteras reserare, non respiciendo ad expensas cursorum circa executionem huius

mandati et intentionis nostre, taliter te gerendo, quod apud nos valeas merito commendari. Data XXII. Januarii tertie indictionis.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

463.

Magyar harczosok az Olaszhonban alakúlt angol vagyis u. n. fehér hadi csapatban. 1365.

In nomine Domini Amen. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo quinto die VIII. mensis Januarii. Noverint vniuersi, quod Magnifici et potentes milites, dominus Hugo de Mortimer Capitaneus Generalis Albe Societatis; dominus Nicolaus Comes de Thodi Ungarus; nec non Egregii et potentes viri Andreas de Belmonte, Johannes Birche Conestabilis, Ugynus Ecton, fecerunt et ordinaverunt corum me Notario Publico vice et nomine totius dicte Societatis nobiles viros Johannem Fouc, Johannem Stracton, Addam de Stodec, Johannem Bodenam, Robertum Semur, Henricum de Sancto Mauricio Anglicos; et Michaelem de Sale (Zala), Lanzalottum de Samusce (Szamos), Petrum de Marchio, ac Nicolaum de Segoria (Zagoria) Ungaros, Ambasciatores suos et totius Societatis, ac eisdem vice et nomine totius Societatis plenariam potestatem dederunt tractandi, ordinandi et concordandi, pacem, et concordiam faciendi et taliter firmandi inter Excellentissimam et potentem Principem dominam Jerusalem et Sicilie Reginam, Reverendissimum in Christo Patrem dominum Egidium auctoritate Apostolica Episcopum Sabinensem Legatum, et Societatem Albam predictam stb. Datum et actum in Averzano anno, mense de quibus supra.

Ego Staxius Monbert de Ramis Auctoritate Imperiali Notarius omnibus interfui stb.

(Eredetie a florenczi nagy levéltárban.)

464.

Ugyanezen angol vagy fehér hadi csapat a romai egyház és I. Johanna siciliai királyné szolgálatában. 1365.

In nomine Domini nostri Ihesu Amen. Anno Natiuitatis eiusdem M.CCC.LXV. indictione tertia, tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini, domini Urbani Diuina prouidentia Pape V. die XIIII. mensis Januarii. Vniuersis et singulis hoc presens instrumentum publicum inspecturis pateat evidenter, quod Magnificus et Egregius miles, dominus Blaschus Fernandi de Belviso Prouintie Spoletani Ducatus pro Sancta Romana Ecclesia Rector tanquam procurator et procuratorio nomine eiusdem Romane Ecclesie stb.; et Magnificus et Egregius Miles dominus Gometius de Albornocio Rector Curie Vicarie Regni Sicilie, tanquam procurator et procuratorio nomine et pro parte ipsius domine Regine stb. ex parte una; et Nobiles viri Johannes Bodam, Johannes Forinc, Johannes Stracton, Robertus Sever, Addam de Stodec et Henricus de Semur de Anglia; Michael de Sala, Lanzeloctus de Samusce, Petrus de Marchio et Nicholaus de Sagoria, sindici et actores et procuratores et nuncii Magnificorum et Nobilium virorum dominorum Capitanei, Conestabilis, Marescialchi et Consilii Societatis predictorum stb. ex parte altera; Divina eis fauente clementia stb. ad presentem concordiam et infrascripta capitula, conventiones et pacta stb. solempniter deuenerunt stb.

Imprimis videlicet, quod Capitaneus, Conestabilis, Marescallus, Submarescalli, et alii Caporales, ac omnes et singuli de Societate predicta, et tota ipsa Societas conduxerunt et firmaverunt se, et conducti et firmati sunt et intelligantur, ad stipendia et servitia Sancte Romane Ecclesie stb. et Serenissime et Excellentissime Domine, domine Regine Jerusalem et Sicilie predicte stb. contra omnes et singulos, qui invaderent aut occuparent stb. aliquam ciuitatem, terram, provinciam, castrum, territorium seu locum Romane Ecclesie vel domine Regine et subcessorum eius stb, et specialiter contra Societatem domini Annichini de Bongardo et ipsum

dominum Annichinum, eiusque complices et sequaces, et quoslibet de Societate predicta stb. Item quod predicti de Societate non teneantur guerram facere contra Ciuitates Florentie, Pisarum et Senensis stb. (az egyesség öt évre köttetik) Actum in burgo Castri Pissine partium et Diocesis Marsicane Aprutine Provincie stb. anno, indictione, mense et die predictis stb.

(Ex libris introitus et exitus Romandiole 1360—1368. 203. lev. a vaticanumi levéltárban.)

465.

A florenczi kormánytanácsnak I. Lajos magyar király, több raguzai polgárnak Florenczben kint álló követelései tárgyában. 1365.

Nobilibus et sapientibus viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Civitatis Florentie amicis nostris.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie etc.

Amici carissimi. Proposuit nobis fidelis Marinus de Goize de Ragusio, quod quidam concives vestri sibi satis in magna pecunie quantitate forent debitores, quam sepius requisiti sibi soluere non curassent. Quare cum idem Marinus ex hoc magnum dampnum pati videatur, rogamus Amicitiam Vestram studio quo pussumus ampliori, quatenus iam dicto Marino contemplatione nostri faciatis ex parte debitorum suorum huiusmodi juris et justitie complementum, gratam nobis in eo complacentiam ostendentes. Datum in Vissegrado die XVIII. mensis Januarii anno LXV.

(Az »Archivio delle Riformagioni dei Capitoli XVI.« codexéből a florenczi levéltárban.)

466.

I. Lajos magyar királynak a velenczei kormánytanács. 1365.

Domino Regi Hungarie.

Quamvis Cancellarius noster pridie a presencia vestra reversus multa nobis retulerit de magna sinceritate animi et optima voluntate, quam in vobis invenerat erga nos; ex quo licet antea satis essemus ad queque beneplacita Vestra, nos reddidistis merito prompciores; hanc tamen laudabilem disposicionem Vestram apud nos mirabiliter confirmarunt Ambaxator vester proxime ad nos missus, qui plura eciam de eadem materia nobis dixit, nec non Regie Vestre littere responsales pridie nobis misse super quodam banno in Dalmacia publicato, continente, quod inter Januenses et nos discordia verteretur. In quibus quidem litteris et sinistram informacionem in ipso facto vobis exhibitam, et honestum finem intencionis nostre, videlicet ut ipsos et nos communes amicos vestros equaliter tractaretis, et in fine singularem vestram leticiam de omni bono et pacifico statu nostro stillo urbanissimo descripsistis; digna quidem tali Rege responsio; digna que talibus et tam devotis amicis vestris merito sit dirrecta. Qui quam uberiores possumus vobis eximias grates referimus, et qui gerentes in mente similiter sinceritatem animi et cordis desiderium erga vos, libencius, teste Deo, re et opere illud in cunctis vestris honoribus monstraremus. Supra igitur ex premissis fiducia, et experti, quod hactenus nulla facta dictaque sunt, et quotidie dicuntur et fiunt in dictis partibus Dalmacie per quosdam pacis emulos querentes more Satane seminare zizaniam, que quando in vestram noticiam sunt deducta, vobis displicuerunt et displicent vehementer; dudum in animo propositum habemus, quociens aliquod persentimus, quod hinc inde posset ullum rancorem indicare, statim Vestre Celsitudini denotare, que sua providencia semper consuevit apponere remedium salutare. Et quare intelleximus noviter in dictis partibus Dalmacie proclamatum, quod nulla navigia cum sale intrent aliquos portus vestros sub pena incendii personarum et navigiorum. Que quidem proclamacio sic universaliter

prout sonat accepta, posset dubium vel prejudicium generare nostris fidelibus et navigiis eorum, qui per forciam pacis ire possunt et semper consueverunt stare et recedere libere sine impedimento; quod nullo modo credimus esse de mente Majestatis Vestre, a qua nisi honestum, justum et sanctum est solitum emanare. Ideo Vestram Excellenciam exoramus, quatenus super hoc dignetur sic oportuno et salubri remedio providere, quod ex hoc nostris navigiis et fidelibus nulla novitas vel injuria subsequatur; sed quod tractentur more solito dulciter et benigne, dummodo non contrafaciant antiquis ordinibus et consuetudinibus vestris, sicut servavimus et servare intendimus erga vestros; dispositi in his et omnibus alijs pacem integraliter observare, tenentes firmiter, quod illud idem fieri debeat parte vestra. Super quibus expectamus gratam responsivam vestram per presencium portitorem. Datum XXIIII. Januarij tercie indiccionis anno MCCCLXV.

Replicata die XXVII. Januarij per unum alium cursorem, qui venit per terram.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből.)

467.

A velenczei kormány titkárát Anasztasiust küldi I. Johanna siciliai királynéhoz, hogy ez az I. Lajos magyar király számára déli Francziországban készitendő tengeri hajók felszerelését akadályoztassa. 1365.

Commissio Anastasij.

Nos Laurencius etc. Comittimus tibi provido viro Anastasio Notario fideli nostro, quod de nostro mandato vadas ad Excellentissimam dominam Reginam Apulee; qua salutata cum reverencia, sicut convenit pro honore nostro, exponere maximum amorem et benevolenciam et singularem caritatem, que semper fuit et Deo auctore erit inter progenitores suos et ipsam, et nos et nostrum Commune; qui semper fuimus convincti vero amore et sincera fide, ut plenissime notum est, cum hiis et alijs verbis, que tibi utilia et necessaria videbuntur. Subsequenter expones, quod nuper ad audienciam nostram pervenit rela-

cione veridica, quod dominus Rex Hungarie intendit facere armari in partibus Nicie et Provincie subditorum Majestatis Sue X galeas. Et quare dicte galee possunt leviter venire ad damnum nostrum, memores antique benevolencie predicte, et reminiscentes quod in novitatibus, quas alias dominus Rex Hungarie movere volebat contra Regnum suum, sicut ipsa bene novit, noluimus sibi favere ullo modo, sed cum nostris galeis id turbavimus toto posse; deliberavimus mittere ad Excellenciam Suam ad rogandum eam, quatenus nostri amoris intuitu ordinet, sicque cum effectu disponat, quod nullo modo dicte galee vel aliqua earum, aut similes galee armentur in dictis partibus, vel aliis locis subjectis Excellencie Sue, sicut plene speramus. Et si tu obtinebis nostram intentionem predictam, ita quod de hac domina Regina sit contenta et complaceat nobis, procura toto posse obtinere litteras suas super dicta materia, que nobis mittantur super intencione sua; et cum eo quod habueris, Venecias redeas de omnibus novis plene informatus. Si vero non posses obtinere nostram intencionem predictam, quare forte dicta Regina diceret jam promisisse hoc domino Regi, vel alia causa; tunc dicas sibi finaliter, quod si galee predicte armabuntur, ut est dictum, et nobis vel navigiis, aut terris et fidelibus nostris aliquod facient damnam quoquomodo, providebimus et providere intendimus illis remediis, que conveniant saluti et bono nostro, nec possemus talia ullatenus tollerare. Et accepto honorabili comeatu Venecias redeas de omnibus informatus. Datum etc. (január 24. 1365.)

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből)

468.

V. Orbán pápa az ifjabb Albert ausztriai herczeg és Erzsébet néhai István magyar herczegnek leánya közti házassága ellen nyilatkozik. 1365.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie illustri salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod carissimus in Christo filius noster Carolus

Romanorum Imperator Semper Augustus olim promisit, et iuramento firmavit facere et curare pro posse, quod dilectus filius nobilis vir Albertus junior Dux Austrie, ac dilecta in Christo filia nobilis mulier Catherina, nata dilecti filii nobilis viri Johannis Marchionis Moravie, fratris dicti Imperatoris, matrimonialiter iugerentur, et eumdem Imperatorem super huiusmodi premissione ac iuramento suas dedisse, et quondam Alberti Ducis Austrie, supradicti Alberti genitoris, simile pro dicto suo filio promittentis ac iurantis litteras recepisse; et hiis non obstantibus ab aliquibus procurari, quod inter dictum Albertum juniorem, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elizabeth natam quondam Stephani fratris tui, qui in tertio et quarto consanguinitatis gradibus dicuntur coniuncti, sub spe habende dispensationis nostre matrimonium contrahatur; et ad hoc contra huiusmodi promissionem et iuramentum procurandum, seu saltem non impediendum, Imperialis solicitatur et requiritur Celsidudo. Nos igitur considerantes, quod si contra eadem promissionem et iuramentem idem Imperator veniret, quod absit, suo, quem zelamus, minus derogaretur honori; dicto Imperatori per alias nostras litteras paterno consilio suademus, quod contra iam dicta sua promissionem et iuramentum non veniant. Nos enim eumdem Imperatorem per dictas litteras, et Tuam Celsitudinem tenore presentium reddimus certiores, quod cum eisdem Alberto juniore et Elizabeth, ut possint licite matrimonialiter copulari, ex certis causis rationabilibus non intendimus dispensare; quinimmo Eidem Serenitati notificamus, quod III. idus Decembris proximo preteriti ex certis rationabilibus causis omnes dispensaciones per felicium secordationum Clementem VI., et Innocentium VI., et quosvis alios Romanos Pontifices, predecessores nostros, quibuscumque tam Magnatibus quam inferioribus, sub ea verborum generalitate, ut ipsi et eorum filii et nepoteo utriusque sexus matrimonium cum personis aliis, eorum nominibus non expressis, secundo vel tertio aut quarto consanguinitatis et affinitatis, vel alterius earum gradibus, aut aliquo vel aliquibus ipsorum graduum sibi attinentibus, licite contrahere possent, concessas, quarum vigore contracta matrimonia non existerent,

auctoritate Apostolica duximus revocandas. Datum Avinione VI. kalendas Marcii, Pontificatus nostri anno tercio.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

469.

Celsi Lőrincz velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1365.

Amice carissime. Litteras vestras nobis per harum reportatorem exhibitas affectione solita recepimus, et ea, que continebatur in eis, pleno colligimus intellectu. Sane super eo, quod scribitis, quasdam novitates vobis et subditis vestris contrarias fore in partibus Dalmatie suscitatas, taliter providimus respondendum: quod huiusmodi novitates de nostra non processerunt voluntate. Nam Deo teste semper fuimus et sumus dispositi ad ea omnia, que formam pacis inter nos et vos firmate concernere videantur. Ceterum quia concedente Domino negotiis nostris hic, ut speramus, feliciter expeditis, intendimus personaliter Jadram proficisci: placeat igitur vobis duos de Consilio vestro viros ydoneos ad nos destinare, cum quibus de ista materia et quibuslibet aliis occurrentibus communi nostrorum et vestrorum bono tractare latius valeamus. Nos enim mandavimus nostris officialibus, et specialiter Baldesari camerario nostro, ut interim ab omnibus novitatibus vobis nocivis debeat cessare, et se omnino continere. Date Varadini secundo die mensis Martii, anno LXV.

Kivül: Inclito domino Laurentio Celsi Duci Venetiarum amico nostro carissimo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VII. kötetéből.)

470.

Benintendo a velenczei köztársaság Cancellárjának Miklós esztergomi érsek és Konth Miklós magyarországi nádor. 1365.

Nicolaus Archiepiscopus Strigoniensis et Nicolaus Konth Palatinus ad Cancellarium Venetiarum.

Amicorum dulcissime. Postquam bulla Incliti Domini

domini Laurentii Celsi Ducis Venetiarum, et vestre littere per quosdam cursores nobis fuerunt exhibite, eas in momento domino nostro Regi, qui in partibus erat remotis, dirigere curavimus. Qui quidem dominus Rex auditis talibus novitatibus, stupore mirabatur in extasi. Qualem autem et quantam responsivam ad earum contenta vestro direxit Dominio, in eiusdem Regis litteris clarius poteritis edoceri; scituri tamen, scrupulo cujuslibet dubietatis semoto, quod dicte novitates, nec talia procedent, que pactis et compositionibus prioribus inter Vestrum Dominium et ipsum Dominum nostrum initis, firmatis, et efficacibus litteris vallatis, pretensis cavillationibus contravenire possent, et his preiudicium in earum violatione generare; imo ea, qua illicite facta et perpetrata existunt, reformanda commissit et edixit Regio sub edicto. Placeat igitur Vestre Prudentie, quod si tales rumores in vestri Communis notitiam contingant devenire, sine rei experimento aurem non apponere credibilem, neque etiam exaudibilem, cum de vita et perseverentia Domini nostri experientia habita dudum fuerit manifesta. Date Bude quinta die mensis Martii.

Kivül: Sapienti et Magne industrie domino Beneintendi Communis Venetiarum Cancellario dignissimo, amico nostro carissimo.

(A »Copia de Commermoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1. r. 208. l.)

471.

I. Lajos magyar király megerősiti a kölni és rajnai kereskedők szabadalmait. 1365.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendamus tenore presenciun significantes quibus expedit vniuersis, quod Olph Pichman et Mathias sororius eiusdem, ciues de Sancta Colonia et de Ciuitate Hoy, in suis, item Judicis, Juratorum et vniuersorum ciuium de eadem personis Nostre Serenitatis adeuntes conspectum, exhibuerunt nobis quasdam litteras nostras patentes maiori sigillo nostro in

terra Bozne furtiue sublato consignatas tenoris subsequentis, supplicantes Nostre Maiestati humiliter et devote, vt easdem de verbo ad verbum presentibus transscribi et transsumpmi, apposicioneque noui sigilli nostri pro eisdem ciuibus dignaremur facere confirmari. Quarum tenor talis est:

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik I. Lajos királynak 1344-ki okmánya, mint fentebb 50. sz. a.)

Nos igitur iustis et legittimis supplicacionibus prefatorum Olph Pichman et Mathye in suis et dictorum ciuium de Colonia personis Nostre humiliter porrectis Maiestati per eosdem fauorabiliter inclinati, pretaxatas litteras nostras de verbo ad verbum presentibus transscribi et transsumpni, apposicioneque dicti novi sigilli nostri pro eisdem fecimus confirmari. Datum Bude sabbato proximo ante octauas festi Beatorum Petri et Pauli Apostolorum anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto.

(I. Mária királynénak 1384-ki megerősítő privilegiumából Köln város levéltárában.)

472.

V. Orbán pápa és IV. Károly császár szándoka, hogy az akkor Olaszországban és Francziaországban harczoló condottieri csapatok, a törökök elleni háborúban használtassanak. 1365.

Vrbanus Episcopus etc. dilecto filio Andruino tituli Sancti Marcelli Presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, salutem etc. Per alias litteras tue circumspectioni scribimus, quod nos et carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator Semper Augustus adversus detestabiles comitivas destruentes terras Ecclesie et Imperii Romanorum fecimus unionem, et quod tu omnes dominantes in Italia ad uniendum se contra comitivas easdem pro nostra et Imperatoris prefati parte requirere non postponas Vt autem intentionem Imperatoris eiusdem tam in comitivis que sunt in Regno Francie, quam in Italia, tua prudentia non ignoret; reseramus, quod Imperator ipse nepotibus suis de Francia, videlicet carissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Fran-

cie illustri et fratribus eius per huiusmodi comitivas molestatis nimium, sicut nosti, compatiens, ac sperans quod carissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngarie illustris per suum Regnum gentibus dictarum comitivarum transitum tutum dabit; offert easdem gentes a terminis predicti Regni Francie usque ad ingressum dicti Regni Vngarie propriis expensis, quantum ad victualia pro hominibus dumtaxat, ita quod ipse gentes de eorum animalibus sibi providere habeant, conducturum; sic tamen, quod gentes ipsas ad suum conductum non recipient, donec de voluntate prefati Regis Vngarie habeantur certitudo plenaria et fidancia oportuna; pro quibus habendis transmittitur de presenti. Et prefatus Rex Francie dicitur esse in tractatu iam quasi firmato cum eisdem comitivis, quod ex toto recedant de suo Regno prefato, ad illud nullatenus reversure; solumque dicte voluntas et fidancia Regis Vngarie, vt asseretur, expectantur. Si vero idem Rex Vngarie in transitu dictarum gentium per idem suum Regnum minime consentiret; oportebit quod gentes ipse per mare ad partes ultramarinas per Venetorum et aliorum de partibus Italie navigia, quod tamen erit tardius et difficilius, conducantur, et pro expensis conductionis huiusmodi Imperator iamdictus magnifice offert medietatem omnium proventuum sui Regni Boemie obventurorum tribus annis proxime secuturis; ordinabiturque; certis cautelis adhibitis, quod eedem gentes non dampnificent terras, per quas facient iter suum. Quare tractes in dicto colloquio, ut pro parte tua et aliorum colligandorum tractetur cum Societatibus, que sunt in dicta Italia, quod ad easdem partes Turchorum per iter Vngarie, quod reputatur melius, si prefatus Rex Vngarie ad hoc consenserit, velint dirigere gressus suos: tuque dicti Regis in hac parte consensum et fidanciam pro parte nostra et omnium colligandorum celeriter ordines procurari. Alioquin de ipsarum comitivarum marino transitu procuretur. Quod si recedere nec per terram nec per mare voluerint, ad earum expugnationem per eorumdem colligandorum potentiam intendatur, attendaturque diligenter omni cautella, qua fieri poterit, ne Societas Anglicorum cum Societate Anichini faciat unionem. Quicquid

autem factum fuerit in predictis, studeas nobis sepius successivis temporibns intimare. Datum Avinione VIIII- kalendas Julii Pontificatus nostri anno tertio.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

473.

A florenczi köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1365.

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie Nobilibus et potentibus viris Regiminibus, Consilio et Communi Civitatis Florentie salutem et omne bonum. Quia Vestra liberalis Circumspectio de quodam speciali tractatn nuper inter vos habito Nostre Celsitudinis amplectendo ex intimis cordis clementiam, ymmo de dilectione et grata pertractatione antecessorum et proximorum nostrorum avide recolendo, pre cunctis nos et domum nostram habere decuerit exemptos, plurimum ex hoc Nostre Maiestati conferendo; idcirco vobis generaliter, et singulis singulariter pro premissis omnibus et quolibet premissorum assurgimus ad gratiarum multiplices actiones; offerentes nos ad similia et maiora totis viribus preparatos, ac ad omnia que vestris cedant votis placita et accepta, indubie semper et ubique Regio cum favore occurrere Domino permictente. Nec credatis titubantes a vestigiis nostrorum predecessorum ullo unquam tempore in aliquo deviare; sed profecto scientes in omnibus et per omnia pro nominis et honoris nostri exaltatione, rebus et persona prompto invenire promptiores. Petentes itaque actente, ut in proposito cepto de bono in melius vos corroboranto persistere nostri nominis contemplatione effective velitis, ut ex hoc vobis amplius reddamur ad actiones et merita gratiarum non immerito obligati. Data Bude die duodecima mensis Julii.

Rex Hungarie.

Kivül: Nobilibus et potentibus viris Regiminibus, Consilio et Communi Civitatis Florentie.

Az »Archivio delle Riformagioni dei Capitoli« XVI. kötetéből, a florenczi levéltárban.)

474.

A florenczi köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1365.

Nobilibus et potentibus viris Regiminibus, Consilio et Communi Civitatis Florentie.

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie Nobilibus et potentibus viris Regiminibus, Consilio et Communi Civitatis Florentie salutem et omne bonum. Quia vestra liberalis circumspectio de quodam speciali tractatu nuper inter vos habito Nostre Celsitudinis amplectendo ex intimis cordis clementiam, ymmo de dilectione et grata pertractione antecessorum et proximorum nostrorum avide recolendo pre cunctis nos et Domum nostram habere decuerit exemptos, plurimum ex hoc Nostre Maiestati conferendo; idcirco vobis generaliter et singulis singulariter, pro premissis omnibus et quolibet premissorum assurgimus ad gratiarum multiplices actiones, offerentes nos ad similia et maiora totis viribus preparatos, ac ad omnia que vestris cedant votis, placita et accepta, indubia semper et ubique Regio cum fauore occurrere Domino permictente. Nec credatis titubantes, a vestigiis nostrorum predecessorum ullo unquam tempore in aliquo deviare; sed profecto scientes, in omnibus et per omnia pro nominis et honoris vestri exaltatione rebus et persona prompto invenire promptiorem. Petentes itaque actente, ut in proposito cepto de bono in melius vos corroborando persitere nostri nominis contemplatione effective velitis; ut ex hoc vobis amplius et peramplius reddamur ad actiones et merita gratiarum non immerito obligati. Data Bude die duodecimo mensis Julii.

(A »Capitoli« XVI. kötetéből, Cl. XI. dist. 1. 2. sz. a., a florenczi levéltárban.)

475.

V. Orbán pápa Erzsébet István magyar herczeg hátrahagyott leányát, össze akarja házasítani Fülöp burgundi herczeggel. 1365.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Serenitatem Regiam gerentes in visceribus caritatis, illa libenti animo iugiter cogitamus et implere cupimus, que cedere valeant ad Regii Culminis honoris augmentum, ac consolationis perpetue firmitatem. Sane in Apostolice considerationis aciem deducentes, quod tu habes dilectam in Christo filiam mulierem Elizabeth neptem tuam, natam quondam Stephani fratris tui, in etate proxima nuptui, ut dicitur, constitutam, de cuius iam maritatione tractatur; ac attendentes dilectum filium Philippum de Francia Ducem Burgundie, carissimi in Christo filii Caroli Regis Francie illustris fratrem, illustrissimum genere, etate floridum, ac consanguinitate precelsorum Principum circumseptum, divitiis et potentia gloriosum, prudentia preditum, strennitate, prout adolescens sua etas patitur, iam famosum, sicque moribus ornatum Regalibus, quod cunctis se gratiosum et amabilem prebet. Per que verisimili coniectura presumimus, quod tu eum de tua clarissima prosapia genitum habebis reverentissimum et dilectissimum filium, ac extimandum fore, tantam convenientiam datam esse Divinitus, decereque admodum ac etiam expedire, quod elongata iam consanguinitas mutua per affinitatis copulam ad utriusque Regnorum, videlicet Francie et Vngarie, ingentem letitiam renovetur. Ac putantes ex hiis et aliis iustis causis eorundem Philippi et Elizabeth connubium Deo et bone voluntatis hominibus placiturum, ac esse futurum ad honorem et gloriam stabilitatemque tui solii, Regnique tui et totius Christianitatis commodum et letitiam generalem, ac per dictam tuam neptem non posse modernis temporibus congruentius et honorabilius matrimonium celebrari : Celsitudini Tue paterno consilio suademus, eamque affectuose rogamus, quatenus prefatam neptem tuam memorato Philippo velis tradere in uxorem, exinde,

prout speramus in Deo, perpetuam letitiam habiturus. Datum Avinione IV. nonis Junii Pontificatus nostri anno tertio.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

476.

Előkelő magyar csapatvezérek a Sz.-György nevü haditestben, mely a florenczi köztársaság szolgálatába lép. 1365.

In nomine Domini. Anno a Natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo quinto indictione quarta secundum consuetudinem Notariorum Mediolanensium die duodecima mensis Octubris. Ex hoc publico instrumento pateat omnibus manifeste, quod nobilis vir dominus Doffus filius condam Johannis de Bardis ciuis Florentinus, Ambaxator Magnificorum virorum dominorum Priorum Artium et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie, auctoritate et potestate ei in hac parte concessa ab ipsis dominis Prioribus et Vexillifero pro ipso Communi Florentie, prout per eorum litteras sigillatas sigillo Communis Florentie plene patet, datas Florentie anno et indictione predictis die nono dicti presentis mensis, faciens omnia et singula infrascripta vice et nomine dicti Communis ex parte vna; et Egregii nobiles et potentes viri dominus Ambrosius filius Magnifici et Excelsi Domini domini Bernabonis de Vicecomitibus de Mediolano Capitanei Generalis Societatis Sancti Georgii ad presens in partibus Tuscie militantis; et magnanimus miles dominus — — — — — — — — — Gaspar de Ubaldinis Ytalicus, dominus Aymond de Rondello, dominus Guillelmus Busonus Anglici; dominus Lucas de Valco Vngarus, Ludovicus de Spatis de Parma, Consiliarii; Vghinus Ethon Anglicus Conestabilis, Thomas Marczal Maliscalcus Anglicorum, Bartholomeus de Gagio Mariscalcus Ytalicorum, Michael — — — Mariscalcus (Vngarorum), et quilibet eorum in solidum et in totum, pro se ipsis et ipsorum propriis et priuatis nominibus, ac etiam vice et nomine tocius Sotietatis predicte, et omnium vniuersaliter et singulorum singulariter, qui sunt

seu erunt ex Societate predicta ex parte altera ; inter se nominibus quibus supra fecerunt et firmaverunt ad invicem infrascriptas conventiones et pacta ; videlicet stb. stb.

Item postea eisdem anno et indictione, die et loco coram dictis testibus et pluribus aliis probis viris Bartholomeus de Gagio suprascriptus, volens adimplere suprascriptam commissionem sibi factam, nominavit infrascriptos Caporales Sotietatis predicte debere predicta pacta et capitula, de quibus supra fit mentio, ratificare et approbare, et — — — — — — Sotietatis eiusdem, et promittere et iurare, et eorum sigilla apponere ; prout supra continetur. Quorum Caporalium nominatorum per dictum Bartholomeum nomina sunt hec ; videlicet Luchinus de la Porta de Placentia, Petrus de Sala Vngarus et Consiliarius dicte Sotietatis, Nicholaus de Sala Vngarus, Ricardus — — — — — — — — — — — — — — Michaelis Vngarus, Andreas de Sorba Vngarus, Johannes Somozola Vngarus, dominus Robertus Beucele Anglicus, et Georgius de Sala Vngarus ; qui sunt numero novem ex Caporalibus Sotietatis predicte. Qui Caporales auditis et intellectis supradictis pactis, capitulis et promissionibus — — — — — — — — — — — — suprascriptis, et promissionibus per suprascriptum dominum Doffum vice et nomine Communis Florentie ex parte una, et supradictos dominos Sernubrinum (?) Capitaneum, et dominum Johannem Accud Anglicum eorum nomine, et vice et nomine dicte Sotietatis, et omnium de Societate predicta ex parte altera ; et asserentes se et quemlibent eorum habuisse et habere plenam notitiam et — — — — — — — — — Capitaneo et domino Johanne plenarie informatos, ipsi et quilibet eorum in solidum ea omnia et singula acta, facta, gesta et promissa per dictos dominum Capitaneum et dominum Johannem, et contenta in dictis pactis, capitulis et contractu, in quolibet eorum, et omni via, modo et iure, quibus melius potuerunt — emologaverunt, et firma, grata et rata habuerunt et habent, et promiserunt et convenerunt, ac etiam juraverunt ad suprascripta Dei Evangelia, Scripturis eorum manu tactis, dicto domino Doffo et nobis Notariis infrascriptis, et cuilibet nostrum in solidum,

ut supra, stipulanti et recipienti pro suprascriptis, quod et pactis et capitulis in dicto instrumento contentes attendere, adimplere, et inviolabiliter observare, et contra ea vel aliqua eorum non facere vel venire per se vel alium, directe vel per obliquum aliqua ratione, causa vel ingenio sub supradicta pene decem milium florenorum — — — — — — — — — — — supradictis, et restitutione dampnorum et expensarum. Pro quibus omnibus observandis obligaverunt predicti Caporales suprascripto domino Doffo, et nobis Notariis infrascriptis, et cuilibet nostrum in solidum, ut supra, stipulantibus et ipsos et quemlibet eorum in solidum, et eorum et cuiusque ipsorum — bi non facte, dicte ratificationi, acceptationi et omnium predictorum, et predicti contractus non sic celebrati, et exceptioni doli mali, condiccioni sine causa et ex iusta causa, forique priuilegio, et in factum actioni, omnique alii exceptioni, defensioni et beneficio — — — — — — — — — — — — sic volentibus precepi Ego Petrobus Notarius infrascriptus, una cum subscribtis Notariis per guarentigiam prout mihi licuit, ex forma capituli Constituti Communis Florentie super quarentegia editi, quatenus predicta omnia, supra per dictum dominum Capitaneum, et dominum Jo —

(Következnek a három jegyző aláirásai és jegyei, s a felek pecsétjei; névszerint) pro domino Roberto Bentole, Bartolomei de Gagio, domini Luce, Georgii de Sala, Mathias Dalmas, Petri Montespel, Johannis de Valeo, Paulus Lanzalus, Gali de Gula, Stefani, Nicolai de Sala, Georgii de Chelit stb.

(»Atti publici, volume XXXIX., doc. 23. della secunda numerazione«, a florenczi nagy levéltárban. A 24. sz. a. okmányban 1365. october 14-étől találtatik felemlitve »Michael Salay Marescalcus Vngarorum della Compagnia ditta di S. Giorgio«.)

477.

László opelni herczeg, III. Bolko vagyis Boleszló opelni herczegnek fia, utóbb magyarországi nándor. 1365.

Wir Karel von gottes genaden Romischer Kayser, zu allen Zeiten Merer des Reichs, vnd kunig zu Behaim bekennen vnd thun kunt offentlich mit dissem brief allen den die in sehen oder horen lesen, das vns der hochgeborne Bolke Herczoge zu Slezie vnd herre zu der Schwednitz, vnser lieber schwager vnd furste genzliche vnterweist hat, wie das die Hochgeborne Elizabet Herczoginne zu Opul selicher gedechtnus, seine schwester, nicht wurde ausgericht von irem veterlichem furstenthumb als das billich were, vnd wan die furstenthumb zu der Schweidnicz vnd zu dem Jaur noch tode des obgenanten Herczogen Bolken, und Agnes seiner eelichen wirtinne an den Hochgebornen Wencelawen kunig zu Behaim, unseren sun, vnd Elizabet vnser Tochter, vnd ire erben sich verfallen sollen nach lautte der brif, die daruber geben sein. Des haben wir angesehen groze nuczliche Dinste, die vns die hochgebornen Wladislaw vnd Bolke Herczogen zu Opul, der eegenanten Elizabeten Sune, vnser lieben Schweger vnd fursten, offte vnverdroslichen gethan haben, vnd furbas thuen mugen vnd sollen in kunfftigen Zeiten; vnd meinen vnd wollen syn darumb ergeczen alles das, das ir mutter zu kurcz geschehen ist; vnd verschreiben vnd vergeben In vnd iren erben vnd nachkomen nach tode der egenanten Herczogen Bolken vnd Agnes seinek wirtinne zehen tausendt schog grosser pfennige Prager muncze; vnd seczen In zu einem pfande darfur vnsere Stette Trutennow vnd den Hoff vnd Scheczler die burg mit allen iren Zugehorungen stb. Mit vrkund dis briefs versigelt mit vnser kaiserlichen Maiestat Insigel Geben zu Prage nach Cristus geburt, dreizehnhundert vnd darnach im funff vnd sechczigsten Jar am negsten Donerstag nach Sant Gallen tag; vnser Reiche in dem zweinczigsten vnd des keiserthumbs im eilfften.

(A »Registrum Sancti Wenceslai« czimű kéziratból a prágai egyetem könyvtárában 32. sz. a.)

478.

IV. Károly császár azon esetre, ha első született fiát Venczelt Katalin I. Lajos magyar királynak ujonan született leányával eljegyeztethetné, annak a nürnbergi várgróffal már történt eljegyzésétől vissza akar lépni. 1365.

Wir Karl von Gots gnaden Romischer Keisir, ze allen Zeiten merer des Reichs vnd Kunig zu Beheim stb. das wir wollen vnd sullen nach der zeit, als diser briue gegeben ist, in vier manden vn vnsirm Geistlichem vatir, dem Pabste, briue vnd vrlaub gewynnen, daz er vns vnd dem Edlen Fridrich Burggraue ze Nuremberg, vnsern vnd des Reichs lieben getrewen, der eyde ledig sage, vnd mit vns bederseiten dispensire, die wir getan haben vmb die fruntschaft, die zwischen vnsern sun vnd seiner tochter geschehen vnd begriffen ist stb., in sulchir bescheidenheit, wer daz sache, daz die freuntschaft ze Vngern mit vnserm Sune fur sich gyenge, mit vrlaub des Pabsts in den genanten vir monden stb. Geben zu Prag nach Christs Geburt dreyczenhundert Jar vnd darnach in dem funff vnd sechczigsten Jar an des Heiligen Christus Abend stb.

(Az eredeti után, mely egykor a plassenburgi levéltárban őriztetett.)

479.

Dandolo Lénárt, a velenczei köztársaság I. Lajos magyar királyhoz küldött követének utasítása. 1366.

Nos Marcus Cornario Dei gracia Dux Venetiarum etc. Committimus tibi nobili viro Leonardo Dandulo militi, nato condam bone memorie domini Andree Dandulo predecessoris nostri, dilecto civi et fideli nostro, quod de nostro mandato vadas in nostrum Ambaxatorem solempnem ad dominum Regem Hungarie, cui facta reverentia et salutatione solita expones, quod nuper pro parte Sue Regie Maiestatis fuerunt Venetias ad nostram presentiam duo sui Ambaxatores, qui ex parte Sue Excellentie post salutationem suam, quam alacriter recepimus, novit Deus, exposuerunt, quod Sua Regia

Maiestas tamquam bene disposita ad honorem et statum nostrum, expresse dederat in mandatis omnibus terris et locis suis, quod cives et mercatores Venetiarum bene et favorabiliter tractarentur; de quo regratiamur ut plurimum Sue Maiestati, cognoscentes per effectum bonam et sinceram dispositionem suam erga nos et nostros, utendo hiis et aliis verbis, que tibi utilia videbuntur. Insuper cum Baldesar de Sorba Januensis Ambaxator Sui Culminis cum verbis amicabilibus acceperit excusationem et emendam, si ullo tempore dixisset vel movisset coram nostra presentia verba aliqua in aliquo actu non licito nec honesto, dicens, ipsam excusationem petere de mandato ipsius domini Regis; etiam de hoc regratiarum Sue Maiestati quantum plus possumus, cognoscentes, ista procedere a iustissimo Principe diligente honorem et statum nostrum. Subsequenter expones, quod Ambaxatores predicti nomine Sue Regie Maiestatis petierunt a nobis de possendo armare duas galeas usque quinque in Venetiis ad suas expensas per sex menses, dicentes, esse intentionem Sue Excellentie de eundo personaliter cum magno exercitu per terram et per mare in subsidium Imperii Romanie contra Turchos, et quod istud erat de requisitione et beneplacito domini Imperatoris Constantinopolis. Insuper dixerunt Ambaxatores sui predicti, quod intentio domini Regis predicti, examinata conditione Christianitatis, nullo modo erat de eundo ad partes Syrie et Egipti, propter dampna maxima, que sequerentur toti mundo, si mercationes et exercitium mertium deberent taliter devastari; concludentes, quod intentio Sue Regie Maiestatis erat, habere dictas galeas in mari paratas ad partes Satalie et ad Buchum ad turbandum, quod Turchi non possent descendere de partibus Grecie supra Turchiam. Quo capitulo intellecto, volentes, quod Sua Regia Maiestas clare decerneret bonam voluntatem et dispositionem nostram, disposuimus te ad eius presentiam destinare ad faciendum sibi notam placibilem oblationem nostram, que est in hunc modum: videlicet, quod pro singulari amore, quem gerimus Serenitati Sue, sumus contenti, consideratis predictis et sancto proposito suo, ac offerimus Sue Maiestati in dicto casu duas et tres usque quinque galeas armatas omnibus nostris

expensis pro tempore sex mensium requisito pro parte Sue Regie Maiestatis. Hiis vero expositis dicas domino Regi, qualiter ad presens sumus in treugua cum domino Imperatore Constantinopolis, et qualiter in Imperio habemus ius et iurisdictionem et pacta et franchisias cum dicto Imperatore; rogantes Maiestatem Suam, quatenus in omni casu honorem et iura nostra habere placeat favorabiliter reservata, sicut plene speramus de Sua Regina Maiestate. Insuper comittimus tibi, quod procures apud dominum Regem, quod per aliquod tempus abile ipse notificet nobis de voluntate sua ad factum dictarum galearum, ut possimus adimplere requisitionem Sue Regie Maiestatis. Facta vero ambaxata et oblatione predicta, cum responsione domini Regis redeas Venetias de omnibus novis plenissime informatus. Committimus insuper tibi, quod ante recessum tuum a domino Rege, quanto tibi melius videbitur, dicas ipsi domino Regi, quod occasione agendorum insule nostre Crete sumus ad presens in treugua cum domino Palacie et Teologi (?), quibus nullo modo vellemus defficere fide pro honore et bono nostro, rogantes Suam Excellentiam, quatenus in hoc teneat talem modum, quod non veniamus rumpere fidem alicui, et quod facta nostra propterea non sinistrentur, sicut speramus de sua Regia Maiestate, utendo hiis et aliis verbis, que pro bono facti tibi utilia videbuntur. Data in nostro Ducali palatio die X. Martii, quarte indictionis anno MCCCLXVI.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei levéltárban.)

480.

IV. Károly császár a felek beleegyezésével semmisnek nyilatkoztatja a Magyarország és Ausztriai közti szövetségett. 1366.

Wir Karl von Gottes Genaden Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, vnd Kunig zu Böheimb, bekennen vnd thuen kund offentlich mit diesem Brief allen den die ihn lesend oder hören lesen, dass wir mit dem gewalt, den vns der wolgeborn Uladislaus Hertzog zu Opul vnser lieber Schwager vnd Furst volkommenlich geben hat in krafft des Gewaltbrifes

den er vns von dem durchleuchtigen Fürsten vnd Herrn Ludwig Kunig zu Hungarn vnsern lieben Brudern, vnd Frauen Elisabetham, der seiner Muter, der eltern Kunigin zu Hungarn, vnter ihren anhengenden Insigeln bracht vnd gezeiget hat, mut wolbedachtem Mueth vnd mit Rath vnserer Fursten vnd Getreuen den hochgebornen Albrechten vnd Leopolden Hertzogen zu Oesterreich, zu Steyern, zu Kerndten, ihr Praelaten vnd Landherrn ihrer Fürstenthumb vnd Herrschaften, ledig, quiet vnd los gesagt vnd gelassen haben aller Aide, Gelubte vnd Buntnus, der sie sich gegen dem newen Kunig von Ungarn in den grossen Buntbrief, da. ihre vnd ihrer eegenannten Praelaten vnd Landherrn Insiegel anhangend, verbunden, verlobt vnd verschworen haben, damit sie vmb hülff ihrer Landweren mochten gemant werden, vnd mit namen der Gelübd vnd Aide, die sie vnd seeliger Gedächtnus Hertzog Rudolph ihr Bruder dem ehegenanten Kunig von Hungarn vmb den Heirath vnd Fruntschafft zwischen den Hochgeboren Elisabet wyland Hertzog Stephan seines Bruders Tochter vnd Hertzog Albrecht dem vorgenanten gethan hetten, vnd wollen vnd sprechen in Krafft desselben Gewalts dass derselb Bundts Brief vnd alle solche Gelübde, Bündnus vnd Aide, die darin geschrieben stehen, todt, vertilgt, vnkräfftig vnd vnnutz sein sollen, vnd kain krafft haben ewiglich; mit Vrkundt diess Briefs versiegelt mit vnserem Kaiserlichen Maiestat Insiegel. Geben zu Prag nach Christi Geburth MCCCLXVI. an dem Freytag nach Laetare in der Fasten, vnsers Reichs im zwanzigsten, vnd des Kaysertbumbs im eilfften.

(Eredetie a bécsi cs. titkos levéltárban. V. ö. Fejér Cod Dipl. IX. köt. 3. r. 547. l. és IX. köt. 7. r. 234. sk. ll.)

481.

A velenczei köztársaságnak Tvartko boszniai bán. 1366.

Banus Bosnie ad Ducale Dominium.

Reverendissima salutatione, laudabilique recomendatione premissis, noverit Vestra Honorabilis Magnificentia, nos Vestre Magnitudinis literas credentiales in corda canaparii

sigillo plumbato roboratas, per honorabilem virum Magistrum Anastaxium Vestre Magnificentie Notarium nobis reverenter directas, omni quo debet honore plenariaque cordis jocunditate uti tenemur recepisse. Sub quarum literarum credentia ipsius Magistri Anastaxii dicta et per ipsum vestras honorabiles relationes seu legationes perfecte percepimus, ad quarum tenorem vestre laudabili amicitie seriatim taliter duximus respondendum : Quod nos omni loco et tempore oportunis ad omnia vestra jura, justitias et equitates sicuti promisimus, ita tenemur, et toto cordis affectu, labori non parcendo, thesaurum exponendo, imo si necesse fuerit usque ad mortem corpori non parcendo, vestra jura, justitias, ut premittitur, adimplere conamur et volumus plene et integre. Porro de vestra injuria propter falsariam monetam, et iniquam actionem per homines nostrorum nobilium vobis illata, multum agravamur, et Deo celi teste dicimus, sicut nos proprie in personis contristamur. Cum enim ipsi nobiles nostri Regni sint primo Deo et nobis aliqualiter infideles, et nosque miserabiliter de nostro Regno una cum nostra genitrice pepulerant, et totaliter ejecerant; nosque per misericordiam omnipotentis Dei et gratiam incliti Principis domini Lodovici Dei gratia Regis Hungarie, justitia nostra et fidelitate requirente, simus iterum in nostrum Regnum aliqualiter recepti, licet non in toto; non valentes ita subito ipsos nobiles, pro nostra et etiam pro vestra injuria, punire et incarcerare. Igitur Vestram Reverendissimam Magnificentiam presens postulamus valde, dignanter et diligenter, quod quousque simus stabiliti, et in nostro Regno bene confirmati, nostram voluntatem bonam perfecte reputare vellitis. Nos itaque Deo permittente de omni vestra injuria parvo tempore expectato omnimodam justitiam faciemus; plene et integre sperantes a Vestra Magnificentia in centuplo similia seu maiora nobis affuisse. Scripta in Bosina, dominica Ramispalmarum, anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimo sexto.

Tuertco Dei gratia, et domini nostri Ludovici Regis Banus Bosne, ac domina Helena genitrix ipsius carissima, vestri intimi amici.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államk. VII. k. 1 r. 245. l.)

482.

V. Orbán pápa I. Lajos magyar királyt a törökök elleni háborura buzditja. 1366.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Celestis Regis tenentis in excelsis imperium vices, licet immeriti, gerentes in Ecclesia Militante, fidem Chatolicam, extra quam salus animarum non proueuit, tenemur custodire summopere ac diffusius propagare, fideles quoque in unitate Ecclesie persistentes pro posse protegere, ipsorumque expugnatores profugare pro viribus, et ad hoc efficiendum fideles ipsos spiritualibus donis et gratiis invitare, ut tenebrosa infidelitatis obscenitas cedat eiusdem fidei claritati, sicque impiorum temeritas presumens molestare ac dissipare Dei populum, reprimatur, quod cultores Trinitatis ab infidelium hostilitate securi liberius valeant Altissimo famulari. Sane in publicam notionem omnium pene Christri fidelium, presertim orientalium noscitur devenisse, quod impiorum Turcorum, sevissimorum hostium Christiani nominis, rabies in ipsos fideles in eadem vnitate dicte Ecclesie persistentes impugnantium retroactis temporibus sic excreuit, sic feritatem sui furoris armauit, quod eorum viribus, quas fortiores fecit sua crudelitas, conglobatis nonnullas insulas, ciuitates, castra, villas, casalia et loca eorum fidelium presumptuosis conatibns occuparunt, et nonnulla ex eis detinent occupata, alia vero cremarunt incendio, seu alia crudeliter destruxerunt, eorum incolis utriusque sexus, professoribus sacratissime fidei, aliis inhumaniter ferro peremptis, aliis fugatis, et aliis in miseriam infelicissime captiuitatis abductis, et ascriptis tam abhominabilis nationis perpetue servituti, depopulatisque nonnullis insulis aliisque terris de partibus ultramarinis, in quibus iidem fideles degebant, sic eorum semper ascendit superbia, sic ausus detestabiles non invenientes validum obicem augmentantur assidue; quod a certis citra temporibus Regnum Cipri, quod colitur a fidelibus prelibatis, ingredi et predari temptarunt, nonnullos utriusque sexus exinde christicolas abspor-

tantes, et quasi licenter et intrepide cursitantes per maria, nonnullis remotorum ab eis fidelium finibus apropinquant, suam extollentes dampnandam audaciam, et cultorum Christi nomen et gloriam deprimentes, in gravissimam nostri redemptoris iniuriam ac inextimabile dampnum, nisi talibus obsistatur, conatibus, in magnum periculum populi Christiani. Que omnia tu acceptissimus Deo Princeps, quem Deus igne devotionis accendit, illustrauit victoriis, et potentia roborauit, pie considerans, ac in tanta miseria et periculo constitutis caritatiua tua humanitate compatiens, spiritu consilii et fortitudinis inductus, et etiam confortatus, sicut per venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem Ambaxatorem tuum, propter hec specialiter ad Sedem Apostolicam destinatum, nobis significare curasti, ad ulciscendum tot et tantas dicti redemptoris iniurias, ac subveniendum eisdem fidelibus, qui persecutiones et impugnationes dictorum Turcorum iugiter perferunt, et eorum persumptuosa molimina reprimendum et exterminandum, ac eos, si cum Dei auxilio poteris, disposuisti cum beneplacito et licentia dicte Sedis pro illo, qui pro te dignatus est mori, te tradere periculis et labori, ac largitam tibi a Deo potentiam, in obsequium exponere largitoris, cum grandi miltitudine tuorum subditorum et nonnullorum aliorum fidelium contra Turcos eosdem magnifice processurus; nobisque humiliter supplicasti, ut tibi assumendi cum forti brachio huiusmodi negotium, et illud, prout devotioni tue ministrabit Altissimus, prosequendi licentiam, ac omnibus et singulis Christi fidelibus, qui tecum, vel Ducibus seu Capitaneis a te contra prefatos Turcos, qui eosdem fideles in eadem vnitate dicte Ecclesie persistentes, ut prefertur, impugnant, mittendis devote accesserint, ut in huiusmodi bello dominico eo promptiores reddantur, quo maiori gracia se prospexerint premiandos, illam plenam indulgentiam, que per dictam Sedem dari solet transfretantibus, in terre sancte subsidium concedere dignaremur. Nos igitur letati ab intimis de tua devotione et magnaminitate tam grandi, ac huiusmodi tuum sanctum propositum Apostolicis coadiuuare fauoribus intendentes, tuis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio dictam licentiam

auctoritate Apostolica tenore presentium elargimur; indulgentiam vero prefatam concessimus, prout in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nulli igitur etc. Datum Avinione kalendis Julii Pontificatus nostri anno quarto.

(V. Orbán pápa regestáiból,)

483.

A velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1366.

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie.

Amice charissime. Super eo, quod nobis contra Turchas per litteras vestras, quas grata affectione recepimus, duas, tres, usque quinque galeas vestris expensis armatas pro tempore sex mensium promittitis, et libere offertis, amicitie vestre multiplices gratiarum referimus actiones; eandem scire desiderantes, quod de tempore, quo galeas ipsas habere debebimus, et de loco, ad quem ire debeant, volumus vos per litteras vel nuntios debito tempore reddere certiores. Date sub castro Gurgeu in terra Siculorum nostrorum die vigesimo mensis Junii anno LXVI.

Kívül : Inclito domino Marco Cornario Duci Venetiarum amico nostro charissimo.

Nota, quod prefatus dominus Rex similes et eiusdem tenoris litterras destinavit Ducali Dominio. Date in Lippa die XXIIII. mensis Julii, anno LXVI.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1. r. 246. l.)

484.

I. Lajos magyar király és Palaeologus János byzanczi császár a nyugati és keleti egyházak egyesülésének ügyében. 1366.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Super negotii reconciliationis Grecorum, quod assumpsit Tua Devotio promovendum, hiis diebus Regie Serenitati rescripsimus per venerabi-

lem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Nitriensem Ambaxatorem tuum super hoc ad Sedem Apostolicam destinatum. Vt autem prefatum negotium utique arduum eo efficacius prosequaris, quo per circumspectionem Apostolice Sedis fueris magis instructus, dilectos filios Magistrum Guillelmum Noeleti Cantorem Ecclesie Baiocensis Vtriusque Juris Doctorem, Capellanum nostrum et Sacri nostri Palatii Causarum Auditorem, ac Rodulphum de Ciuitate Castelli Ordinis Heremitarum Sancti Augustini et Sacre Pagine Professorem, viros prudentes, zelum dicte reconciliationis habentes, per quos oportunas informationes Celsitudini Tue mittimus, per quas cautius, et dante Deo fructuosius prosequi poteris prelibatum negotium, ad tuam presentiam destinamus, eisque mandavimus, quod si de tua voluntate processerit, ad Magnificum Principem Johannem Imperatorem Grecorum illustrem accedant, negotium ipsum, prout ipsis iniunximus et tibi referent, promoturi. Quibus super hiis, que de dicto negotio tibi pro parte nostra referent, velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione X. kalendas Augusti Pontificatus nostri anno quarto.

(V. Orbán pápa regestáiból. V. ö. Fejér Cod. Dipl. IX. köt. 3. r. 592. sk ll.)

485.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1366.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Amici carissimi. Quamvis alias nobis contra Turchos duas, tres usque quinque galeas armatas omnibus vestris expensis pro tempore sex mensium obtuleritis, de qua quidem etiam oblatione vobis nunc, sicut prius fecimus, multiplices referimus gratiarum actiones; tamen nos considerantes labores et expensas, onera, que cottidie suffertis, et etiam attendentes pacta, que cum Turchis Palatie et Theologi (?) habetis, nolumus vos in tantis expensis aggravari, nec quicquam contra ipsa pacta operari, sed amiciciam vestram attento studio deprecamur, quatenus nobis quinque corpora galearum cum suis ar-

maturis, remis et aliis attinenciis concedatis, quibus nos ad expensas nostras de gente providebimus opportuna, sinceram nobis in hoc amiciciam et gratam complacenciam facientes; et quicquid super hiis fideles nostri familiares dilecti Lucanus de Grimaldis et Petrus de Medio pesencium exhibitores dixerint nomine nostro, hoc indubie credere velitis. Datum Bude die XX. Septembris, anno LXVI.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1. r. 250. lev.)

486.

Cornaro Mark velenczei dogenek I, Lajos magyar király. 1366.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Amice carissime! Discretus vir Bartolomeus Ursio Notarius et Nuntius vester fidelis harum reportitor vestram benivolam intentionem, quam habere vos offertis, prout alias amicabiliter obtulistis in dandis nobis certis galeis, provide et sagaciter parte vestri reseravit; de qua indubie presumentes, grates amicicie vestre referimus copiosas, offerentes nos amicicie vestre benivolos in quibuslibet vobis gratis viceversa. Preterea super facto ipsarum galearum fidelem nostrum dilectum familiarem Magistrum Petrum Ligerii de Medio civem Zagrabiensem ad vos decrevimus destinandum, rogantes sincere super ipso facto per eundem Magistrum Petrum nobis responderi. Data in Werthus loco nostre venationis sub annulo nostro secreto VI. die mensis Decembris.

Kivül : Inclito domino Marco Cornario Duci Venetiarum amico nostro carissimo. (1366. dec. 6.)

(A »Copia de Commemoralia« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1. r. 255. l.)

487.

Cornaro Mark velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1366.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Amice carissime! Sicut per alias litteras nostras per discretum Bartholomeum Notarium et Nuncium vestrum vobis directas, sic et per presentes de benivolentia, quam in dandis nobis certis galeis ex informatione nobilis viri Luchiani de Grimaldis, et Magistri Petri de Medio civis Zagrabiensis fidelis nostri familiaris et dilecti, nostrorum Nuntiorum, ac etiam ex serie litterarum vestrarum nobis per eosdem Nuntios apportatarum habere vos cognovimus, multiplices amicicie vestre redimus gratiarum actiones, offerimusque nos proinde vobis favorabiles ad quelibet vobis grata; desiderantes attente, quatenus super facto dictarum galearum per eundem Magistrum Petrum, quem ad vos super eodem facto informatum remittimus, velitis nobis respondere. Data in Werthus loco nostre venationis sub annulo nostro secreto VI. die mensis Decembris.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII köt. 1. r. 255. l.)

488.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar király. 1366.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Cum nos fidelem nostrum dilectum familiarem Magistrum Petrum Ligerii civem Zagrabiensem harum videlicet ostensorem ad vos transmiserimus de nostra intentione plenaliter informatum, Vestram Amiciciam attente rogamus, quatenus eidem nostro familiari in his omnibus, que ipse vobis pro parte nostra dixerit sub confidentia presentium, fidem adhibere velitis creditivam. Data Werthus loco nostre venationis VII. die mensis Decembris sub annulo nostro secreto.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1. r. 255. l.)

489.

Örmények mint Lemberg galiciai városoknak lakosai. 1367.

Nos Casimirus stb. Notum facimus, quod ob probitatem vite domini Gregorii Episcopi Armenorum, et legalitatis industriam, quibus apud nos fide dignorum testimonio commendatur, eidem domino Gregorio in nostra ciuitate Lemburga residentiam personalem faciendi, in suo jure et fide permanendi, et ipsis utendi modo et consuetudine Armenorum, damus et concedimus omnimodam facultatem stb. Datum in Lemburga in vigilia Beate Agnetis anno Domini MCCCLXVII.

(IV. Ulászló lengyel királynak átiratából, Lengyelország egykori országos levéltárában.)

490.

Carrarai Ferencz paduai fejedelem Segniába segédhadakot küld I. Lajos magyar királynak. 1367.

Anno MCCCLXVII. die IX. Februarii. Capta: Quia dominus Padue per suum Nuncium nobis fecit exponi, quod ad requisitionem domini Regis Hungarie proponit sibi mittere pedites CCC per viam Segnie, rogans, ut possint transire cum navigiis nostris usque Segniam; vadit pars, quod respondeatur ei, quod dispositi ad sibi grata, contenti sumus ei complacere libere, ut transire possint per aquas nostras et naulizare de nostris navigiis usque Segniam occasione predicta ad suas expensas.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXII. köt. 19. l.)

491.

III. Kazimír lengyel király Magyarország és Galiczia felé országának határvidékeit népesiti. 1367.

Vrbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi salutem etc. Pia Principum vota stb. Cum ita-

que, sicut exhibita nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie illustris petitio continebat, prefatus Rex per diligentiam suam plures siluas, nemora et loca Merice nuncipata Cracouiensis et Gneznensis Diocesium versus metas Russie et Vngarie consistentes, in quibus fere bestie seviebant, ad culturam redegerit, et in eis castra, villas et oppida construxerit et edificari feverit, itaque nova terra in magna distantia accrevit Regno suo. stb. Datum Avinione V. idus Martii Pontificatus nostri anno quinto.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

492.

Cornaro Mark velenczei dogenek I. Lajos magyar király. 1367.

Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie.

Amice carissime. Super eo, quod nobis duo corpora galearum cum suis corredis et opportunis armis per litteras vestras liberaliter obtulistis, amicitie vestre ad multiplices assurgimus gratiarum actiones, eandem scire desiderantes, quod ipsa galearum corpora debent esse longa pariter et lata, pro quibus etiam armandis et conducendis Nuntios nostros ad vestri presentiam, cum de ipsis indigemus, transmittemus. Date Wisegradi die quinto mensis Martii, anno LXVII.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 1 r. 261. l.

493.

A velenczei köztársaságnak a pénzforgalmat és pénzváltást tárgyazó rendelete. 1367.

Anno MCCCLXVII. die XXII. Novembris. C a p t u m : Quod pro expeditione et bono omnium mercatorum tam Theuthonicorum, Raguxeorum, quam aliorum vendentium suum argentum ad incantum, ordinetur, quod de cetero omnes, qui emerint argentum affinatum et non affinatum, teneantur et debeant facere ponderari illud argentum illa die, qua

ipsum emerint, vel alia sequenti immediate, usque ad vesperas sub pena solidorum II pro libra, et dictum argentum sic ponderatum non accipere vel movere de super bancho officialium argenti, donec facta fuerit solutio intregra dicti argenti in pecunia numerata. stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXII. köt. 180. l.)

494.

I. Lajos magyar királynak meghatalmazványa Vilmos pécsi püspök számára, hogy a bajor herczegekkel szövetséget köthessen. 1367.

Ludovicus Dei gracia Rex Hungarie notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos de circumspectionis, fidei et constantis virtutis industria fidelis nostri deuoti venerabilis in Christo patris domini Wilhelmi Episcopi Quinqueecclesiensis, Capelle nostre Comitis et Secretarii nostri Cancellarii, et Consiliarij presumpcionem indubiam fiducialiter obtinentes, ipsum ad Serenissimos Principes Dominos Stephanum seniorem, Adolphum et Albertum, nec non Stephanum et Fridericum filios supradicti Stephani, Palatinos Reni, et Duces Bawarie, auunculos nostros carissimos super certis sibi commissis negocijs duximus transmittendum; largientes eidem vigore presentium plenam et omnimodam inter iam dictos auunculos nostros et nos super eisdem negocijs tractandi et concludendi potestatem, et generaliter omnia et singula faciendi, que circa ipsa negocia fuerint necessaria, vel quomodolibet oportuna; ratum, gratum et firmum habituri, quidquid in his, nec non in dependenciis ab eis, seu connexis cum eisdem, per dictum Wilhelmum Episcopum tractatum fuerit seu conclusum; harum sub secreto nostro sigillo testimonio litterarum. Datum Bude die vicesimo septimo mensis Octobris anno Domini millesimo CCC. sexagesimo septimo.

(Régi kézirati codexből a bajor kir. müncheni országos levéltárban.)

495.

I. Lajos királg és több anjoui herczeg, s a bajor herczegek közti szövetség, Lajos király részéről. 1367.

Nos Ludouicus Dei gracia Rex Vngarie etc. recognoscimus pro nobis, tenoreque presencium pro Serenissimo Principe domino Phylippo Romanie Imperatore et Karolo Duce Duracie patruis nostris carissimis publice profitemur: Considerantes diligentissime, qualiter ob innate dileccionis amiciciam Magnifici Principes ac Domini Stephanus senior ac Albertus fratres, presertim Stephanus pro se suisque filiis Stephano iuniore, Friderico et Johanne fratribus; ac Albertus pro semet ipso, Comites Reni Palatini ac Bauarie Duces auunculi nostri carissimi fauoribus caritatiuis continue nos respiciunt et prosecuntur, nosque viceversa eosdem; hec nos amonent et inducunt, quod nos ligauimus et iniuimus vniones, atque ligas cum eisdem iniuimus in modum subnotatum: Primo si qui forent homines quocunque censeantur nomine, Regnis et Coronis, Dominiis, terris, hominibus ac terrarum nostrarum terminis vel confiniis contigui, confines vel vicini, memoratis auunculis nostris, ipsorum Ducatibus, bonis, hominibus siue subditis communiter vel diuisim, modis seu viis quibuscunque dampna, perturbaciones, molestias ingerentes facientes, seu ingeri fieri vel ordinari procurantes, talibus inuasoribus et vnicuique, scilicet in quantum eosdem, eorundem bona homines atque subditos apprehendere, arripere, nec non cogere possimus, resistere debemus, dictorum auunculorum nostrorum bona, homines atque subditos, et eorundem bona tanquam nos atque nostra propria totis nostris viribus et potencijs, quibus possumus seu valemus, tociens quociens oportuum fuerit, nobisque de huiusmodi notorie constiterit, dolo et fraude penitus excluso, tueri et defendere tenemur et debemus, Huc eciam apposito, vt si eosdem Principes, Bawarie Duces, cum Magnificis Principibus Austrie Ducibus occasione quacunque contingeret litigare, quod nos Ludouicus Rex Hungarie totis nostris viribus et potentiis contra tales Austrie Duces, eorum homines, terras, auxilia-

tores, complices, subditos et fautores Regno et Corone Hungarie, seu nostris dominiis et confiniis contiguatos confines vel vicinos ipsos Duces Bawarie et eorum subditos teneamur et debeamus defendere et fideliter adiuuare, terris eciam et ciuitatibus, municionibus et castris seu hominibus subtus seu inferius in descensu fluminis, quod wlgariter Ens nuncupatur, in stadio seulittore tali, prout ciuitas Wienna existit situata, per nos et dictos auunculos nostros Bawarie Duces communiter vel diuisim in huiusmodi litigiis devictis et subiugatis, nobis Ludouico Regi Hungarie et nostris heredibus in toto cedent et remanebunt; terris autem et ciuitatibus, municionibus seu hominibus supra seu superius in ascensu fluminis predicti Ens wlgariter nuncupati in stadio seu littore tali prout Ciuitas Pazzawe existit situata, vel in Ducatu Carinthye, vel in Comitatu Tirolis, vel alias in talibus terminis seu confiniis per nos et dictos auunculos nostros Bawarie Duces communiter vel diuisim in huiusmodi litigijs deuictis et subiugatis, Ducibus Bawarie prelibatis et eorum heredibus in toto cedent et simpliciter remanebunt; omnibus contradiccionibus in premissis semotis penitus et exclusis. Nec tamen eisdem Principibus Austrie Ducibus, vel cum quibusuis aliis hominibus vel altero, cum quibus, ut prefertur, litigium contingeret, nos inire pacis seu concordie seu queuis alia treugarum vel pacti federa vllo vnquam tempore servabimus absque dictorum Ducum Bawarie scitu, consilio pariter et assensu; sic et iidem Duces Bawarie hec eadem nobis seruabunt atque facient viceversa. Recognoscimus eciam, quod cum nullo homine in mundo viuente nullam vnquam ligam, communionem seu confederacionem, que contra dictos auunculos nostros carissimos Bawarie Duces fore seu fieri possent temporibus vite nostre, firmabimus nec iniemus sine eorum scitu, consilio pariter et assensu. In casu autem, vbi nos absque eorum scitu consilio vel assensu aliquam ligam, vnionem vel confederacionem cum quouis homine firmare contingeret, in illa procul dubio memoratos dominos et auunculos nostros, (dum) ligas vel vniones faciamus quouis modo vel ineamus, modis omnibus excipiemus. Vniuersa prescripta, vt narrantur, promittimus, spondemus, et assumimus sub debito prefati juramenti domi

nis prefatis auunculis nostris Bawarie Ducibus rata et firma tenere firmiter et inconuulsa; nichilominus tamen Serenissimos Principes et Dominos Casmyrum Polonie Regem, et Rupertum seniorem Comitem Reni Palatinum et Ducem Bawarie, Sacri Romani Imperii Archidapiferum, auunculos nostros dilectissimos excipimus singulis in premissis, dolo et fraude exclusis penitus in eisdem. In testimonium premissorum omnium nos Ludouicus Rex Hungarie pro nobis et prefatis patruis nostris, dictis auunculis nostris Bawarie Ducibus has litteras appensione sigilli nostri maioris damus de super sigillatas. Datnm Ouen crastino Omnium Sanctorum anno Domini millesimo CCC. sexagesimo septimo.

(Régi kézirati codexből a bajor királyi müncheni levéltárban.)

496.

I. Lajos magyar király segédhadakat küld Olaszhonba V. Orbán pápának. 1368.

Anno MCCCLXVII. die primo Januarii. Capta Quod pro complacendo domino Regi Hungarie hoc curialiter requirenti per litteras destinatas Luce de Medio, fiant littere patentes, per quas gentes sue, quas mittit ad Sanctissimum dominum Papam, possint transire per Districtus nostros Tervisane et Cenete. Et insuper possit mittere per Districtus nostros tam per terram quam per aquam omnem pecunie quantitatem, ipsamque deponere in Veneciis ad beneplacitum suum. Scribendo Rectoribus nostris, quod dictam gentem eundo sine lesione nostrorum transire permittant extra fortilicias, receptando eos curialiter, et faciendo sibi provideri de victualibus pro pecunia sua, habendo de locis sibi commissis bonam custodiam atque curam.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXII. köt. 204. lev.)

497.

I. Lajos magyar király és több Anjoui herczeg s a bojor herczegek közti szövetség, névsz. ez utóbbiak ellennyilatkozata. 1368.

Nos Stephanus Senior et Albertus Dei gracia Comites Reni Palatini Ducesque Bawarie recognoscimus tenore presencium et publice profitemur, presertim nos Stephanus Senior pro nobis ac Magnificis Principibus Stephano juniore, Friderico et Johanne fratribus, filiis nostris carissimis; et nos Albertus pro nobismet ipso; considerantes diligentissime, qualiter ob innate dileccionis amiciciam Serenissimi Principis et Domini Ludouicus Rex Hungarie, Philippus Imperator Romanie, ac Karolus Dux Duracie, Domini et auunculi nostri carissimi, fauoribus caritatiuis continue nos respiciunt et prosecuntur, nos vice versa eosdem hec nos amonent et inducunt, vt nos ligauimus et iniuimus vniones, atque ligas cum iisdem iniuimus in modum subnotatum. Primo si qui forent homines, quocunque censeantur nomine, Ducatibus, Dominiis, terris, hominibus aut terrarum nostrarum terminis vel confiniis contigui, confines vel vicini, memoratis dominis et auunculis nostris, eorundem Regnis, Coronis seu Ducatibus, bonis, hominibus seu subditis, communiter vel diuisim modis seu viis quibuscunque dampna, perturbaciones seu molestias ingerentes, facientes, seu ingeri, fieri vel ordinari procurantes; talibus inuasoribus et vnicuique scilicet, et in quantum eosdem et eorundem bona, homines atque subditos apprehendere, arripere, nec non cogere possumus, resistere debemus; dictorum auunculorum bona, homines atque subditos, et eorundem bona, tanquam nos atque nostra propria totis nostris viribus atque potenciis, quibus possumus seu valemus, tociens quociens oportunum fuerit, nobisque de huiusmodi factis notorie constiterit, dolo et fraude penitus exclusis, tueri et defendere tenemur et debemus. Hoc eciam apposito. vt si nos cum Magnificis Principibus Austrie Ducibus occasione quacunque contingeret litigare; quod memoratus auunculus noster dominus Ludouicus Rex Hungarie totis

suis viribus et potencijs contra tales Austrie Duces, eorumque homines, terras, auxiliatores, complices, subditos et fautores, Regno et Corone Hungarie, seu ipsius dominio et confiniis contiguatos, confines vel vicinos, nos, ét nostros subditos, seruitores, auxiliatores et fautores tenentur atque debent defendere ac fideliter adiuuare. Terris eciam ciuitatibus, municionibus et castris seu hominibus subtus seu inferius in descensu fluminis quod wlgariter Ens nuncupatur, in stadio seu littore tali prout Ciuitas Wienna existit situata, per nos et auunculum nostrum memoratum Regem Hungarie communiter vel diuisim in huiusmodi litigiis deuictis et subiugatis, ipsi domino Ludouico Regi Hungarie et suis heredibus in toto cedent et simpliciter remanebunt: terris autem et ciuitatibus, municionibus, castris seu hominibus supra seu superius in ascensu fluminis predicti wlgariter Ens nuncupati in stadio seu littore tali, prout Ciuitas Pazzawe existit situata, vel in Ducatu Carinthie, vel in Comitatu Tirolis, vel alias in talibus terminis seu confiniis, per nos vel auunculum nostrum Regem Hungarie communitér vel diuisim in talibus litigiis deuictis et subiugatis, nobis Ducibus Bawarie prelibatis et nostris heredibus in toto cedent et simpliciter remanebunt; omnibus contradiccionibus in premissis semotis penitus et exclusis. Nec cum eisdem Principibus Austrie Ducibus, vel cum quibuslibet aliis hominibus, vel eorum altero, cum quibus, ut prefertur, litigium contingeret nos inire, pacis vel concordie, seu queuis alia treugarum vel pacti federa vllo vnquam tempore seruabimus, absque dicti auunculi nostri domini Ludouici Regis Hungarie scitu, consilio pariter et assensu; sic et ipse nobis hec eadem seruabit ac faciet viceversa. Recognoscimus eciam quod cum nullo homine in mundo viuente nullam vnquam ligam, vnionem seu confederacionem, que contra predictos Dominos et auunculos nostros carissimos fore seu fieri possent, temporibus vite nostre firmabimus, nec iniemus, sine eorum scitu, consilio pariter et assensu. In casu autem, vbi nos absque eorum scitu, consilio et assensu aliquam ligam, unionem seu confederacionem cum quouis homine firmare contingeret; in illa procul dubio memoratos Dominos et auunculos nostros,

ne contra eosdem ligas vel vniones faciamus quouis modo vel ineamus, modis omnibus excipiemus. Vniuersa prescripta, vt narrantur, promittimus, spondemus et assumimus sub debito prestiti juramenti, et sine terminis doli et fraudis admixtione, dictis Dominis et auunculis nostris carissimis rata et firmata tenere firmiter et inconuulsa. Nichilominus tamen Serenissimum Principem dominum nostrum Karolum, Romanorum Imperatorem Semper Augustum, vniversosque et singulos Magnificos Principes, fratres et patruos nostros Bawarie Duces, et Rupertum seniorem Bawarie Ducem patruum nostrum carissimum pesertim excipimus singulis in premissis, dolo et fraude exclusis penitus in eisdem. In testimonium premissorum omnium Nos Stephanus Senior pro nobis et filijs nostris prelibatis, et Nos Albertus pro nobismet ipso, Bawarie Duces dictis Dominis et auunculis nostris has litteras appensione sigillorum nostrorum maiorum damus desuper sigillatas. Datum Monaci sexta feria post Purificacionem Gloriose Virginis Marie anno Domini M.CCC. sexagesimo octauo.

(Régi kézirati codexből, a bajor királyi müncheni levéltárban.)

498.

A raguzaiak viszonyainak szabályozása Velenczében 1368.

Anno MCCCLXVIII. die XIII. Maii. Capta: Cum homines et Communitas Ragusii facti fuerint cives Veneti, per gratiam alias eis factam, cum conditione, quod teneantur ad observationem omnium ordinum Veneciarum, prout alii nostri cives, quod quidem minime faciunt nec facere volunt, sed cotidie multa contrabanna committunt in non modicum detrimentum terre nostre; et pridie scriptum fuerit eis, quod disponerent se ad observationem dictorum ordinum, secundum quod in gratia sibi facta plenius continetur, aliter dicta gratia cessaretur. Super quibus nuper per suas litteras Dominationi rescripseruut, quod si debent dictis ordinibus subiacere, specificare velit Ducale Dominium dictos ordines, ut habito suo Consilio, valeant debitam facere responsionem

etc. Et cum ordines Veneciarum proclamentnr singulis annis in festo Sancti Michaelis in locis solitis per officium Provisorum Communis, ut omnibus sint noti; nec conveniens aut decens esset, ipsos nostros ordines, qui multi et varii sunt, in scriptis mittere ipsis Raguseis; vadit pars, secundum consilium Provisorum Communis, quod scribatur dicte Communitati et hominibus de Ragusio, quod usque per totum mensem Augusti proxime debeant misisse Venecias acceptum illam informationem nostrorum ordinum, quam habere volent ad quorum observationem debeant se obligare, sicut tenentur per formam gratie sibi facte, cum in hoc nulla novitas fiat eis, aliter dicta gracia annulletur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXII. kötetéből.)

499.

A florenczi kormánynak I. Lajos magyar király. 1358.

Lodouicus Dei gracia Rex Ungarie.

Vestram dilectionem diligenter rogamus, quatenus Johannem Cambio de Florentia ad hoc compellere velitis nostre petitionis et justitie intuitu, ut ipse Johannes illud, quod debet pro quadam coca, que inter eum et fidelem nostrum Marinum de Goize de Ragusio fuit communis, et per dictum Johannem vendita extitit in Famagusta, eidem Marino reddat et persolvat absque mora ulteriori, ne idem Marinus occasione huius laboribus et expensis amplioribus agravetur. In hoc enim nobis gratam complacentiam ostendetis. Datnm Zoli die XIII. Julii anno LXVIII.

Kivül: Nobilibus et sapientibus viris Regimini et Communi Florentie Nobis specialiter dilectis.

(Az »Archivio delle Riformagioni Cl. XI. dist. I. Capituli XVI.« kötetéből a florenczi levéltárban.)

500.

I. Lajos magyar királynak a regensburgi kereskedők szabadalmait megerősitő privilegiuma. 1369.

Lodovicus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Argeli Dominus omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris, salutem in omnium saluatore. Sicut ad Regiam pertinet Excellenciam vnicuique pro meritis condigna largiri beneficia premiorum: sic per ipsum rite prestita et disposita muniminis sui fulcimento solent roborari, vt ea inconcussa et salua semper permaneant, que excelsi Principes suis temporibus statuerunt. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod prouidi et honesti viri Nicolaus Spicer et Wrricus Kankaphar dicti, ciues et mercatores de Ratispona in suis, nec non vniuersorum proximorum et aliorum quorumlibet mercatorum Ratisponensium personis Nostre Serenitatis adeuntes conspectum, exhibuerunt nobis quoddam priuilegium nostrum Regium, priori et duplici sigillo nostro in terra nostra Vzure casualiter deperdito consignatum super moderamine solucionis tributorum ab ipsis in Regno nostro exigendorum confectum et emanatum tenoris subsequentis, fflagitantes Nostram Excellenciam prece humili et deuota, ut ipsum acceptare, approbare, ratificare, et pro ipsis ac ceteris mercatoribus dicte Ciuitatis nostro nouo sigillo dignaremur priuilegialiter confirmare. Cuius quidem priuilegii tenor talis est:

Lodouicus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris presentium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Si quibuslibet Regiam implorantibus clementiam Regium fauorem debemus beniuolum impertiri; illis tamen propensiori deuocione conuenit Celsitudinem prouidere, per quos commoditas Regni et vtilitas reipublice iugiter procuratur. Nam vt Calsi-

tudo Regia illorum negociis inuigilet, pietas suadet, racio postulat et ius requirit; cum et aliis opus pietatis debeat exhibere. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod Albertus Tauher mercator de Ratispona in sua nec non vniuersorum poximorum et aliorum mercatorum Ratisponensium personis ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis litteras patentes Judicis, Juratorum et vniuersorum ciuium Brunensium transscribentes tenorem litterarum patencium quondam Excellentissimi et Magnifici Principis domini Karoli olim Incliti Regis Hungarie illustris, patris nostri karissimi, super moderacione solucionis tributorum a mercatoribus extraneis in Regno nostro exigendorum emanatas infrascripti tenoris, supplicans Nostre Serenitati instanciis debitis et deuotis, ut predictas litteras seu transsumptum predictorum Judicis, Juratorum et ciuium Brunensium nostro priuilegio renouare, confirmare, ac eciam decernendo committere dignaremur, vt ipsa nostra renouacio et confirmacio eiusdem vigoris et firmitatis haberetur et plenam daret fidem, vbicunque foret exhibita et producta, ac si predicte principales et originales littere predicti patris nostri in specie exhiberentur per eosdem. Quarum quidem litterarum patencium iam dictorum Judicis, Juratorum et ciuium Brunensium tenor talis est:

Nos Jacobus de Ror stb. (következik a brünni városi hatóságnak 1357-ki okirata, melyben Robert Károly magyar királynak 1336-ki a kereskedést szabályozó határozatát átirja, mint fentebb 385. sz. a.)

Nos igitur volentes ipsos mercatores in eorum libertatibus et iuribus per predictum dominum Karolum Regem patrem nostrum ipsis donatis legaliter et concessis indemniter conseruare; quia Serenissima Princeps domina Elizabet Inclita Vngarie Regina, genitrix nostra carissima, de concessione predictarum libertatum per eundem patrem nostrum facta se memoriter recordari, et predictas litteras patentes ipsius patris nostri in specie ante ipsam fore exhibitas coram nobis affirmauit: ideo nos ex informacione iam dicte domine Regine genitricis nostre carrissime plenarie et lucidissime de veritate earundem litterarum edocti, predictas litteras iam

dictorum Judicis, Juratorum et ciuium de verbo ad verbum transscribi fecimus, et easdem ex certa sciencia Nostre Maiestatis auctoritate Regia innouando confirmamus, ratificamus et approbamus, non obstante consuetudinaria lege Regni nostri, que huiusmodi litteras extranearum Ciuitatum confirmare minime consueuit. Dempto tamen et excepto vno articulo superius expresso, in quo dicitur »In porta vrbis Budensis«; volumus enim, et presencium serie committimus, vt tributa religiosarum dominarum sanctimonialium de Insula Leporum in predicta porta Ciuitatis Budensis exigi consueta secundum continenciam et connotata priuilegiorum per pios predecessores nostros illustres Reges Hungarie eisdem religiosis dominabus concessorum, per predictos mercatores et alios quoslibet indempniter persoluantur. Committentes, vt presens nostra confirmacio, et exhibicio eiusdem, vbique pro sufficienti habeatur documento, eidemque tanta fides debeat in locis singulis adhiberi, ac si predicte originales littere ipsius patris nostri in specie exhiberentur per mercatores antedictos, nec aliquis tributariorum vltra moderamina predicta in ipsis litteris patris nostri expressa occasione tributi eosdem angariare, vel munera aut honores aliquos petere siue recipere prusumat ab eisdem. Volumus eciam et presencium serie committimus, ut predicti mercatores Ratisponenses tricesimas nostras veras et ab antiquo dari consuetas, pront alii mercatores nostri Regni persoluunt, sic et ipsi persoluere teneantur. Et ut presens nostra innouacio et confirmacio robur obtineat perpetue firmitatis, nec per quempiam successu temporum valeat in irritum reuocari, presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris domini Nicolai Archiepiscopi Ecclesie Strigoniensis, locique eiusdem Comitis Perpetui, Aule nostre Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo CCC.L. nono, secundo kalendas mensis Aprilis, Regni autem nostri anno decimo octauo. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis, eodem Nicolao Strigoniensi locique eiusdem Comite Perpetuo, Aule nostre Cancellario, Thoma Archielecto confirmato Colocensi, Wgulino Spalatensi, Nicolao Jadrensi, et Elya Ragusino Archiepis-

copis; Nicolao Agriensi, Demetrio Varadiensi, Dominico Transiluano, Chanadiensi Sede vacante, Nicolao Quinque-ecclesiensi, Colomano Jauriensi, Ladislao Wesprimiensi, Stephano Zagrabiensi, Michaele Vacyensi, Petro Boznensi, fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Sirimiensi, Johanne Tyniensi, Demetrio Nonensi, Valentino Macariensi, Stephano Ffarensi, Matheo Sibinicensi, fratribus Michaele Scardonensi, Porcina Seniensi et Radozlao Corbauiensi Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Konth Regni nostri Palatino, Andrea Wayuoda Transiluano, Nicolao Vgrini Judice Curie nostre, Nicolao de Zeech tocius Dalmacie et Croacie, Leustachio Regni Sclauonie, Nicolao de Machou Banis, Cykou Tauarnicorum, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agasonum nostrorum Magistris, ac Magistro Simone Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

Nos siquidem ex innata cordi nostro pietate, quam non solum nostris subditis et adherentibus, sed eciam ad exteras naciones et forenses exhibere solemus liberalem, vt ijdem nostre munificencie senciant largitatem, sub Principeque glorioso discant deuocius nostrum Regnum et dominium quiete frequentare: premissis eorundem mercatorum flagitacionibus et deuotis supplicacionibus pium et beniuolum nostrum prebentes auditum, pretitulatum priuilegium nostrum non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, toto ipsius tenore presentibus de uerbo ad uerbum inserto, simul cum moderamine solucionis tributorum predictorum in eodem contento et expresso, de beneplacita voluntate domine Elizabet Regine Hungarie matris nostre carissime, acceptamus, approbamus, ratificamus, et pro eisdem ciuibus et mercatoribus Ratisponensibus de plenitudine nostre Regie potestatis, et ex certa sciencia perpetuo valiturum confirmamus presentis priuilegij nostri patrocinio mediante. In cuius confirmationis nostre euidens testimonium firmitatemque perpetuam presentes eisdem concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri noui ac dupplicis munimine roboratas. Datum per manus venerabilis in Christo patris domini Ladislai Episcopi Wesprimiensis, Reginalis Excellen-

cie Cancellarij, Auleque nostre Vicecancellarij dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo CCC.LV. nono, sexto kalendas mensis Julij, Regni autem nostri anno vicesimo octauo. Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis Thoma Strigoniensi, Stephano Colocensi, Wgulino Spalatensi, Nicolao Jadrensi et Elya Ragusiensi Archiepiscopis; Demetrio Varadiensis, Colomano Jauriensis, Michaele Agriensis, Wilhelmo Quinqueecclesiensis, Stephano Zagrabiensis, Demetrio Transiluane, Johanne Vacyensis, Dominico Chanadiensis, Petro Boznensis, Ladislao Nitriensis, Stephano Sirimiensis, Nicolao Tyniensis, Demetrio Nonensis Nicolao Traguriensis, Stephano Ffarensis, Valentino Macariensis, Matheo Sibinicensis, Michaele Scardonensis, et Porcina Seniensis Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Corbauiensi Sede vacante. Magnificis viris domino Ladislao Duce Opuliensi Regni nostri Palatino, Emerico Wayuoda Transiluano, Judicatu Curie nostre vacante, Johanne Magistro Tauarnicorum nostrorum, Symone Regnorum Dalmacie et Croacie, Petro Zudar tocius Sclauonie, et Nicolao de Machou Banis, Paulo Dapiferorum, Paulo Janitorum, et Stephano Agasonum nostrorum Magistris, ac eodem domino Ladislao Duce Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán, a királynak zöld selyemzsinóron függő kettős pecsétje alatt; a bajor kir. müncheni országos levéltárban.)

501.

A magyar jog alkalmasztatása Dalmatiában. 1369.

A) I. Lajos magyar királynak határjárási parancsa a spalatoi káptalanhoz.

Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie fidelibus suis Capitulo Ecclesie Spalatensis salutem et graciam. Dicunt nobis Scemlien filius Pauli de Districtu Zetine, et Nenada filius suus, quod quedam possessiones eorum Luchan, Zopcich et Walmasan vocate, in eodem Districtu Zetine habite, apud manus earundem existentes legitima reambulacione, et ab aliorum

possessionibus metali sequestracione indigerent. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Dubrancich, vel Hlapach, aut Turuk filius Raduch aliis absentibus homo noster ad facies predictarum possessionum Luchan, Zepthith et Walmasan, presentibus vicinis et commetaneis suis vniuersis legitime conuocatis accedendo, reambulent ipsas per veras suas metas et antiquas, nouas iuxta veteres in locis necessariis erigendo, reambulatasque, et ab aliorum juribus possesionarijs distinctas metaliter et separatas relinquat eisdem Scemlien et Nenada filio suo eo jure, quo ad ipsos dignoscuntur pertinere perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum; contradictores vero si qui fuerint, citet eos contra dictos Scemlien et Nenada filium suum in nostram, et Bani Regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie presenciam ad terminum competentem; et post hec seriem ipsius reambulacionis, cum cursibus metarum, ac nomina contradictorum, cum termino assignato, nobis vel eidem Bano rescribatis. Datum in Serenchen loco venacionis nostre die crastino festi Beati Antonii anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono.

B. A spalatoi káptalannok ennek értelmében eljárása.

Excellentissimo Principi et Domino eorum Naturali, domino Lodouico Dei gracia Serenissimo Regi Hungarie Capitulum Maioris Ecclesie Spalatensis, Vestre Maiestatis fideles cum recommendacione humili se ipsos et oraciones pro vestra incolumitate continuas apud bonorum omnium largitorem. Vestre Celsitudinis litteras nuper cum omni reuerencia et honore, quibus decuit, recepimus, cum impressione a tergo vestri Regalis annularis sigilli in cera rubra per manus nobilis viri Symeonis filii Pauli de Districtu Zetine, clausas more litterarum directiuarum in hec verba:

Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik I. Lajos magyar királynak határjárási parancsa mint fentebb). Exterius in superscripcione ipsarum litterarum dicebatur sic:

Fidelibus suis Capitulo Ecclesie Spalatensis pro Scemlien et Nenada filio eius reambulatoria.

Quare volentes fideliter vestrum mandatum exequi, ut tenebamur, ad requisicionem iam dictorum Symeonis et Nenada eius filii, illico vnum ex nobis, videlicet Magistrum Johannem Zintzii Concanonicum nostrum, hominem fide dignum ad infrascripta negocia peragenda vna cum nobili viro Dubrancio Dubrancich homine vestro superius inter alios vestros homines nominatum expresse, duximus destinandum, qui a nobis recedens, tandem pariter tam homo vester quam noster ad nos rediens, ac voce consona nobis retulerunt eo modo: quod ipsi in octauis festi Beati Laurencii leuite et martiris nunc proxime preteriti, cum vicinis ac commetaneis possessionum Lucane, Zopcichi et Welmosane, de quibus superius in vestris litteris Regalibus fit mencio, procedendo simul, a nobilibus, ignobilibus, clericis, ac aliis cuiusuis status et condicionis hominibus, prout de infrascriptis scire potuissent, diligenter inuestigando, talem sciuissent veritatem: quod metas predictarum truim possessionum Lucane, Zopzichi et Welmosane, ac confinia eorundem, nullo cortradictore apparente, sed pocius omnibus vicinis ipsarum possessionum assencientibus reambulantes taliter inuenerunt: Quod pretacte possesiones ab oriente terminantur in quadam valle nuncupata Mocnidolaz; et sic versus meridiem procedendo in quodam colle seu monticulo vocato Nebessa; deinde versus occidentem procedendo per viam super Radosichi, et sic versus congeriem lapidum appellatum Vidomira gomila; et vltra procedendo in via stricta vocitata vodize; et deinde vltra in loco appellato Plisunza, que quidem est meta inter ipsas possessiones Georgii Dubrancich de Yzmina; post hec ab occidente progrediendo versus acquilonem terminantur ipse possessiones Symeonis et Nenade in kalazo, qui vocatur Carleni; et recto tramite procedendo in puteo nuncupato Orihouich, et sub Orihouich in torrentem que ducit ad quandam arborem vocatam gelham in prato; quod quidem confinium siue meta est inter territorium Ecclesie Sancti Luce de Cetina et ipsas tres possessiones; demum progrediendo a dicta gelha in quandam arborem iuxta villam que vocatur Margudi; et inde per viam

publicam que ducit ad tres lapides prope Yasuinam; et sic recto tramite in monticulo qui vocatur Clobucina, et vsque ad silicem que nuncupatur lapis perforatus, siue iuxta Sclauicum ydioma et propius utli kami vel utli stina; post hec recta linea per acquilonem versus orientem procedendo vsque ad locum appellatum Godel; et ab ipso in supradictam vallem Mocnidolaz. Et ita, prout ab ipsis audiuimus, Vestre Maiestati per nostras litteras fideliter et consciencioee intimamus. Datum Spaleti in nostra matrice Ecclesia sub impressione nostri Capitularis sigilli autentici feria secunda proxima post festum Beati Bartholomei Apostoli anno Domini ab eius Natiuitate millesimo trecentesimo sexagessimo nono, indiccione vero septima.

Kivül: Excellentissimo Principi et Domino eorum Naturali, domino Lodouico Dei gracia Serenissimo Regi Hungarie pro Symeone et Nenada eius filio in facto confinium et metarum ipsorum possessionum in Cetina.

(Eredetie a bécsi császári titkos levéltárban. Megjegyzendő itt, hogy I. Lajos magyar király magának Spalato városnak megengedte, mikép az olasz városokkal jogi közösségben lehessen. L. Fejér Cod. Dipl. IX. köt. 4. r. 53 l.)

502.

I. Lajos magyar király és több anjoui herczeg szövetsége id. Ruperttel, annak unoka öcscsével ifj. Ruperttel, és fiával ifj. Ruberttel bajor herczegekkel. 1369.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus recognoscimus et tenore presencium pro nobis et illustribus Principibus Dominis Philippo Imperatore Constantinopolitano, Dispositore Romanie, Achaie et Tharenti Principe ac Karolo Duce Duracie, fratribus nostris karissimis, eorumque et nostris heredibus et successoribus publice profitemur: Quod nos animo bene deliberato, maturo eciam desuper prehabito consilio, et ex certa nostra Prelatorumque et Baronum nostrorum sciencia, ob terrarum nostrarum, hominum et

subditorum nostrorum fidelium maiorem defensionem, cum vniuersis et singulis terris, hominibus, dominiis et subditis nostris fidelibus, quas, que seu quos impresenti habemus, et inantea Domino concedente habituri sumus; cum Serenissimis Principibus et Dominis Ruperto Seniore premissa gracia Comite Palatino Reni, Sacri Romani Imperii Archydapifero et Bawarie Duce, Ruperto Juniore fratruele eiusdem Ruperti Senioris, ac eciam Ruperto Juniore filio Reni Comitis Palatini, Ducibus Bauarie, fratribus et auunculis nostris karissimis, eorumque heredibus et successoribus hereditario et perpetuo nomine vniuimus tenoreque presencium vnimus in modum subnotatum: Primo siquidem, quod nos, heredes et successores nostri predictos fratres et auunculos nostros, omnesque eorumdem heredes et successores cum bona fide et amicicia sincera prosequi volumus et debemus, dolo et fraude exclusis penitus in premissis. Insuper vniti sumus eisdem perpetuo contra vniuersos et singulos, quocunque censeantur nomine, quis vel qui memoratos fratres et auunculos nostros karissimos eorumue heredes vel successores, eorumque terras, dominia, homines et eorum subditos fideles, quas, que et quos ad presens possident et habent, et quas et quos ipsi, eorum heredes et successores futuris temporibus possidebunt et acquirent, inuaderent, perturbarent, dampnificarent; talibus inuasoribus nos et successores nostri cum vniuersis terris, dominiis et subditis fidelibus nostris, totisque viribus et potenciis nostris, ac si huiusmodi inuasiones nosmetipsos tangerent seu concernerent, resistere fideliter tenemur, dictorumque fratrum et awunculorum nostrorum terras ac dominia, tanquam nostra propria, tociens quociens oportunum fuerit, nosque super hijs fuerimus requisiti, absque dolo et fraude debebimos et volumus defensare. Hoc tamen signanter expresso, vt nos Rex Hungarie prefatus et fratres nostri predicti, nostrique et eorumdem heredes et successores, predictis fratribus et awunculis nostris karissimis, eorundemque heredibus et successoribus non alibi seu remocius, nisi in confiniis Regni nostri et terminis contiguis terrarum et dominiorum inimicorum et inuasorum eorumdem, ac alias, vbi poterimus, succurrere et subuenire sine dolo teneamur. Si autem fratres et auunculos

nostros karissimos antedictos, eorum heredes et successosres inter se ipsos guerras seu discordias habere contingeret, tunc nos alteri eorum aduersus alium auxiliari vel assistere non tenemur. Promittimus et spondemus eciam eisdem fratribus nostris pro nobis et dictis fratribus nostris, ipsorumque et nostris heredibus et successoribus bona fide, quod ex nunc in antea cum nullo homine viuente absque dictorum fratrum et auunculorum nostrorum, heredum successorumque eorumdem consilio, scitu et voluntate nullam vnquam ligam seu vnionem inire vel firmare volumus nec debemus. Si vero huiusmodi lige vel vniones per nos absque eorum consilio, scitu et voluntale fieri contingeret; tunc eosdem cunctis temporibus modo tali excipere debemus, quod huiusmodi lige seu vniones eisdem periculum seu preiudicium non inferant aliquale. Nichilominus tamen contra talem seu tales, cum quo seu quibus ligas seu vniones absque dictorum fratrum et awunculorum nostrorum consilio, scitu et voluntate nos facere contingeret, eisdem fratribus et awunculis nostris eorumque heredibus et successoribus, dum id necessitas exegerit nosque desuper amoniti fuerimus, istis ligis non obstantibus cum omnibus, terris, dominiis et subditis nostris, prout superius extitit expressatum, fideliter absque dolo et fraude auxiliis, consiliis et fauoribus assistere debemus et volumus oportunis. Nos eciam Lodouicus Rex prefatus omnia et singula premissa, prout scripta sunt, pro nobis dictisque fratribus nostris, nostrisque et eorum heredibus et successoribus promisimus, et in hiis scriptis spondemus bona fide, prestitis desuper corporalibus iuramentis, perpetuo irrefragabiliter et inuariabiliter ac sine dolo firmiter obseruare. Et sic similique modo pretacti Duces, fratres et awunculi nostri karissimi eorumque heredes et successores, nobis et dictis fratribus nostris, nostrisque et eorumdem heredibus et successoribus in premissis vice reciproca sunt vniti, vnionibus tamen et litteris vnionum pridem per nos ad inuicem datis et concessis in omnibus semper saluis remansuris; ita videlicet, quod eedem semper maneant in omni pristina roboris firmitate. Et nos Rex prefatus pro nobis dictisque fratribus nostris, omniumque nostrorum heredibus Serenissimum Principem dominum Kazmirum

Regem Polonie fratrem et auunculum nostrum karissimum excipimus singulis in premissis. Impremissarumque vnionum perpetuam firmitatem nos Lodouicus Rex prefatus pro nobis, et de nostris fratribus, nostrisque et eorumdem heredibus et successoribus vniuersis, has litteras fratribus et auunculis nostris predictis, eorum heredibus et successoribus, appensione nostri sigilli damus desuper sigillatas. Datum Posonii feria quinta proxima post festum Natiuitatis Gloriose Virginis Marie, anno Domini millesimo CCC. sexagesimo nono.

(Eredetie bőrhártyán Münchenben a bajor királyi országos levéltárban.)

503.

I. Lajos magyar király és több anjoui herczeg szövetsége Albert bajor herczeggel. 1369.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Vngarie, Dalmacie Croacie, Rame Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque, Princeps Salernitanus et Honoris Montis Sancti Angeli Dominus recognoscimus pro nobis et Illustribus Principibus dominis Philippo Imperatore Constantinopolitano, Dispositore Romanie, Achaye et Tarenti Principe, ac Karulo Duce Duracie, fratribus nostris carissimis, eorumque et nostris heredibus et successoribus publice profitemur: Quod nos animo bene deliberato, maturo eciam desuper prehabito consilio et ex certa nostra, Prelatorumque et Baronum nostrorum sciencia, ob terrarum nostrarum et subditorum nostrorum fidelium maiorem defensionem cum vniuersis et singulis terris, dominiis, fidelibus et subditis nostris, quas, que seu quos impresenti habemus, et inantea concedente Domino habituri sumus, cum Serenissimo Principe domino Alberto Comite Reni Palatino et Duce Bauarie ac Comite Hollandie, fratre et auunculo nostro carissimo eiusque heredibus et successoribus, hereditario et perpetuo nomine vniuimus, tenoreque presencium vnimus in modum subnotatum: Primo siquidem, quod nos et dicti fratres nostri, eorumque et nostri heredes et successores, supradictum fratrem et auunculum nostrum Ducem Bauarie, omnesque eius heredes et

successores cum bona fide et amicicia sincera prosequi volumus et debemus, dolo et fraude exclusis penitus in premissis. Insuper vniti sumus eidem perpetuo contra vniuersos et singulos, quocunque censeantur nomine, quis vel qui memoratum fratrem et awunculum nostrum carissimum, eiusue heredes aut successores, ipsorumque terras, dominia, homines et eorum subditos fideles, quas, que et quos ad presens possidet et habet, et quas aut quos ipse, eius heredes et successores futuris temporibus possidebunt et acquirent, inuaderent, perturbarent, dampnificarent; talibus inuasoribus nos et predicti fratres nostri eorumque et nostri heredes et successores cum vniuersis terris, dominiis et subditis fidelibus nostris, totisque viribus et potenciis nostris, ac si huiusmodi inuasiones nosmetipsos tangerent seu concernerent, resistere fideliter tenemur, dictique fratris et awunculi nostri terras ac dominia tanquam nostra propria, tociens quociens oportunum fuerit, nosque super hiis fuerimus requisiti, dolo et fraude penitus exclusis, debebimus et volumus defensare. Hoc tamen signanter expresso, vt nos et dicti nostri fratres, nostrique et eorumdem heredes et successores predicto Duci Bauarie, fratri et awunculo nostro, eiusque heredibus et successoribus non alibi seu remocius, nisi in confiniis Regni nostri et terminis contiguis terrarum et dominiorum inimicorum et inuasorum eorum ac alias, vbi poterimus succurrere et subuenire sine dolo teneamur. Si autem dictus frater et awunculus noster carissimus, Dux videlibet Bauarie, eiusque heredes et successores cum aliis Ducibus Bauarie, cum quibus nos modo simili dinosscimur vniuisse, guerras seu discordias inire contingeret, tunc nos alteri eorum aduersus alium auxiliari uel assistere non tenemur. Promittimus et spondemus eciam eidem fratri nostro pro nobis et dictis fratribus nostris, ipsorumque et nostris heredibus et successoribus bona fide, quod ex nunc cum nullo homine viuente absque dicti Ducis Bauarie heredumque et successorum suorum consilio, scitu et voluntate nullam vnquam ligam seu vnionem vnire vel firmare volumus nec debemus. Si vero huiusmodi lige vel vniones per nos absque eorum consilio, scitu et voluntate fieri contingeret, tunc eosdem cunctis temporibus modo tali excipere debemus,

quod huiusmodi lige seu vniones eisdem periculum seu preiudicium non inferant aliquale. Nichilominus contra talem seu tales, cum quo seu quibus ligas seu vniones absque dicti fratris et awunculi nostri scitu, consilio et voluntate nos facere contingeret, eidem fratri et awunculo nostro eiusque heredibus et successoribus, dum id necessitas exigeret, nosque desuper amoniti fuerimus, istis ligis non obstantibus cum omnibus terris, dominiis et subditis nostris, prout superius extitit expressatum, fideliter absque fraude et dolo auxiliis, consiliis et fauoribus assistere debemus et volumus oportunis. Nos eciam Rex Vngarie prelibatus omnia et singula premissa, prout scripta sunt, pro nobis et memoratis fratribus nostris, eorumdemque et nostris heredibus et successoribus dicto fratri et awunculo carissimo Duci Bauarie eiusque heredibus et successoribus promisimus et in hiis scriptis spondemus bona fide prestitis desuper corporalibus iuramentis perpetuo, irrefragabiliter et inuariabiliter ac sine dolo firmiter obseruare. Et sic similique modo dictus frater et awuncnlus noster carissimus eiusque heredes et successores nobis et prefatis nostris fratribus, ipsorumque et nostris heredibus et successoribus in premissis vice reciproca sunt vniti, vnionibus tamen et litteris vnionum pridem per nos ad inuicem datis et concessis in omnibus semper saluis remansuris. Ita videlicet, quod eedem semper maneant in omni pristina roboris firmitate. Nosque prefatus Rex Vngarie Serenissimos Principes dominos Kazimerum Regem Polonie et omnes Duces Bauarie, fratres et awunculos nostros carissimos excipimus singulis in premissis. Et in premissarum vnionum perpetuam firmitatem nos Rex Vngarie predictus pro nobis et antefatis fratribus nostris, eorumdemque et nostris heredibus et successoribus prefato fratri et awunculo nostro Duci Bauarie eiusque heredibus et successoribus has litteras sub maioris sigilli nostri appensione damus desuper sigillatas. Datum Posonii feria quinta proxima post festum Natiuitatis Beate Virginis Marie anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono.

(Eredetie bőrhártyán Münchenben a bajor királyi országos levéltárban.)

504.

I. Lajos magyar király Amberg város kereskedőit részesiti Regensburg és Nürnberg városok kereskedőinek kedvezményeiben. 1369.

Nos Ludouicus Dei gracia Rex Hungarie notum facimus tenore presencium universis, quod nos ob intimi amoris fragranciam et sincere dileccionis affectum, instantemque intercessionis supplicacionem Spectabilis et Magnifici Principis domini Ruperti eadem gracia Ducis Bauarie et Palatini Rheni, consanguinei nostri carissimi, Ciuitati sue A m b e r g in dicta Bauaria site, ac mercatoribus, ciuibus et incolis Ciuitatis sue predicte, presentibus videlicet et futuris, hanc specialis gracie et libertatis prerogatiuam ex mera liberalitate Regia duximus coucedendo annuendam, quod vniuersi mercatores, ciues et incole sui ex dicta Ciuitate cum rebus mercimonialibus procedentes, et in dicto Regno nostro eorum negociaciones exercere cupientes, in locis tributorum et tricesimarum Regni nostri prelibati omnibus eisdem graciis, libertatibus, consuetudinibus, privilegiis, concessionibus et immunitatibus perpetuis temporibus vtantur, pociantur et conseruentur, quibus mercatores ex R a t i s b o n a et ex N o r i n b e r g a gaudent potissime et fruuntur. Quarum quidem libertatum et concessionum ex registro nostro transsumptarum, quondam per Excellentissimum Principem dominum Carolum Regem genitorem nostrum carissimum felicis memorie ciuibus ex Vienna factarum, ac eciam pro mercatoribus ex Ratispona et Norinberga, et de dicta Vienna per nos graciose confirmatarum series sequitur in hec verba:

Nos Carolus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik Robert Károly királynak 1336-ki a kereskedést szobályozó határozata, mint gyüjteményünk I. kötetének 343. lapján).

In cuius recognicionis et habicionis testimonium instanter rogati (t. i. Brünn városnak hatósága, mint fentebb 385. sz. a.) sigillum nostrum presenti transcripto duximus apprimendum. Anno Domini MCCC. quinquagesimo septimo in in octaua Beatorum Petri et Pauli Apostolorum.

Nos igitur volentes ipsos mercatores in eorum libertati-

bus et juribus per predictum dominum Carolum Regem patrem nostrum ipsis donatis legaliter et concessis indempniter couseruare; quia Serenissima Princeps domina Elizabeth inclita Hungarie Regina, genitrix nostra carissima, de concessione predictarum libertatum per eundem patrem nostrum facta se memoriter recordari, et predictas litteras patentes ipsius patris nostri in specie ante ipsam fore exhibitas coram nobis affirmauit; ideo nos ex informacione iam dicte domine Regine genitricis nostre carissime plenarie et lucidissime de veritate earundem litterarum edocti; predictas litteras de verbo ab verbum transscribi fecimus, et easdem ex certa sciencia Nostre Maiestatis auctoritate Regia innouando confirmamus, ratificamus et approbamus, consuetudinaria lege Regni nostri, que huiusmodi litteras extranearum Ciuitatum firmare minime consueuit, non obstante. Dempto tamen et excepto uno articulo superius expresso, in quo dicitur »In porta vrbis Budensis«; volumus enim et presencium serie committimus, ut tributa religiosarum dominarum sanctimonialium de Insula Leporum in predicta porta Ciuitatis Budensis exigi consueta secuundum continenciam et connotata priuilegiorum per pios predecessores nostros illustres Reges Hungarie eisdem religiosis dominabus concessorum per predictos mercatores et alios quoslibet indempniter persoluantur. Nos siquidem volentes ipsius domini Ducis et Palatini, consanguinei nostri carissimi, votis fraterno occurrere cum amore: committimus et mandamus sub edicto Regio iniungentes firmiter et districte modernis tributariis et tricesimatoribus Regni nostri constitutis, et constituendis in futurum, ut eosdem mercatoros, ciues et homines dicte Ciuitatis Amberge cum rebus et mercibus eorum tam in veniendo, intrando et exeuudo, ultra premissam quotam et limitacionem tributi et tricesime molestare aggrauare, et ad superfluiorem solucionem compellere et coarctare nullatenus audeant vel presumant; sed permittant ipsos in premissis graciis, libertatibus, limitacionibus et perogatiuis per eundem dominum Carolum Regem patrem nostrum concessis et conscriptis, ac per nos confirmatis, uti, frui pacifice et gaudere, sub nostre Regie dileccionis fauore et obtentu. Presentes autem in formam

nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis fuerint reportatate. Datum Posonii feria sexta proxima post festum Natiuitatis Beate Virginis, anno Domini millesimo CCC° sexagesimo nono. (P. H.)

(A »Liber Copialis privilegiorum Civitatis Amberg«-ből, a bajor kir. müncheni országos levéltárban).

505.

Károly durazzoi herczeg Magyarországban, I. Lajos királynál neveltetik. 1369.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Magne laudis preconio pietas Tue Serenitatis attollitur ex eo, quod dilectum filium nobilem virum Carolum de Duracio, consanguineum tuum, Regalibus moribus et magnificencia, studioque paterne sollicitudinis educasti; et nuper, sicut venerabilis frater noster Johannes Episcopus Vaciensis, et dilectus filius Johannes de Brixia Licentiatus in Legibus, Ambaxiatores tui nobis exposuerunt, Ducatum Dalmatie atque Chroatie dicto Carolo, cui non suppetebant secundum Regium sanguinem facultates, propria liberalitate donasti. De quibus presertim, quia audiuimus, quod idem Carolus, de genere tuo deuotissimo Romane Ecclesie ortus, tuam suorumque progenitorum deuotionem, prout patitur sua etas, prosequitur, bonorumque indolis et morum asseritur, tuam munificentiam commendamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. idus Decembris, Pontificatus nostri anno octauo.

(VI. Orbán pápa regestáiból.)

506.

IV. Károly császár és I. Lajos magyar király, választott birák a római egyház és Visconti Bernabo közti egyenetlenségekben. 1369.

Karolus etc. Notum facimus etc. Quod quamuis litere Bernabonis de Mediolano dudum precesserint nobilis Sagre-

mor de Pomeris militis sui familiaris aduentum, in quibus idem Bernabo Nostre Serenitati spondebat, quod dictus Sagremor e vestigio veniret ad nostri presentiam, ad compromittendum in facto Bononiensi, quod ad presens inter Sanctam Matrem Ecclesiam ab vna, et eundem Bernabonem parte ventilatur ex altera, in personam nostram et Serenissimi Principis domini ... Regis Hungarie ea sufficienti potestate munitus, quam ipsemet Bernabo habere posset, si adesset propria in persona; ipse tamen Sagremor veniens prosequendi premissa, nullam a prefato Bernabone attulit potestatem; cum tamen merito dictus Bernabo magna diligentia intendisset ad hoc propter litteras nostras huiusmodi, quas non solum nobis, sed etiam prefato ... Regi Hungarie destinauit; et quamuis in hoc animum nostrum satis grauiter commoueret, nobisque materiam tribuerit indignandi: habito tamen respectu ad preterita sua servitia et illum singularem affectum, quo celebris memorie diuus Henricus Romanorum Imperator auus noster carissimus domum dicti Bernabonis innata sibi pietatis clementia prosequi dignabatur, ipsum in persona spectabilis Johannis Comitis etc. quem ad hoc faciendum specialiter, Nostra transmisit Serenitas ex superhabundanti adhuc requisiuimus, hortati sumus et monuimus seriose, quatenus iuxta sue promissionis continentiam, et fidei et honori suo congruebat, instrumenta compromissionis super antedicto facto Bononiensi, in personam nostram et dicti ... Regis Hungarie, Nostre Maiestati dirigeret omni difficultate remota, sub forma sicut de sapientum consilio umquam fieri poterit meliori in hoc se ostendens, sicut vellet, quod operarius meretur sui operis studio commendari, et vt sinceritatem sui affectus sentiret Imperialis Serenitas, dum rite et secundum saccrarum legum ordinem in nos et prefatum Regem Hungarie compromitteret de premissis, et que ad mandatum prefati Comitis ... ad hoc singulariter missi, vt premittitur, ymo verius nostrum, cuius nomine et auctoritate sibi preceperit, treugas pacis cum Ecclesia Sancta et cum venerabili Legato firmaret et stabiliret eo modo, sicut predictus ... Comes virtute litterarum auctoritatis sibi in hac parte concesse, sibi duceret indicendas vsque ad festum Sancti Martini futurum proximum, vt medio

tempore possemus vna cum predicto Rege Hungarie de finali concordia dicti negotii decenter et viis salutaribus cogitare; alioquin nisi a tali guerra, quam Sancte Matri Ecclesie mouere dinoscebatur, omnino resipisceret et cessaret, et nisi castra, fortalicia et loca Comitatus Bononiensis ct alia, que ad Ecclesiam Sanctam pertinent, restitueret, et eidem Sancte Matri Ecclesie de omnibus dampnis, que occasione talium guerrarum sustinuit, ad plenum satisfecerit, sine mora infra certum tempus sibi tunc specifice exprimendum contra ipsum exigente iusticia, et crescente ipsius contumacia vellemus procedere viis et remediis oportunis. Quia vero sepedictus Bernabo, prout veridica dicti Comitis relatione comperimus, pia mansuetudinis nostre monita surda aure premissa adimplere contempsit, et sic in sua contumatia spiritu permansit et permaneret indurato, nobisque et Sacro Imperio non obedit nec erubescit promissorum, que nobis fecit, continentiam pertinaci negligentia preterire: omnium Electorum Principum, tam ecclesiasticorum quam secularium accedente consilio, quorum rata sententia liquido definiuit, quod ipse Bernabo adversus honorem Sacrii Imperii manifeste deliquit, ipsum animo deliberato, non per errorem aut improuide, sed de certa nostra scientia, ab omnibus Vicariatibus, quos pro nobis et Sacro Imperio hactenus gessisse dinoscitur, priuamus, ac deponimus ab eisdem, adimentes omnem potestatem, auctoritatem et bagliam, quibus quauis ratione vel causa nostris et Sacri Imperii vice et nomine functus est hactenus; aut fungi poterat quouis modo; omnes etiam et singulas litteras, quas desuper a Nostra Maiestate aut quouis alio obtinuisse probatur, in omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis et clausulis de verbo ad verbum, prout scripte sunt, etiam si de his iure vel consuetudine in presentibus deberet mentio fieri specialis, aut tenor ex integro deberet in presentibus contineri, de certa nostra scientia et de Imperatorie plenitudine potestatis, reuocamus, eumque velud nostrum et Imperii Sacri rebellem et hostem publicum estimamus. Nec non auxiliatores. violatores, complices et subditos ipsius, et omnes simpliciter eidem, cuiuscunque nobilitatis, status, gradus, nationis vel honoris existant, proscriptioni et banno Imperiali subiicimus, proscribimus et

edicto Imperiali verbanimus. Decernentes, quod idem Bernabo et sui auxiliatores, adiutores et complices, et sibi adherentes predicti, quicumque, cuius etiam status, gradus, nationis seu conditionis existant, vt premittitur, omnibus feudis, que a Sacro tenent Imperio, et omnibus priuilegijs, gratiis, libertatibus, que et quas ab eodem obtinuerunt Imperio, ex nunc in antea sint indigni, eisque careant omnino perpetuis temporibus affuturis. Hunc preterea nostrum processum et Imperialem sententiam in notam dedecoris sepedicti Bernabonis per omnes Ciuitates Alemanie, et alias regiones subiectas Imperio publicari precipimus, et sub Imperialis Maiestatis Nostre sigillo valuis pallaciorum in singulis vrbibus Alamanie affigi notorie, vt in penam sibi sit sua temeritas, qua et Imperialia mandata contempnere, et a promissis suis recedere non expauit; talisque sua presumptio pateat multorum notitie, et vexatione intelligentiam sibi dante in semetipso cognoscat, quam sit decenter superioris mandato parendum, et quibus debeat Imperialis Celsitudo reuerentiis honorari; ad alia nichilomina grauiora, si dicti Bernabonis temeritas illud exegerit, suadente iustitia processuri. Presentium etc.

(A »Summa Cancellariae Caroli IV.« czímű kéziratból, a prágai káptalan könyvtárában.)

507.

Erzsébet, néhai István magyar herczeg leányának házassága Fülöp czímzetes konstantinápolyi császárral. 1370.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Philippo Imperatori Constantinopolitano, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Elizabeth quondam Stephani filii clare memorie Caroli Regis Vngarie nate, salutem etc. Etsi inter illos, qui proxima consanguinitatis linea invicem sunt coniuncti, sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant; Summus tamen Pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a Deo, nonnunquam personarum et temporum qualitate pensata, rigorem iustitie, presertim circa personas illustres, mansuetudine temperat, et quod negat

iuris severitas, de gratia provide benignitatis indulget. Hinc est, quod nos carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Vngarie illustris in hac parte suplicationibus inclinati, ex certis rationabilibus causis ex parte dicti Regis nobis expositis, vobiscum, qui quarto cosanguinitatis gradu invicem coniuncti estis, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit nequaquam obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis; dummodo iuramenta per quascunque personas occasione sponsaliorum de futuro olim inter te, filia Elizabeth, et carissimum in Christo filium nostrum Wenceslaum Regem Boemie illustrem contractorum interposita, tam pro parte tua, quam eiusdem Regis hinc inde penitus remittantur, auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolem ex huiusmodi matrimonio suspiciendam legitimam nuntiantes. Nulli ergo etc. Datum Rome ad Sanctum Petrum VI. idus Januarii, Pontificatus nostri anno octauo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

508.

V. Orbán pápa Klára, Sándor havasalföldi vajda özvegyének ajtatosságát magasztalja. 1370.

Vrbanus Episcopus etc. dilecte in Christo filie nobili mulieri Clare, relicte quondam Alexandri Waywode in Wlachia vidue salutem etc. Letamur in Domino, dilecta filia, sibique gratias agimus ex intimis nostri cordis, quod sicut fidedigna relatione didicimus, tu Spiritus Sancti lumine illustrata, et per eximie devotionis opera et multiplicium virtutum exercitium iugiter Altissimo famularis, et inter alia carissimam in Christo filiam nostram . . . Imperatricem Bulgarie illustrem, natam tuam, a scismate ac erroribus hereticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxisti. Verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Ancham Reginam Servie illustrem, adhuc in similibus scismate ac erroribus permanentem, Caritatem Tuam excitamus ac hortamur attentius et rogamus; quatenus ut multos lucri facias domino Jesu Christo, dictam Reginam, aliasque utrius-

que sexus personas, scismate ac heresibus maculatas ad prefate fidei, extra quam non est salus, coneris convertere puritatem. Ceterum devotionem tuam ex eo, quod Beatos Apostolos Petrum et Paulum, eorumque basilicas, et nos etiam de calicibus aureis et paramentis pretiosis pro Divinis obsequiis honorasti, digne commendationis attolentes preconio, liberalitati tue proinde gratiarum referimus actiones. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIV. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno octauo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

509.

V Orbán pápa felkéri I. Lajos magyar királyt, hogy Gergely dalmatiai főúr leányának házasságát a szerb király' fiával meg ne engedje. 1370.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Twarcho Banus Bosne, subditus tuus, et mater eius, quandam puellam natam dilecti filii nobilis viri Gregorii nati quondam Pauli, Ducis Dalmatie et Chroatie, de manibus suorum parentum amicabiliter receperunt per eos nutriendam, et demum in etate nubili cum ipsorum voluntate parentum alicui fideli et magnifico viro secundum dicte puelle status decentiam maritandam; quodque idem Banus eandem puellam tradere nuptui filio Magnifici viri Regis Rascie scismatico absque dictorum parentum voluntate procurat, in anime ipsius puelle periculum, eorumdem parentum iniuriam, et offensam fidei Christiane. Quare piam Serenitatem Tuam hortamur et rogamus attente, quatenus ob reverentiam Dei ac Apostolice Sedis et nostram, nec non fidei prelibate, tue sollicitudinis operam interponas, quod eadem puella aut restituatur eisdem parentibus suis, aut ad tuam curiam transmittatur, alicui fideli de ipsorum parentum voluntate, et cum tuo consilio maritandam. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. idus Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

In eodem modo Elizabeth Regine Hungarie etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Twarcho Banus Bosne, frater tuus, et mater eius quandam puellam etc. ut supra usque ad finem.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

510.

V. Orbán pápa Lászlót havasalföldi vajdát az egyházi unio elfogadására felkéri. 1370.

Vrbanus Episcopus etc. nobili viro Latizlao Wayvode Vlachie, gratiam in presenti, per quam obtineat gloriam in futurum. Superni pastoris, qui sue immense caritatis beneficio, ut omnes oves salvas faceret, unumque esset ovile et unus pastor, de celis descendit in mundum, se immolans pro eisdem, vices licet immeriti gerentes in terris, oves errabundas et devias, illas presertim, quas sive in rectam viam sive in deviam sequuntur alie, prout possibilitas nobis ex alto conceditur, ad ipsum ovile reducere procuramus. Sane fide dignorum relatione percepimus, quod licet eiusdem pastoris, videlicet domini nostri Jesu Christi, fidem profitearis, tamen extra ovile prefatum, scilicet gremium et obedientiam Sacrosancte Romane ac Catholice et Apostolice Ecclesie, Matris et Magistre cunctorum fidelium, extra quam non est salus, ex antiquo scismate in te a tuis antiquis predecessoribus derivato, moreris, et multiplicibus erroribus involutus existis; nichilominusque credens forte, te in statu salutis existere, impios Turchos Chatolice fidei hostes pro Dei et prefate Sedis reverentia persequeris, et tuos reputas inimicos. Sed dolemus ab intimis, si non certas legitime, cum nonnisi certamen exercenti legitimum corona eterni premii secundum doctorem gentium tribuator, tantoque ferventius tuam salutem gliscimus, quanto, si in toto corde tuo convertaris ad Dominum, futurus victoriosior Christi pugil verisimiliter extimaris. Quare Magnificentiam Tuam hortamur in Domino et obsecramus per viscera misericordie Dei nostri, quatenus relictis scismate, et erroribus vniuersis, per instructionem

catholicorum et religiosorum virorum, quorum multi in tuo Dominio, presertim ex operatione dilecte in Christo filie nobilis mulieris Clare, noverce tue, non solum catholice, sed claris dicte fidei et virtutum meritis insignite, moram trahere asseruntur, ad ovile prefatum securus advenias; in eo cum aliis Christi fidelibus perpetuo permansurus, et salutis eterne premia recepturus. Nos enim, si hoc fideliter et sincere effeceris, te ut filium dilectissimum habere proponimus, ac tibi in tuis et terre tue negotiis Apostolice Sedis fauoribus assistere gratiose. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. idus Aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

(V. Orbán pápa regestáiból.)

511.

I. Lajos magyar királynak a nürnbergiek kereskedését tárgyazó szabadalma. 1370.

Nos Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis: quod nos, sicut pro utiliori et commodosiori statu Regni nostri, cui Diuinitus presidemus, et regnicolarum, nec non mercatorum extraneorum ad eundem (igy) Regnum nostrum confluencium, ut ab ipsis Nostre Celsitudini, et eisdem regnicolis nostris fructus utilitatis et materia honoris continue proueniat, sic non minus ad instantem et deuotam supplicacionem prouidi viri Pertoldi Holchsuher dicti ciuis et mercatoris de Nuremberg vice et nomine universorum ciuium, hospitum et mercatorum de eadem Nuremberg Nostro Regio Culmini porrectam, vniuersis mercatoribus de predicta Nuremberg in Regnum nostrum Hungarie causa negociacionis et mercimonii confluentibus de nostre Regie liberalitatis munifica et largiflua clemencia, ac gracia speciali huiusmodi libertatum prerogatiuas duximus concedendas: Primo videlicet, ut quascunque res et bona iidem mercatores vbicunque in Regno nostro nostris regnicolis vendiderint, easdem predicti emptores secundum conuencionem inter ipsos tempore predicti empcionalis contractus habitam, ipsis persoluere debeant; et

similiter omnes et singulas res, quas iidem mercatores a nostris regnicolis emerint, ipsis venditoribus secundum eandem conuencionem persoluere mercatores Nurembergenses prenotati, siue talis conuencio fiat de florenis, siue de grossis aut denariis minutis, seu de alia quacunque manerie rei; ad quam solucionem eis faciendam volumus, ut Judices locorum, ubi tales vendiciones vel empciones facte fuerint, eosdem emptores compellere teneantur justicia mediante. Preterea annuimus et spondemus mercatoribus prenotatis, quod si nos cum aliquibus Principibus vel Ciuitatibus extraneis aliquam guerram vel inimiciciam inire contingeret; tunc ipsos mercatores occasione huiusmodi guerre nusquam molestabimus in rebus vel personis; sed quandocunque eosdem mercatores in Regno nostro aliqua de causa tollerare noluerimus, tunc sex vel septem ebdomadis ante debebimus hoc eis notificare et luculenter significare, ipsosque extra limites Regni nostri conduci (permittere), saluis eorum personis atque rebus. Insuper ut iidem mercatores nostre munificentie largitatem sibi magis senciant affuisse; concedimus eisdem, ut si aliqui ipsorum, qui tricesimam de rebus suis in Regnum importatis persoluentes, et super hoc tricesimatoris nostri habentes testimonium vel munimentum, exire voluerint; tales cum uno famulo et duobus equis, cuiuscunque precii vel valoris existant, de Regno nostro libere, secure et absolute exire possint atque valeant, iusto tamen tributo de ipsis duobus equis in locis debitis ubique persoluto. Datum in Dalmas in octauis Natiuitatis Beati Johannis Baptiste anno Domini millessimo CCC° septuagesimo.

(Eredetie bőrhártyán, a királynak hátul oda nyomott pecsétjével, Münchenben a kir. országos levéltárban.)

ELSŐ OSZTÁLY: OKMÁNYTÁRAK.

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR, a brüsseli országos levéltárból és a burgundi könyvtárból. Összeszedte s lemásolta Hatvani Mihály (Horváth Mihály) I. KÖT. 1441—1538. Pest 1857. XXI és 387 l. — II. KÖT. 1539—1552. Pest, VIII és 367 l. — III. KÖT. 1553—1608. Pest 1859. VIII és 324 l. — IV. KÖT. 1608—1652. Pest 1859. VIII és 323 l. I. Ferdinánd kir. hasonmásolt levelével. — *Monum. Dipl. I—IV. köt.*

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR. londoni könyv- és levéltárakból. Összeszedte és lemásolta Simonyi Ernő. 1521—1717. Pest 1859. VII és 315 l. — *Monum. Diplom. V. köt.*

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR (Fejér György Codex Diplomaticusának folytatása). Közzé teszi Wenzel Gusztáv. I. KÖT. 1001—1235 és Függelékül: *Kritikai jegyzetek Fejér György „Codex Dipl. Hungariae Ecclesiasticus ac Civilis“ czímű munkájának az árpádi korszakot illető része felett.* Pest 1860. XLII és 405 l. — II. KÖT. 1235—1260. és Függelékül *Az Árpádkori Új Okmánytár és a kapcsolt országok okmányai.* Pest 1861. XIX és 402 l. — III. KÖT. 1261—1272. s Függelékül: *Olaszhon levéltárai a magyar történelem szempontjából.* Pest 1862. XV és 363 l. — IV. KÖT. 1272—1290. Pest 1862. XX és 414 l. — V. KÖT. 1290—1301. és Függelékül: *Theiner Ágoston „Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram illustrantia“ czímű munkájáról.* Pest, 1864. XXI és 330 l. — VI. KÖT. v. a második folyam I. kötete: 890—1235. Pest, 1867. XXXVI és 578 l. 4 frt. — VII. KÖT. v. a második folyam II. kötete: 1235—1260. Pest, 1869. XXVI és 564 l. — VIII. KÖT. vagy a második folyam III. kötete. 1261—1272. Pest, 1870. XXII és 479 l. — IX. KÖT. vagy a második folyam IV. kötete 1272—90. Pest, 1871. XXX és 584 l. 4 frt. — X. KÖT. vagy a második folyam V. kötete: 1290—1300. Budapest, 1873. XXX és 418 l. — XI. KÖTET, vagy a harmadik folyam I. kötete: 1060—1270. XXXV és 620 l. 4 frt. — XII. KÖT. v. a harmadik folyam II. kötete: 1270—1301. XXXVIII és 707 l. 4 frt. — *Monum. Diplom. VI—XIII. XVII. XVIII. XX. XXII.* köt.

ALVINCZI PÉTER OKMÁNYTÁRA. Erdély visszacsatolása felett a m. királylyal folytatott alkudozások történetéhez 1685—88. Közzé tette Szilágyi Sándor. I. kötet. VI és 431 l. — II. köt. 388 és LVIII. l. — *Monum. Diplom. XIV. XV. kötet.*

PÁZMÁNY PÉTER LEVELEZÉSE. Közzé teszi Frankl Vilmos I. kötet. 1605—25. Budapest 1873. XVI és 480 l. 4 frt. — *Monum. Diplom. XIX. kötet.*

OKMÁNYTÁR I. RÁKÓCZY GYÖRGY Svéd és Franczia szövetkezéseinek történetéhez, jegyzetekkel ellátta Szilágyi Sándor. Bpest 1873. XI és 491 l. — *Mon. Diplom. XXI. kötet*

OKMÁNYTÁR II. RÁKÓCZY GYÖRGY diplomacziai összeköttetéseihez 1648—1660. Szerk. Szilágyi Sándor. Budapest, 1874. VII és 740 l. 4 frt. — *Mon. Diplom. XXIII. köt.*

A KÉT RÁKÓCZY GYÖRGY FEJEDELEM Családi Levelezése 1632—60. Szerk. Szilágyi Sándor. Budapest, 1875. XII és 644 l. 4 frt. — *Mon. Diplom. XXIV. köt.*

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

SZERÉMI GYÖRGY, II. Lajos és János királyok házi káplánja EMLÉKIRATA MAGYARORSZÁG ROMLÁSÁRÓL. 1484—1543. Közli Wenzel Gusztáv, Pest, 1857. XXXIV és 410 l. — *Monum. Script. I. köt.*

VERANCSICS ANTAL, m. kir. helytartó, esztergami érsek ÖSSZES MUNKÁI, közli Szalay László (1—7.) és Wenzel Gusztáv (8—12.) I. KÖT. Történelmi dolgozatok deák nyelven. Pest 1857. XX és 370 l. — II. KÖT. Történelmi dolgozatok magyar nyelven, és Vegyesek, Pest, 1857. XV és 321 l. — III. KÖT. Első portai követség 1553—1554. Pest, 1858. XII és 463 l. — IV. KÖT. 1555—1557. Pest, 1859. X és 404 l. — V. KÖT. Második portai követség 1567—1568. Pest, 1860. VIII és 396 l. — VI. KÖT. Vegyes Levelek 1538—1549. Pest 1860. VI és 378 l. — VII. KÖT. Vegyes Levelek 1549—1559. Pest 1865. VI és 289 l. — VIII. KÖT. Vegyes Levelek 1559—1562. Pest 1868. XIV és 399 l. — IX. KÖT. Vegyes Levelek 1563—69. Pest 1870. VI és 315 l. — X. KÖT Vegyes Levelek 1569—71. Pest 1871. XV és 366 l. — XI. KÖT. Vegyes Levelek 1572—3

Budapest. 1875. XIII és 227 l. — *Monum. Script. II—VI. IX. X. XIV. XX. XXV. XXVI. kötet.*

GR. ILLÉSHÁZY ISTVÁN nádor FÖLJEGYZÉSEI 1592—1603. és HIDVÉGI MIKÓ FERENCZ HISTÓRIÁJA 1594—1613. BÍRÓ SÁMUEL folytatásával 1613-ig. Függelékül: Enyedi Pál Énekéből 1598—1601. és okmányok Mihály és Illésházy korára. Közli Kazinczy Gábor. P. 1863. X és 331 l. — *Monum. Script. VII. köt.*

ROZSNYAI DÁVID, az utolsó török deák, TÖRTÉNETI MARADVÁNYAI. Összeszedte s jegyzetekkel, előszóval kisérve kiadta Szilágyi Sándor. Pest 1867. 462 l. — *Monum. Script. VIII. köt.*

— — Pótfüzet. 1871. Ára 60 kr.

ALTORJAI B. APOR PÉTER MUNKÁI. Közli Kazinczy Gábor. Lusus Mundi. Synopsis mutationum notabiliorum aetate mea in Transylvania, et progressus vitae meae. Metamorphosis Transylvaniae (és magyarúl) CSERFI MIHÁLY Pótlékai- és Megjegyzéseivel. Pest 1863. X és 461 l. — *Monum. Script. XI. köt.*

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY magyar kir. történetíró MAGYAR HISTÓRIÁJA 1490—1552. A m. kir. egyetemi könyvtár eredeti kéziratából szerző életével közli Toldy Ferencz. I. KÖT. Második Ulászló uralkodása, harmadmásával. Pest 1863. CIX és 481 l. 4 frt. — II. KÖT. Második Lajos trónra léptétől 1537-ig. Pest 1867. IX és 496 l. — III. KÖT. 1537—1552. Brutus elveszett XIV—XX. könyveinek töredékei 1552-ig, és Magyarokhoz írt Levelei (sajtó alatt). — *Monum. Script. XII. XIII. XIV. köt.*

GHYMESI FORGÁCH FERENCZ nagyváradi püspök MAGYAR HISTÓRIÁJA 1540—1572. Forgách Simon és Istvánffi Miklós jegyzeteikkel és Forgách Ferencz kisebb iratalval együtt. A hg. Eszterházy féle kéziratból közli Majer Fidél, bevezette Toldy Ferencz. Pest 1866. LXXXVIII és 555 l. 4 frt. — *Monum. Script. XVI. kötet.*

BARONYAI DECSI JÁNOS MAGYAR HISTÓRIÁJA 1592—1598. A szerző életével közli Toldy Ferencz. Pest 1866. LXXX és 333 l. — *Monum. Script. XVII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1676—78 évekből. Közli Torma Károly. Pest 1866. XII és 199 l. 1 frt 20 kr. — *Monum. Script. XVIII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1693. évből, [illegible] 1694; Dobai Zsigmond, Sándor Gáspár, Bay Mihály, és Almásy István Naplóik. Közli Thaly Kálmán. Pest 1868. 2 részben XXXII és 788 l. 4 frt 20 kr. — *Monum. Script. XXIII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓI, LEVELESKÖNYVEI és egyéb egykorú iratai, közli *Thaly Kálmán.* II. köt. Budapest, 1873. XVI és 707 l. — *Monum. Script. XXIV. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1693—94 évekből. Az eredeti kéziratból közli Nagy Iván. Pest 1863. VIII és 701 lap. 4 frt 20 kr. — *Monum. Script. XV. köt.*

TÖRTÉNELMI NAPLÓK 1663—1719. Közli Thaly Kálmán (Ottlik, Bárifai követek; gr. Teleki Mihály és Pápai János, ifj. Teleki; Bercsényi; [illegible] György) Budapest, 1875. XXXII és 507 l. 4 frt. — *Monum. Script. XXVII. kötet.*

KRITOBÚLOSZ, az utolsó byzanti történetiróból: II. Mohammed élete. Magyarul *Szabó Károlytól.* Bpest, 1874. VIII és 273 l. — *Monum. Script. XXII. köt.*

HARMADIK OSZTÁLY: ORSZÁGGYŰLÉSEK.

MAGYAR ORSZÁGGYŰLÉSI EMLÉKEK, történeti bevezetésekkel, Fraknói Vilmostól. Első kötet: 1526—1536. Budapest, 1874. XXXII és 650 l. 5 frt. — *Monum. Comitialia. I. köt.*

Második kötet: 1537—1545. Budapest, 1875. 688 l. 5 frt. — *Monum. Comitialia. II. kötet.*

NEGYEDIK OSZTÁLY: DIPLOMACZIA.

MAGYAR DIPLOMACZIAI EMLÉKEK az Anjou-korból, szerk. Wenzel Gusztáv. Első kötet: 1268—1341. Budapest, 1874. XXX és 408 l. [illegible] frt 15 kr. — Második kötet: 1341—1370. Bpest, 1875. XXX és 687 l. 5 frt. *Monum. Acta Extera I., II. köt.*

Megjel. apr. [illegible] 1875.

Budapest 1875. Nyomatott az Athenaeum nyomdájában.



